ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/directoriummysti0000unse

DIRECTORIUM MYSTICUM



ANTONIUS a SPIRITU SANCTO, † 1677.

R^mi P. ANTONII A SPIRITU SANCTO,

CARMELITÆ DISCALCEATI ET EPISCOPI ANGOLENSIS,

DIRECTORIUM MYSTICUM,

IN QUO TRES DIFFICILLIMÆ VIÆ,

SCILICET PURGATIVA, ILLUMINATIVA ET UNITIVA

UNDIQUE ELUCIDANTUR ET SANCTORUM PATRUM, PRÆCIPUE

ANGELICI DOCTORIS DIVI THOMÆ

AC SERAPHICÆ MATRIS N. S. THERESIÆ,

SPLENDORIBUS ILLUSTRANTUR.

ST. ALBERT... FR. BENEDICT M. BLANK O.P. COLLEGE LIBRARY AD USUM

Opus sane cunctis ambulantibus
in harum trium viarum tenebris apprime utile
et necessarium.

NOVAM EDITIONEM CURAVIT

P. BERNARDUS A Ss. SACRAMENTO,

CARMELITA DISCALCEATUS PROVINCIÆ BAVARICÆ.

Parisiis 1904.

APUD LUDOVICUM VIVÈS, RUE DELAMBRE, 13.

J. ✝ M.

Fr. Raynaldus Maria a Sancto Justo,
Præpositus Generalis Fratrum Discalceatorum Ordinis
Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo,
ejusdemque sacri Montis Prior.

Cum *R. P. Fr. Bernardus a Sanctissimo Sacramento,* Provinciæ Nostræ Bavarensis alumnus, Nobis exposuerit utilitatem novæ ac emendatioris editionis præclarissimi operis, cui titulus: *Directorium mysticum*, ab Illustrissimo ac Reverendissimo *P. Antonio a Spiritu Sancto*, Carmelita Discalceato et Episcopo Angolensi, conscripti ; Nos per præsentes literas eidem dilecto filio nostro *Bernardo a Sanctissimo Sacramento* curam committimus, memoratum opus typis iterum mandandi, nulla prætermissa diligentia, ut nova hæc editio absolutissima evadat.

Romæ ex Ædibus Nostris generalitiis die 1. Januarii 1902.

L. ✝ S. Fr. Raynaldus Maria a S. Justo,
Præpositus Generalis.

Fr. Elias a Matre Misericordiæ,
Secretarius.

IMPRIMATUR.

Parisiis die 30. Octobris 1903.

G. Lefebvre,
Vic. Gen.

EMINENTISSIMO DOMINO

Hieronymo Mª Cardinali GOTTI

SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

PRÆFECTO

ET ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM

PROTECTORI

Novam Hanc Editionem

DIRECTORII MYSTICI

SUMMA VENERATIONE DEDICAT

P. Bernardus a Ss. Sacramento.

PRÆMONITIO

PRO HAC NOVA EDITIONE.

Habes hic, lector benevole, totius *Theologiæ mysticæ* quasi *compendium* dilucidum, planum, copiosum, delectabile. Auctor hujus libri, qui vetustissimos, qui de hac scientia scripsere, affert testes simul ac recentiores, qui ad ejus tempora floruere, *similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.* (Matth. 13,52.) Scripsit quidem in primis pro sacra Carmelitana familia, cujus filii, ut dicit S. M. Theresia (Castell. animæ, mans. 5. cap. 1.): « omnes ad orationis et contemplationis studium vocati sunt. Hæc namque hujus instituti initia fuere; ab hac familia, a sanctis illis Patribus, montis Carmeli incolis, qui per tantam solitudinem et tam singularem mundi hujus despectum thesaurum et pretiosam hanc margaritam, qua de agimus, quæritabant, descendunt. » Et pergit S. Mater : « Ideo impense serioque Deum rogemus, ut, quoniam cœlo aliquatenus, adhuc in terra existentes, frui possumus, suam ipse nobis gratiam et favorem ad hoc concedat (ne nostra id culpa impediatur); ad hæc viam nobis demonstret, animæque vires addat, eatenus ut fodiamus, quoad usque absconditum hunc thesaurum inveniamus : cum certissimum sit, hunc intra nos latere. »

Non est autem dubium, quin hæc præclarissima monita S. Theresiæ ad sorores suas etiam omnibus aliis, qui vel in sacro recessu a sæculi vanitatibus segregati vel in vinea Domini constituti Deo deserviunt, maximam utilitatem ad suam aliorumque doctrinam possent affere. Quid enim honorificentius, quid magis proficuum, quid jucundius, quam adhærere Deo et vitam instituere quasi angelicam, ita ut dicere possimus cum Apostolo : « *Nostra autem conversatio in cœlis est* » (Philipp. 3, 20.)

Sed quia non omnibus fortasse arridet illud effatum libri Imitationis Domini Nostri Jesu Christi (lib. 1.cap.5.): « *Non quæras, quis hoc dixerit, sed quid dicatur, attende* », de auctore

hujus Directorii mystici pauca referre debeo. Collectio Scriptorum Ordinis Carmelitarum (auctore et collectore P. fr. Henrico, Savonæ, 1884.) de eo hæc habet : « Antonius a Spiritu Sancto, Lusitanus, natus in oppido Montis Majoris veteris (Monte Morovelho), Ullyssiponensis professus, theologus et concionator illustris, vir in omni genere disciplinarum peritissimus, sed humilitate clarior, Episcopatum Angolensem a rege oblatum, quantum potuit, recusavit, sed onus subire coactus, consecratus est, et accepta possessione, ibidem mortuus est circa annum 1677. »

Sed *Gams* (Series Episcoporun, p. 473) dicit, quod possessionem acceperit die 11 Decembris 1673, et quod elapso uno mense, nempe die 12 Januarii 1674, mortuus fuerit. *Directorium ergo mysticum*, quamquam ab Antonio nostro anno Domini 1672 conscriptum et Serenissimo Domino Petro, Lusitaniae et Algarbiorum Principi potentissimo dicatum, opus est posthumum.

Elenchus auctorum mysticorum Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, qui reperitur in operibus V. P. Thomæ a Jesu (Coloniæ Agripp. 1685, tom. 2. p. 195)hisce verbis auctorem nostrum commemorat : « R. P. Antonius a Spiritu Sancto, sacr. Theologiæ professor in suo Ullyssiponensi Collegio ac deinde regni Congensis in Africa Episcopus, edidit Lugduni anno 1677 sub titulo « *Directorium mysticum* » tractatus quattuor de mystica theologia, quibus complectitur, quidquid de hac mystica scientia pertractari solet. »

Scripsit autem Antonius a Sp. S. præter *Directorium mysticum : Directorium Confessariorum* (3 partes) ; *Directorium regularium, sive de privilegiis, obligationibus religiosorum ac de regimine prælatorum regularium ; consulta varia, theologica, juridica et regularia.*

Porro Directorium P. Antonii mysticum duabus vicibus in lucem prodiit, primo Lugduni anno 1677 ac dein Venetiis anno 1697. Hanc venetianam editionem fideliter transcripsi, indicem tamen verborum novum exarandum duxi. Anctorum locos plurimos ex ipsis fontibus probavi, et rejectis erroneis testimoniis ea tantummodo pro certis assumpsi, quæ ipse apud auctores inspexi. Sed cum *ad tantam testium multitudi-*

nem singillatim adire nec omnino liceret nec luberet, sæpius locis allatis asteriscum (=*) apposui, quo significetur, quod eorum fidem in me suscipere noluerim, eo quod eos in respectivis libris vel ipsos libros in bibliothecis a me frequentatis non inveni. vel consultavi. Immo *Leandro, Ledesmæ, Palao, Planes, Olleme, Tancredi,* quorum opera mihi præsto non erant, hunc asteriscum apponere undique supersedi. Notas nonnumquam ad calcem adjeci. Locos ex operibus *S. M. Theresiæ et S. P. Joannis a Cruce* ex hispanico idiomate latinæ fidei reddidi. Denique omnem curam et diligentiam, ut puto, in eo collocavi, ut hæc nova editio accuratior et politior evadat,et nihil feci, quod Antonius a Spiritu Sancto, si hanc tertiam editionem curasset, non ipse fecisset.

Gratiam debeo in primis *RR. PP. Societatis Jesu in* Collegio Valkenbergensi in Hollandia, qui exquisitissima sua humanitate ac urbanitate in perquirendis et evolvendis libris me juverunt, et *R. P. Gregorio a S. Theresia, C. D.,* Lectori philosophiæ in Conventu Geleenensi, qui totus mihi aderat. Pater autem luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, qui voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus, (Jacob. 1, 17-18) benedicat librum istum, ut fructum afferat, et fructus ejus maneat.

Londini, in die Nativitatis Domini anni 1903.

P. Bernardus a Ss. Sacramento,
C. D.

PROLOGUS AUCTORIS

AD LECTOREM.

Aliquibus, Lector benevole, singulare videbitur, quod post tot Moralia conscripta calamum ad Mysticam Theologiam convertam ; sed necessarium fuit obedire mandato totius nostri capituli generalis celebrati anno Domini 1670, quod suo speciali decreto mihi præcepit, ut hoc *Directorium mysticum* inscriberem, ut scholasticis nostris in Collegiis Theologicis a deputato magistro dictaretur, et quamvis opus humeris meis impar judicaverim, obedientia fretus, quamvis invitus, suscepi et feliciter consummavi, quantum patitur tenuitas ingenii mei. Illud divido in quattuor tractatus. In primo de ipsa Theologia mystica breviter disputo ; nihil tamen, quod ad exactam materiæ notitiam necessarium fuerit, omittam ; in secundo de via purgativa ; in tertio de via illuminativa ; in quarto de via unitiva luculenter tractabo. In eis loquar non tam experientia aliquali triginta et octo annorum spatio comparata, quam ex Sacræ Scripturæ et Sanctorum Patrum authoritatibus, præcipue *D. Thomæ* et Seraphicæ Matris Nostræ *Sanctæ Theresiæ*, Theologiæ mysticæ magistræ insignis. Alios præcipuos Doctores referam, ut sunt *Dionysius dictus Areopagita, S. Bonaventura, S. Bernardus, Hugo et Richardus a S. Victore, Dionysius Carthusianus, Taulerus, Gersonus, S. Pater Noster Joannes a Cruce et noster Joannes a Jesu Maria, noster Thomas a Jesu, noster Philippus a Sanctissima Trinitate, P. Fr. Thomas a Vallgornera, Planes* et alii, quorum sententiis totum hoc mysticum Directorium elucidabitur. Dicitur autem hoc opus *Directorium*, quia præcipue ad nostros scholasticos instruendos dirigitur. Quodsi alii extranei hoc Directorio etiam dirigi voluerint, credo non a via perfectionis deviaturos, immo ad eum feliciter perventuros : hæc enim est via et directio certa ad summam perfectionem christianam. Licet autem sola via unitiva quasi proprie nomen Theologiæ mysticæ obtineat, toti tamen huic operi Directorii mystici nomen præfigitur, tum quia reliquæ viæ ad hanc

præcipue ordinantur, tum quia sæpissime Theologiæ mysticæ suavitas aliis viis etsi non perenniter, transeunter tamen admiscetur : solet enim Deus optimus Maximus incipientes aliquando tirones nec adhuc purgatos cælestium rerum contemplatione ac dulcedine abundantius perfundere, ut sic ad arduam crucis viam celerius percurrendam animentur. Materia est difficilis et obscura : in eo cogor alta edocere, sed doctis et indoctis scribo, capient aliquid singuli, maxime experti, quibus principaliter offero. Quodsi passim nostrorum Doctorum authoritatibus doctrinam traditam in hoc opere confirmo, hoc ideo facio, quia Nostrates mysticam hanc doctrinam ex proprio instituto profitentur, cum primarius nostræ regulæ spiritus circa contemplationem ac Theologiam mysticam versetur, ut dicitur in nostra regula : « *Maneant singuli in cellulis suis die ac nocte in lege Domini meditantes et in orationibus vigilantes.* » Faxit Deus, ut id, quod intendimus, in hoc opere consequamur. Vale.

CENSURA FR. DIDACI A SANCTO THOMA,

Vicarii Regalis Hospitii Sanctissimi Sacramenti.

De mandato nostri Diffinitorii generalis accurate, et summa voluptate legi librum, qui inscribitur : *Directorium Mysticum, Auth. R. P. F. Antonio a Spiritu Sancto, Lusitano Carmelita Discalceato : Tomus sextus.* Non semel, sed iterum atque iterum revolveram propriis Authoris præcedentes tomos : attamen illos curiositate, hunc sane obedientia. Invenio in omnibus eundem stilum, methodum, dispositionem, judicium, genium, et ingenium, comprehensionemque nostrorum temporum veterumque Authorum : argumentum sapientiæ superexcellentis ; quia, ut dixit Seneca (Ep. 20.) : « *Maximum hoc est et officium sapientiæ et indicium,... ut ipse ubique par sibi idemque sit :* Præsagium futurorum proventuum hujus tomi, scio enim (scit Deus, quod non mentior), ex doctrina præcedentium tomorum plures animas ex statu miserabili concubinatorum se transtulisse in statum conjugii legitimi : ex statu peccatorum se transtulisse in statum gratiæ. Majori ratione ex doctrina hujus sexti tomi religiosæ animæ se reponent in perfectionis statum ; hic enim viæ facillimæ ad prædictum statum reperiuntur.

De hoc sexto tomo audeo dicere, quod Claud. Mar. Vict. (Comment. in Gen. lib. I. Migne P. L. 61, p. 942) de mundi creationis die sexto :

Primus enim meritis, postremus in ordine toto
Factus homo, ut sese rebus præstare creatis
Nosset. »

Hic tomus postremus in ordine, primus in meritis ;

Sextus, sed reliquis sese præstare creatis

noscamus, quia Author semper sui similis, semper primus, et singulis sine secundo primus. In sexto creationis die fuit innocentiæ status ; in hoc sexto tomo (Tr. 4. sect. 4. n. 435.) via aperitur, ut animæ privilegia status innocentiæ adipiscantur. In sexto die posuit Deus Adam et Evam in Paradiso : in hoc sexto tomo (Tr. cit.) via aperitur, ut animæ etiam in hac vita

Paradisum spiritualem possideant. In sexto creationis die fuit conjugium ex omni parte beatum, cui Pater Parochus, dexteralis Angelus, Divinitas pronuba, flammeum Flamen, dos Verbum : in hoc sexto tomo (Tr. 4. disp. 4. sect. 2.) via docetur et aperitur, ut Pater, Filius et Spiritus Sanctus simile conjugium cum animabus celebrent. In sexto die creationis habuerunt primi parentes felicitatem hujus vitæ : hic (Tr. cit.) aperitur via, ut homines in hac vita felicitatem consequantur. In sexto die exivit de latere Adæ innocens sponsa : in sexta ætate, altero sexto die exivit de latere Christi sanguis et aqua, Eucharistiæ scilicet Sacramentum, aqua, quæ lavat animas, sanguis qui animas impinguat : in hoc sexto tomo (Tr. ult.) via ostenditur, quæ efficit animam humanam unum cum Corpore Christi glorificato, lavando maculas et virtutum apicem communicando.

Ut unus liber prodiret in lucem, requirebat Horatius (De arte poet. 385) novem annos, in quibus a sententia judicis, ab amicorum consiliis, ab objurgatione Patrum codex limaretur :

...« *Si quid tamen olim*
Scripserit, in Mæci descendat judicis aures,
Et patris, et nostras : nonumque prematur in annum. »

Existimabat poeta in mente patris ad liberos intellectuales gignendos tot annos requiri, quot menses in utero matris ad liberos naturales :

« *Nonumque prematur in annum* ».

Paulo magis quam novem annis hic Author edit in lucem sex tomos, imprimit sex libros, gignit sex liberos intellectuales inter tumultus occupationum Archimandritæ Viennensis, Olissiponensis, Conciliarii Definitoris et Definitoris Generalis. Quæso : tot tomi, tot filii, tot libri, tot liberi, sunt liberi supernaturales, an præternaturales ? De hoc præsenti libro affirmo, esse supernaturalem, quippe qui viribus omnibus unionem intimam et supernaturalem cum Deo, cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento explicat. De cæteris tomis dicam, quod de Sancto Isidoro, Archiepiscopo Hispalensi dicit Ecclesia, de nostro Authore posse dici : Qui Deo student, nihil non proclive sentiunt, nihil frustra conantur, nihil non ex voto consequuntur.

Hunc librum legi et (dicam cum Joanne Apoc. 10. num. 10.) : « *devoravi illum ; fuit in ore meo tamquam mel dulce, et amaricatus est venter meus.* » Fuit tamquam mel dulce, quia legere tanta mysteria gustu pascit, et oblectat etiam insipientes, quia stulti et tardi corde erant discipuli in Emmaus pergentes, et tamen dicebant : « *Nonne cor nostrum ardens erat ?* » (Luc. 24.) Amaricatus est venter, quia amor proprius ut remora impedit, ne favorum, gratiarum et donorum in libro scriptorum suave mel consequar. Attamen in isto Directorio solatium invenio : quia si sum in via purgativa, animare me possum ad subeundam illuminativam et unitivam ; ad eas enim hic via est recta ac directa ac Directorium. Quare meretur, ut characteribus aureis imprimatur, de illoque dicatur, quod dictum est de Aen. Virg.

Laudetur, placeat, vigeat, relegatur, ametur.

Sub Censura in hoc Hospitio regali Sanctissimi Sacramenti Carmelitarum Discalceatorum hujus Civitatis Ulissiponensis.

Fr. Didacus a S. Thoma,
Vicarius.

CENSURA P. FR. FRANCISCI A SANCTA MARIA,

olim Theologiæ primarii Lectoris, nunc Rectoris nostri Collegii Carmelitarum Discalceatorum Conimbricensis.

Librum, cui titulus: *Directorium mysticum a R. P. Fr. Antonio a Spiritu Sancto*, olim Theologiæ moralis primario Lectore totius nostræ congregationis Hispanæ, Diffinitore generali, et nunc nostri conventus Ulissiponensis dignissimo Præsule feliciter elaboratum ex decreto nostri Diffinitorii generalis attente et summa voluptate perlegi, in quo nihil quod ad absolutissimam in hac re theologica nostri instituti propria scriptionem efficere possit, desiderare potuerim. Et, ut verum fatear, non sine animi stupore et applausu in admirationem rapi me video, dum hujus Authoris inter tot Ordinis functiones versantis considero et mecum expendo nobile et fœcundum ingenium, infatigabileque studium, quo (post tanta moralia, quæ edidit doctissima volumina) tam *artificiose, compendiose ac ordinate* ea nunc tradidit *mysticæ theologiæ*, quæ in aliis sparsim et confuse habentur. Potissimam vero hujus operis laudem esse censeam, *summam claritatem* : adeo namque sese feliciter explicat, stilum adeo facilem, non tumentem adhibet, adeo egregia methodo, eleganti ordine, res ipsas minus ordinis patientes disponit, ut nemo unquam verius sua scripta in lucem edidisse dici potuerit ; et si fas est, dicam, quod sanissimam doctrinam eructando sicut lux in tenebris lucet, lumen loquitur. Splendorem igitur emittat hoc præclarissimum astrum, ut omnibus lucem proferat mentibus, corda inflammet. Sic censeo, sic oro in hoc nostro Collegio Conimbricensi Excalceatorum Carmelitarum.

Fr. Franciscus a Sancta Maria,

Rector Collegii.

INDEX

TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, SECTIONUM ET PARAGRAPHORUM, QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

TRACTATUS I

DE THEOLOGIA MYSTICA.

DISPUTATIO I

De essentia, objecto et partibus theologiæ mysticæ.

Pag.

Sect. I. Quid sit theologia mystica. 1

II. Quodnam sit objectum theologiæ mysticæ. 8

III. Utrum in exercitio theologiæ mysticæ anima contemplativa tantum patiatur. 12

IV. Utrum in exercitio theologiæ mysticæ possit esse amor absque prævia cognitione. 16

V. Utrum in exercitio theologiæ mysticæ possit voluntas plus amare, quam intellectus intelligere. 20

VI. Quid significent aliquæ phrases et termini, quibus utuntur theologi mystici. 25

§ 1. Quid significet illud dictum Doctorum mysticorum : ingredi divinam caliginem, vel ascendere ad superessentialem divinarum tenebrarum radium. 25

§ 2. Quid significet illud dictum : in contemplatione silentium et otium tenere. 26

§ 3. Quid velint mystici dicere, quando dicunt, quod anima in statu unionis intimæ annihilatur et requiescit. 28

§ 4. Quomodo sint intelligendæ illæ phrases in statu intimæ unionis : Deus oscultatur et amplectitur animam et sponsalia et matrimonium init cum illa. 29
§ 5. Quomodo sit intelligenda illa phrasis : Anima transformatur in Deum. 31
§ 6. Quid intelligant mystici, nomine maculæ. 32
§ 7. Quid velint dicere mystici, quando dicunt, quod anima in intima unione cum Deo fruitur Deo, seu Verbo Sponso ipsius. 33
§ 8. Utrum in exercitio theologiæ mysticæ omnes animæ potentiæ sint Deo unitæ et æqualiter. 34
§ 9. Utrum eisdem mediis anima collocetur in exercitio theologiæ mysticæ. 35
§ 10. Utrum unio fruitiva, quæ in supremo gradu theologiæ mysticæ contingit, possit aliquando sine extasi contingere. 36
§ 11. Utrum anima pertingens ad hanc unionem fruitivam possit illam ita cognoscere, ut de illa non possit ullo modo dubitare. 37
§ 12. Utrum in hoc sublimi theologiæ mysticæ gradu quo ad unionem Dei fruitivam pertingit, anima reddatur certa, quod sit in statu gratiæ et in numero electorum. 37
Sect. VII. De partibus theologiæ mysticæ. 39

TRACTATUS II

DE VIA PURGATIVA ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ PROPRIA INCIPIENTIUM.

DISPUTATIO I

De purgatione activa partis cognoscitivæ.

Sect. I. De statu humanæ naturæ corruptæ et per Christi gratiam reparatæ. 47
II. De multiplici imperfectione incipientium. 51

III. De peccatorum et imperfectionum purgatione. 59
IV. De vitiorum purgatione. 61
V. De passionum moderatione. 70
VI. De passione amoris. 74
VII. De passione desiderii, seu concupiscentiæ. 76
VIII. De passione gaudii, seu delectationis. 78
IX. De passione odii. 80
X. De passione fugæ et abominationis. 81
XI. De passione tristitiæ et doloris. 82
XII. De passione spei. 85
XIII. De passione desperationis. 87
XIV. De passione audaciæ. 89
XV. De passione timoris. 91
XVI. De passione iræ. 94

DISPUTATIO II

De purgatione activa sensuum externorum.

Sect. I. De potentia visiva et de mortificatione illius. 97
II. De potentia auditiva et de illius mortificatione. 99
III. De potentia odorativa et de illius mortificatione. 100
IV. De potentia gustus et de illius mortificatione. 101
V. De potentia tactus et de illius mortificatione. 102

DISPUTATIO III

De mortificatione sensuum internorum.

Sect. I. De mortificatione sensus communis phantasiæ, seu imaginativæ seu æstimativæ. 103
II. Quomodo purganda sit memoria tam naturalibus, quam supernaturalibus notitiis distinctis. 107
III. Quomodo purgandus sit intellectus ab ignorantia vel siccitate. 115
IV. De purgatione propriæ voluntatis. 117

DISPUTATIO IV

De purgatione passiva partis sensitivæ.

Sect. I. In quo formaliter consistat purgatio passiva partis sensitivæ. 121
II. De causis purgationis passivæ partis sensitivæ. 123
III. De necessitate purgationis passivæ partis sensitivæ. 126
IV. De tædio, ariditate et desolatione, quæ reperitur in purgatione passiva. 130
V. De signis demonstrantibus purgationem passivam. 133
VI. De effectibus purgationis passivæ partis sensitivæ. 136
VII. Quomodo se gerere debeant incipientes tempore purgationis passivæ. 138

DISPUTATIO V

De diversis mediis, quibus perficitur purgatio passiva partis sensitivæ.

Sect. I. Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando tentatione contra castitatem. 140
II. Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando manifesta dæmonum tentatione. 141
III. Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando jactura bonorum fortunæ. 144

DISPUTATIO VI

De purgatione passiva partis intellectivæ.

Sect. I. Quid sit purgatio passiva partis intellectivæ. 146
II. De causis purgationis passivæ in parte intellectiva. 149

III. De motivis, ob quæ Deus inducit purgationem passivam partis intellectivæ. 152
IV. De effectibus purgationis passivæ partis intellectivæ. 155
V. De signis demonstrantibus purgationem passivam partis intellectivæ. 159
VI. Quomodo se gerere debeant, qui purgatione passiva partis intellectivæ exercentur. 162

DISPUTATIO VII

De variis mediis, quibus perficitur purgatio passiva partis intellectivæ.

Sect. I. Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando tentatione contra fidem atque tentatione desperationis. 165
II. Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando totali subtractione consolationis. 168
III. Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur pluribus aliis mediis. 170
IV. De tentationibus occasione purgationis passivæ exsurgentibus et earum remediis. 172

DISPUTATIO VIII

De medio, quo debeat fieri purgatio activa in parte sensitiva, quod est oratio, præsertim mentalis.

Sect. I. Quid sit oratio et quotuplex. 177
II. De præparatione ad orationem mentalem. 182
III. De lectione in ordine ad orationem mentalem. 184
IV. De gratiarum actione et oblatione. 186
V. De petitione. 187
VI. De meditatione. 190
VII. Meditatio est primus gradus ad ascendendum ad vitam contemplativam, tam secundum doctrinam Apostolorum et Sanctorum Patrum et gra-

vium Doctorum, quam secundum bonam philosophiam. 192
VIII. Quomodo debeat exerceri meditatio figurarum absque detrimento salutis et cum utilitate meditantis. 197
IX. Ex discursu imaginario nos debemus transferre ad ponderationem rei meditatæ. 199
X. Aliquando debet homo transire a ponderatione quieta rei meditatæ ad puritatem intellectivam contemplationis. 201
XI. Mysteria humanitatis Christi sunt principalis materia, circa quam debet exerceri materia meditationis. 203
XII. Meditatio debet ordinari ad mortificationem passionum et ad imitationem virtutum Christi Domini. 206
XIII. Lux quæ deservit meditationi naturali, ut perfecta sit, debet illustrari a supernaturali luce.
XIV. In meditatione multoties aperiendum est ostium intellectus luci divinæ ad ponderationem rei meditatæ. 209
XV. Quomodo debeat conformari intellectus rationi per fidem, ut lux divina possit illustrare meditationem. 212
XVI. Authores mystici cum proprietate vocant operationem passivam, quæ movetur ab illuminatione activa, et ab influentia divina. 214
XVII. De exercitio practico trium graduum, quibus fructuosa meditatio debet ad Deum ascendere. 216
XVIII. Meditatio, ut sit recta et conformis naturæ et vocationi Dei, debemus obedire patri spirituali, docto et experto. 218

TRACTATUS III

De via illuminativa animæ contemplativæ propria proficientium.

DISPUTATIO I

De illuminatione activa partis cognoscitivæ per contemplationem.

Sect. I. De proficientibus in via spirituali. 220
II. Quid sit contemplatio in communi. 225
III. Quænam dispositiones in subjecto requirantur ad vitam contemplativam. 226
IV. De proprietatibus et effectibus contemplationis. 228
V. Contemplatio dividitur in eam, quæ est philosophorum gentilium. 232
VI. Dividitur contemplatio fidelium in acquisitam et infusam. 234
VII. Quid sit contemplatio acquisita. 239
VIII. Quomodo contemplatio acquisita et infusa ab invicem differant. 239
IX. De contemplatione acquisita mediante lumine fidei. 242
X. Contemplatio acquisita dividitur in eam, quæ est per affirmationem. 246
XI. Dividitur contemplatio acquisita in eam, quæ est per ascensum, et in eam, quæ est per descensum. 248
XII. Contemplatio acquisita dividitur per tres motus, circularem, rectum et obliquum. 250

DISPUTATIO II

De illuminatione activa partis affectivæ per virtutum acquisitionem.

SECT. I. Virtutes sunt necessariæ ad acquirendam contemplationem. 253
II. Quid sit virtus. 254
III. De virtutum proprietatibus. 256
IV. De distinctione virtutum. 258
V. De virtutibus theologicis. 261
VI. De prudentia et partibus ejus. 266
VII. De justitia et partibus ejus. 270
VIII. De fortitudine et partibus ejus. 272
IX. De temperantia et partibus ejus 274
X. De subjecto virtutum. 277
XI. Non potest una virtus perfecte acquiri sine aliis. 279
XII. Simpliciter est necessaria charitas ad aquirendas et conservandas virtutes. 282
XIII. De multiplici medio ac modo acquerindi virtutes. 285
XIV. In statu viæ illuminativæ virtutes sunt in gradu superiori. 288
XV. Certis indiciis virtutes acquisitæ demonstrantur. 290
XVI. De devotionis exercitio quatenus conducit ad contemplationem. 292
XVII. Instructiones Directorum spiritualium sunt utiles ad ducendam animam ad contemplationem, si sint necessariæ, secus si sint superfluæ. 294

DISPUTATIO III

De illuminatione passiva, tam partis cognoscitivæ, quam effectivæ in contemplatione supernaturali et infusa.

SECT. I. Quid sit contemplatio supernaturalis et infusa. 300
II. De quattuor causis contemplationis infusæ. 303

III. De proprietatibus et effectibus contemplationis. 305
IV. Debent omnes ad contemplationem aspirare. 308
V. De mediis, quibus ad contemplationem pervenitur. 311
VI. Gratia contemplationis aliquando conceditur imperfectis, aliquando denegatur perfectis. 314
VII. Quid faciet anima, quando ab ea gratia contemplationis subtrahitur. 318
VII. Contemplatio supernaturalis ordinario miscetur imaginationi, licet aliquando aliter contingat. 320
IX. Aliquando in viris perfectis datur pura contemplatio sine concursu imaginationis.
X. Datur aliquando contemplatio perfectior in caligine divina. 326
XI. Contemplatio supernaturalis aliquando cum sensuum alienatione contingit. 329
XII. Contemplatio supernaturalis aliquando ad claram Dei visionem pertingit. 333

DISPUTATIO IV

De principio formali elicitivo et medio contemplationis supernaturalis.

Sect. I. Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est donum scientiæ. 336
II. Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est donum sapientiæ. 339
III. Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est donum intellectus. 341
IV. Principium formale elicitivum contemplatonis aliquando est altius donis Spiritus sancti. 344
V. Principium formale elicitivum contemplationis aliquando est lumen gloriæ. 347
VI. Multiplex est medium, in quo contemplatio supernaturalis perficitur. 350

DISPUTATIO V

De divinis visionibus, revelationibus et locutionibus etc.

Sect. I. De visione corporali rerum cælestium. 354
II. De visione imaginaria. 360
III. De visione intellectuali. 364
IV. De revelationibus supernaturalibus. 368
V. De divinis locutionibus. 372
VI. De divinis tactibus. 376
VII. Quomodo se gerere debeat anima in apprehensionibus supernaturalibus. 378
VIII. Quando apprehensiones supernaturales distinguantur veræ a falsis. 382
IX. Proponuntur alia signa ad distinguendas revelationes et visiones veras a falsis. 385
X. Prosequuntur signa ad distinguendas veras visiones et revelationes a falsis. 394
XI. Prosequuntur signa ad distinguendas veras visiones et revelationes a falsis. 400
XII. Quid debeat facere persona, quæ habet revelationes. 409
XIII. Quomodo se debeat habere confessor, seu persona, quæ habet revelationes vel visiones, vel alios favores spirituales. 412
XIV. Quomodo distinguendi sint raptus veri a falsis. 415

TRACTATUS IV

DE VIA UNITIVA ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ PROPRIA PERFECTORUM

DISPUTATIO I

De intima unione animæ contemplativæ cum Deo.

SECT. I. Datur actualis unio animæ contemplativæ cum Deo, quæ est fruitiva. 423

II. Quid sit actualis unio fruitiva animæ contemplativæ cum Deo. 427

III. Hæc unio animæ cum Deo declaratur similitudinibus et exemplis. 437

IV. Hæc actualis fruitiva unio animæ contemplativæ cum Deo divitur in ebriam et sobriam. 441

V. In hac actuali fruitiva unione animæ contemplativæ cum Deo consistit hujus vitæ felicitas et inchoata beatitudo. 444

VI. Debent omnes et maxime Deo specialiter unitæ animæ ad actualem fruitivam unionem cum Deo aspirare et attendere. 447

VII. Quæ necessariæ sint, tam præviæ, quam simultaneæ dispositiones ad prædictam unionem. 450

VIII. Quomodo se habeat intellectus in ordine ad intimam animæ unionem cum Deo. 454

IX. De oratione unionis. 459

X. De oratione recollectionis. 466

XI. De oratione quietis. 469

XII. De oratione raptus. 476

XIII. De oratione impulsus. 483

DISPUTATIO II

De effectibus intimæ ac præsertim fruitivæ animæ unionis cum Deo.

Sect. I. De effectibus unionis fruitivæ. 487
II. De effectibus orationis unionis activæ 490
III. De effectibus orationis impulsus. 492
IV. De effectibus orationis raptus. 494
V. De effectibus orationis fruitivæ. 497

DISPUTATIO III

De intima unione animæ contemplativæ cum Deo secundum partem affectivam in exercitio virtutum heroicarum.

Sect. I. De exercitio fidei heroicæ. 499
II. De exercitio spei heroicæ. 502
III. De exercitio charitatis heroicæ erga Deum et erga homines. 504
IV. De exercitio religionis heroicæ. 509
V. De exercitio resignationis heroicæ, seu conformitatis omnimodæ cum divina voluntate. 511
VI. De exercitio humilitatis heroicæ. 513
VII. De exercitio heroicæ obedientiæ. 515
VIII. De exercitio observantiæ regularis heroicæ. 518
IX. De exercitio puræ intentionis heroicæ. 520
X. De heroico mundi contemptu et heroica vitæ austeritate. 521
XI. De exercitio heroicæ castitatis. 524
XII. De exercitio paupertatis heroicæ. 527
XIII. De exercitio heroico modestiæ. 530
XIV. De exercitio heroico silentii. 533
XV. De exercitio patientiæ heroicæ. 537
XVI. De exercitio heroicæ mansuetudinis. 539
XVII. De exercitio prudentiæ heroicæ. 541
XVIII. De exercitio justitiæ heroicæ. 544
XIX. De exercitio misericordiæ heroicæ. 547
XX. De exercitio simplicitatis heroicæ. 548

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

DISPUTATIO IV

De speciali unione animæ cum Deo, tam secundum partem cognoscitivam, quam secundum partem affectivam in matrimonio spirituali.

SECT. I. In statu unionis intimæ Deus unit sponsalia cum anima. 551
II. De altissimo gradu orationis, qua anima unitur Deo in matrimonio spirituali. 557
III. De gradibus, quibus anima ascendit ad matrimonium spirituale. 570
IV. Utrum unio actualis aliquando concurrat cum unione habituali in matrimonio spirituali. 577
V. Utrum in statu perfectissimo matrimonii spiritualis unio per intellectum et per affectum continua et minime interrupta regulariter contemplativis concedatur. 585
VI. An hæc unio de facto sit concessa aliquibus privilegiatis. 589
VII. Utrum anima in ista unione actuali habeat aliqua privilegia. 592
VIII. An animæ perfectorum contemplativorum vel unitorum sint exemptæ ab imaginibus, vel etiam a passionibus perturbantibus intellectum in cognitione, vel voluntatem in amore. 597
IX. An contemplativi unione contemplationis decorati carere possint peccatis venialibus. 600
X. An anima contemplativi uniti in ipsa contemplatione discurrat. 602
XI. Non sunt judicandi mali spiritus effectus supernaturales, quos novi contemplativi habent in oratione ex eo solum, quoniam perfecte in omnibus non operantur. 604
XII. An anima, dum est in consummatione contemplationis, libere, an necessario operetur, nempe intelligendo et volendo quod Deus vult. 610
XIII. Utrum animæ hujusmodi contemplativorum uni-

torum ita uniantur Deo, ut sint exempti ab omnibus virtutum actibus exercendis et ab obedientia mandatorum Dei et Ecclesiæ. 612

XIV. An otium sanctum contemplationis perturbetur ex occasione vitæ activæ insistendo saluti proximorum et ex recitatione orationum vocalium. 614

DISPUTATIO V

De sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quatenus est medium, quo celebratur matrimonium spirituale.

Sect. I. De unione reali, imediata, fruitiva et extatica, qua mediante celebratur matrimonium spirituale inter purissimas animas et Christum Dominum in Eucharistiæ Sacramento. 616

II. De unione Corporis Christi cum carne digne eum suscipientis. 632

DIRECTORIUM MYSTICUM

TRACTATUS I

DE THEOLOGIA MYSTICA

DISPUTATIO UNICA

De essentia, objecto et partibus theologiæ mysticæ.

SECTIO I

Quid sit theologia mystica.

SUMMARIUM

1. Ponuntur plures theologiæ mysticæ definitiones. 2. Quid sit theologia mystica, sumpta pro habitu, declaratur. 3. Quid sit sumpta pro actu formaliter. 4. Ponitur vera theologiæ mysticæ definitio. 5. Quid sit theologia mystica sumpta adæquate. 6. Theologia mystica principium habet in amore unitivo. 7. Donum sapientiæ producit actum contemplationis simul cum Dei auxilio, et quomodo ? 8. Charitas perfectior est fide et dono sapientiæ. 9. In quo consistat essentialiter theologia mystica, explicatur. 10. Qui actus concurrant ad theologiam mysticam, explicatur. 11. Theologia mystica est scientia de Deo. 12. Ponitur quædam objectio in contrarium. 13. Ponitur illius solutio et illius explicatio. 14. Theologia mystica dicitur sapientia, et cur ? 15. Theologia mystica in supremo gradu multum ad visionem beatificam accedit.

Multæ solent theologiæ mysticæ definitiones afferri. Gerson.(De mystica theologia speculativa, p. VI.cons. 28. Edit. Hagæ comit. 1748, t. III. p. 384. B.) sic eam definit : « *Est experimentalis* 1.

cognitio habita de Deo per amoris unitivi compl e xum, vel est sapida notitia de Deo, dum ei supremus apex affectivæ potentiæ realiter per amorem unitur ». Et hanc amplectitur N. Thomas a Jesu (de comtemplat. lib. 4. cap. 11.) Aliter eam definit idem Gerson. (Tract. 7. super Magnif. citatæ edit. tom. IV. p. I. p.341.) ubi ait : *Est experimentalis et gratuita unio seu collectio et exultatio humilium mente cordis sui cum Deo.* » Dionys. Carthus. (Elucidatio in S. Dionys. Areopag. De myst. theologia, art. 9. Coloniæ, 1556, pag. 647 ; nova editio operum Dionys. Carthus. vol. 16, pag. 491) dicit, *quod sit ardentissima divinæ caliginis intuitio.*

N. vero Joannes a Jesu (in schola orationis, tract. 12. n. 2.) eam definit : « *Est quædam altissima notitia vel cognitio experimentalis Dei per quamdam certam et supremam actionem voluntatis cum Deo consecuta.* Thomas vero a Vallgornera (in quæst. procemiali theologiæ mysticæ, art. 1.) eam definit : « *Est contemplatio perfectissima et altissima Dei et fruitivus ac suavissimus amor ipsius intime possessi.* N. tandem Philippus a Trinitate (in discurs. procemiali, art. 1. vers. Ex his) eam definit: *Est quædam Dei notitia per unionem voluntatis Deo adhærentis elicita, vel lumine cælitus immisso producta.* » Hæ sunt præcipuæ definitiones, quas inveni apud auctores. Ut autem ego, quid in hac re intelligam, a qua tota hæc materia dependet, aperiam, suppono, nos posse loqui de theologia mystica, vel sumpta pro habitu vel pro actu. His suppositis

Dico 1. Si theologia mystica sumatur pro habitu, non est proprie scientia prout scientia est habitus acquisitus, aut etiam infusus informis, sicut nec charitas ; sed realiter idem est ac præstantissimum donum Spiritus Sancti, quod sapientia nuncupatur, sumendo sapientiam, non prout est donum gratiæ gratis datæ, sed prout est donum gratiæ gratum facientis supernaturale infusum, charitati inseparabiliter unitum. Ita Fr. Philipp. a Trinitate (discurs. proœminali, art. 1. vers. Multæ solent.) Hinc fit, quod sicut donum sapientiæ realiter ac subjective est in intellectu, quamvis, quantum ad suum extrinsecum complementum, quod est ferventissimus amor, in voluntate ponatur, ita et mystica theologia. 2.

Dico 2. Si theologia mystica sumatur pro actu, consistit pro formali essentialiter et principaliter in actu intellectus, et vere dicitur cognitio et contemplatio, visio, intuitio, interiorque Dei locutio altissimi. Unde illi proprie convenit ultima definitio, quæ ponit theologiam mysticam in cognitione et notitia intellectus per unionem voluntatis Deo adhærentis elicita, vel lumine cœlitus emisso producta. Ratio est, quia theologia mystica apud omnes est scientia de Deo ; sed scientia essentialiter consistit in contemplatione sui objecti, et non in actu voluntatis : ergo in actu intellectus debet principaliter et pro formali et essentialiter consistere theologia mystica, et non in actu voluntatis. Confirmatur, quia principalis actus theologiæ mysticæ regulariter elicitur a dono sapientiæ, vel ab alio superiore lumine cœlitus emisso, ut 3. 4.

infra dicemus ; sed tam hoc lumen, quam hoc donum sapientiæ est in intellectu, utpote illius elevatio : ergo et actus principalis illius, qui est theologia mystica actualis.

5. Dixi *essentialiter, principaliter, et pro formali;* nam si theologia mystica sumatur adæquate, tunc est quædam Dei cognitio, connotans unionem animæ cum Deo felicissimam. Unde non est sola præcisa intellectus cognitio, seu contemplatio Dei altissima, sed est quædam Dei cognitio, quæ unionem, sive amplexum Dei comitatur, et quæ
6. ex illa oritur ; et quamvis principaliter et pro formali consistat in hac Dei cognitione, principium tamen habet et causam in amore unitivo et perceptione Dei experimentali, ex qua veluti a fonte, ubi divina suavitas gustatur et æterna felicitas prælibatur sapidissima ac divinissima Dei oritur contemplatio, quæ mystica theologia appellatur. Ita Fr. Thomas a Jesu (de contemplatione divina lib. 5. cap. 11. vers. In quibus Dionysii) ; Leander (*in luce mirabilium, de theologia mystica, in fine n.7.) ; Fr. Philipp. a Ss. Trinitate (discursu proœmiali art. 1. verb. theologia mystica) ; Vallgornera. (*q. proœmiali, art. 1. n.6) : quidquid in contrarium dicant Fr. Joannes a Jesu (in schola orationis, tract. 12. n. 4.) et Olleme (*in thesauris Dei, tract. unico, n. 66.) et alii.

Pro cujus tamen majori dilucidatione sciendum est, quod cum quis est in gratia Dei, inter alia bona spiritualia possidet donum sapientiæ, quod
7. est in intellectu. Hoc autem donum sapientiæ simul cum intellectu et cum speciali auxilio,

quando Deo placet, producit quemdam actum nobilissimum intellectus, qui dicitur contemplatio, qui actus non est cognitio ordinaria Dei, sed extraordinaria et adeo efficax, ut terminetur in affectu, producendo quoddam divinum incendium in voluntate, ut notavit D. Thomas (1. p. q. 43. art. 1.), ubi loquendo de missione invisibili Filii Dei, dicit, quod illa missio non sit in quacunque cognitione intellectus, sed solum in cognitione, quæ terminatur in affectu amoris. Voluntas igitur cum hac notitia bonitatis et aliarum perfectionum divinarum a charitate inflammata producit quemdam actum ardentissimum amoris, qui actus superior est omni actu intellectus, siquidem procedit a charitate, quæ 8.
perfectior est fide, et dono sapientiæ, quæ sunt in intellectu. Quando ergo voluntas ita est inflammata, Deus eam ad se attrahit cum quadam dulcedine ineffabili, et eam amplexatur et deosculatur cum quodam cœlestiali amore et divina dulcedine. Post hanc autem Dei cum anima realem unionem et experimentalem dulcedinem et gustum divinum format intellectus quamdam notitiam de Deo clariorem et sublimiorem, quam illa, quam antea habebat. In hac igitur notitia 9.
intellectus consistit principaliter theologia mystica.

Dixi *principaliter;* nam ad theologiam mysti- 10.
cam tria concurrunt, scilicet experimentalis illa Dei gustatio, quæ est actus voluntatis; nam ut ait D. Thomas (1. 2. q. 11. art. 1 ad. 1.), fruitio est actus voluntatis, concurrit etiam contemplatio,

quæ præcedit hanc notitiam experimentalem, et tandem illa contemplatio, quæ sequitur illam Dei notitiam experimentalem. Non igitur in illa notitia experimentali formaliter consistit theologia mystica ; nam licet illa notitia experimentalis sit perfectior et sublimior omni actu intellectus, siquidem procedit a charitate, quæ magis elevat voluntatem, quam fides vel donum sapientiæ vel alia dona Spiritus Sancti elevant intellectum, attamen non in illo actu potest formaliter consis-
11. tere theologia mystica, quæ est scientia de Deo, sed necessario debet consistere formaliter in illa contemplatione, quæ consequitur ad illam Dei fruitionem et amplexum, supponit tamen illud ut connotatum essentiale. A quo autem principio iste ultimus contemplationis actus effective procedat, infra dicemus ; sæpe enim ab altiori principio, quam sit donum sapientiæ, procedit.

12. Dices, etiam in voluntate invenitur notitia experimentalis rei amatæ, ut notavit D. Thomas (2. 2. q. 172. art. 4. ad. 2.)ubi docet,amorem esse notitiam; cujus rei ea ratio esse potest,quia experientia idem est, quod notitia : ergo illa cognitio, quæ theologia mystica dicitur, non in illo actu intel-
13. lectus, sed in illo experimentali actu amoris ponenda est. Respondeo concedendo in voluntate reperiri notitiam experimentalem. Concedo etiam, amorem esse notitiam experimentalem, immo hæc cognitio experimentalis valde excellit Dei cognitionem, quæ sine amore et sapore invenitur ; adeo enim nobilis et pulchra est illa cognitio experimentalis ut de ea merito scripserit

Gulielmus Parisiens. (apud. Gerson. cap. 8 de Monte contempl.), quod inter omnia Dei opera nullum plus notificat et agnoscere facit Deum suamque bonitatem, quam ista delectatio, quæ cum spirituali placentia recipitur in anima, cum ipse Deus eam secrete visitat; et ex hac intima et fruitiva animæ unione cum Deo sequitur transformatio, sive liquefactio, ecstasis, sive defectio totalis potentiarum,et ad hanc sequitur absorptio omnimoda in Deum. Hac ratione D. Thomas et SS. Patres vocant illam cognitionem experimentalem contemplationem, ecstasim, raptum, liquefactionem, transformationem,unionem,exultationem,jubilum, rapi in divinam caliginem, gustare Deum, amplecti sponsum, osculari eum, gignere de Deo et parere Verbum, introduci in divina cellaria, inebriari torrente voluptatis, currere in odorem unguentorum suorum, audire vocem ejus, intrare in cubiculum, in pace in idipsum dormire et requiescere. Non tamen in ea cognitione experimentali, pro formali, consistit theologia mystica, ut diximus,sed eam ut connotatum essentiale præsupponit et ab ea tanquam a radice vel causa et fonte procedit, ut manet explicatum.

Dico 3. Theologia mystica merito dicitur sa- 14.
pientia, tum, quia sapientia dicitur quasi sapida scientia, et theologia mystica est sapida notitia de Deo, tum quia nomen sapientiæ convenit notitiæ primam simpliciter et universalissimam causam attingenti. Theologia vero mystica contemplatur Deum,primam simpliciter et altissimam causam, tum quia ut plurimum donum sapientiæ est prin-

cipium elicitivum actus contemplationis, in quo essentialiter constituitur theologia mystica. Dixi ut plurimum, nam perfectissimus actus, qui est supremus theologiæ mysticæ gradus, elicitur ab altiori principio, quam sit donum sapientiæ.

15. *Dico 4.* Contemplatio theologiæ mysticæ in supremo gradu multum ad divinam visionem accedit. Nam sicut ad visionem beatificam prærequiritur, ut Deus illabatur in intellectum lumine gloriæ dispositum ac elevatum, ut sic ipsum in tueatur immediate præsentem, et voluntas ei per amorem fruitivum suaviter adhæreat, sic ad contemplationem theologiæ mysticæ prærequiritur, ut Deus intime in animam illabatur et unia tur intellectus, vel media specie, vel immediate se ipso sicut in visione beata, sicut asserunt aliqui, ut sic intellectus ipsum intueatur immediate præsentem in caligine, et voluntas ei per amorem inchoative fruitivum aliqualiter adhæreat.

SECTIO II

Quodnam sit objectum theologiæ mysticæ.

SUMMARIUM

16. Duplex est objectum alicujus scientiæ, vel potentiæ, materiale, vel formale. 17. Quid sit objectum materiale? 18. Quid objectum formale? 19. Objectum formale, aliud est adæquatum, et aliud inadæquatum 20. In objecto formali invenitur ratio formalis, seu objectum formale, quod est ratio formalis sub qua. 21. Quid sit objectum formale quod in theologia mystica? 22. Quid sit ratio formalis sub qua? 23. Quid sit in ea objectum inadæquatum materiale? 24. Quid sit objectum adæquatum? 25. Theologia mystica non respicit in Deum sub eadem ratione ac Theologia scholastica.

26. Experientia sumitur per sensum, sed aliter de re præsenti, et aliter de re absenti. 27. Experientia est magistra intelligentiæ. 28. Quid sint effectus experientiæ ? 29. In corporalibus prius videtur et postea gustatur. 30. In spiritualibus prius gustatur et postea videtur. 31. Anima gustat per voluntatem amando. 32. Amor notitia est. 33. Amor non potest non videre quem amat.

Pro explicatione hujus sectionis notandum est 16.
cum D. Thoma (1.q. 1. art. 3. et 2.2.q. 1. art. 1.),
duplex esse objectum cujuslibet scientiæ vel po-
tentiæ, unum materiale, formale aliud. Objectum 17.
materiale est illud, circa quod versatur talis scien-
tia. Objectum vero formale est ratio illa, per quam 18.
objectum formale attingitur. Exempli gratia : in
potentia visiva objectum formale est color, seu
visibile; objectum vero materiale est omne illud
in quo invenitur ratio coloris, seu visibilis. Rursus
objectum formale ex D. Thoma (2. 2. q. 50. 19.
art. 3.) est duplex, unum adæquatum, seu
totale, et est illud, quod comprehendit omnia,
quæ in tali scientia tractantur ; aliud inadæqua-
tum, et est illud, quod solum comprehendit
aliquam partem objecti adæquati, non totum
objectum. In objecto formali duo reperiuntur ; 20.
primum est ratio formalis, quæ est res ipsa,
quæ per se consideratur a scientia. Dicitur etiam
ratio formalis *sub qua*, sive in esse scibilis ; vel
objectum formale *quod*, et est illud, sub quo
potentia, vel habitus attingit suum objectum *quod*.

Dico 1. Objectum formale quod, seu ratio for- 21.
malis quæ theologiæ mysticæ est divinitas, quia
theologia mystica est scientia de Deo. Objectum
formale, seu ratio formalis, sub qua divinitatem 22.
contemplamur, est lumen supernaturale, sive sit

donum sapientiæ, sive aliud eminentius. Objec-
23. tum vero materiale inadæquatum theologiæ mysticæ comprehendit tam Deum quam creatu-
24. ras, si seorsim sumantur. Objectum autem adæquatum est omne illud, quod sub divina et secreta revelatione cadit ac supernaturali contemplatione attingitur. Deus tamen est objectum principale ac primarium, cum ei divinitas principaliter, ac per essentiam conveniat, creaturis autem participative et minus principaliter, quia hæc scientia tantum eas considerat in ordine ad Deum, vel tamquam media, quibus ad Deum ascendit et tamquam effectus ipsius Dei.

25. *Dico 2.* Theologia mystica non respicit Deum ut objectum sub eadem ratione, qua theologia scholastica et sub ratione pure speculativa, sed
26. sub ratione affectiva et experimentali. Experientia autem de re sumitur per sensum, sed aliter de re præsenti et aliter de absenti ; de absenti per visum, odoratum et auditum ; de præsenti vero per tactum et gustum, sed per tactum de extrinseca præsente, per gustum vero de intrinseca. Deus autem intra nos est juxta illud Jeremiæ 14,9 : *Tu in nobis es, Domine.* Et ideo experientia divinæ bonitatis dicitur gustatio juxta illud Psalmi 33 : *Gustate, et videte.* Unde Hugo* dicit, non facit perfectum cognitio veritatis, nisi et habitus virtu-
27. tis in experientia subsequatur. Magistra enim intelligentiæ est experientia, quia jam non audiendo solum, sed gustando et faciendo didicit.

28. *Dico 3.* Effectus experientiæ est duplex, unus est certitudo intellectus, alius securitas effectus.

Quantum ad primum, dicit Psalmista : *et videte*.
In corporalibus namque prius videtur et postea 29.
gustatur, sed in rebus spiritualibus prius gustatur, 30.
postea autem videtur, quia nullus agnoscit, qui non gustat, et ideo prius dixit : *Gustate*, postea, *videte*. Exemplo hoc confirmatur ; nam si omnes homines dicant mihi, mel esse dulce, de hoc non habeo notitiam experimentalem, sed tantum fidem, vel scientiam, aut opinionem ; si gustus meus attingit mel, vel attingitur ab illo, tunc habeo notitiam experimentalem illius. Sic ergo est de gustu interiori ; nam si ego audio, quod dulcis est Dominus, propter hoc non habeo notitiam experimentalem, nisi gustus spiritualis attingatur a dulcedine divina, ita ut dicat cum sponsa: *Fructus ejus dulcis gutturi meo* (Cant. 2. 3.), ubi loquitur de gustu experimentali, et ita notitia experimentalis perfectissima est. Gustat autem anima per 31.
voluntatem amando et fruendo, quando per exercitium theologiæ mysticæ Deus sit ipse realiter præsens ac intime unitus. Unde dixit Augustinus (lib. 7. Confess. cap. 10.): *Amor ipse notitia est*. 32.
Et in alio loco ait: *Amor vehemens non potest non* 33.
videre quem amat, quia amor oculus est, et amare videre est. Quod verum est non tantum in sensu causali, quatenus amor movet amantem, ut perfectam rei amator notitiam acquirat, sed etiam in sensu formali, quatenus invenitur in voluntate notitia experimentalis rei amatæ, ut docet D. Thoma. (2. 2. q. 172. art. 4. ad 2.) et nos supra tetigimus.

SECTIO III

Utrum in exercitio theologiæ mysticæ anima contemplativa tantum patiatur.

SUMMARIUM

34. Anima in exercitio theologiæ mysticæ patitur. 35. Recipere est quoddam pati. 36. Actus theologiæ mysticæ procedit a principio formali elicitivo supernaturali. 37. Anima in exercitio theologiæ mysticæ non solum patitur,sed vere per intellectum et voluntatem operatur.38. Anima in exercitio theologiæ mysticæ vere intelligit et diligit. 39. Actus vitalis debet esse a principio se movente. 40. De ratione visionis est, quod sit actus vitalis. 41. De ratione actionis est, esse ab aliquo. 42. Ponitur quædam objectio, et solvitur. 43. Ponitur alia objectio, et solvitur. 44. Deus non potest per seipsum producere qualitatem supernaturalem,quæ est terminus actionis vitalis. 45.Potest producere qualitatem, quæ est principium visionis vitalis, qualis est habitus.46.Ponitur discrimen utriusque. 47.Cur dicatur anima contemplativa pati divina in exercitio theologiæ mysticæ.

34. Pro explicatione hujus sectionis notandum est, certum esse, animam in exercitio theologiæ mysticiæ pati, quia recipit dona supernaturalia et virtutes supernaturales. Et recipere est quoddam
35. pati in doctrina D. Thom. (opusc. 9. q. 38 et 1. p. q. 50. art. 2. et q. 75 art. 2). Quod confirmatur ex illo Pauli (Rom. 8, 14) : « *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* ». Probatur etiam ratione ; nam actus theologiæ mysticæ procedit a
36. principio formali elicitivo supernaturali ; sed hoc non est divinitus infusum in anima, quod passionem importat ; ergo anima in exercitio theologiæ mysticæ vere patitur. Difficultas igitur est, utrum anima in tali exercitio tantummodo patiatur, ita ut nihil omnino tunc operetur.

Dico. Anima in exercitio theologiæ mysticæ non solum patitur, sed vere etiam per intellectum et voluntatem operatur. Et relictis pluribus S. Scripturæ et Patrum authoritatibus, quibus hoc probari poterat, probatur ratione, quia in exercitio theologiæ mysticæ duplex invenitur actio vitalis, una ex parte intellectus essentialiter requisita, quæ est contemplatio, sive intuitio Dei, altera ex parte voluntatis, quæ est dilectio suavissima et fruitiva Dei ; sed tales actiones non possunt procedere nisi a principio intrinsece vitali : ergo anima eliciendo tales actiones non solum ab intrinseco patitur, sed vere intrinsece tamquam principium vitale per intellectum et voluntatem operatur. 37.

Confirmatur primo, quia anima contemplativa in exercitio theologiæ mysticæ vere intelligit et diligit, sed anima, dum intelligit et diligit, vere operatur ; ergo in exercitio theologiæ mysticæ non solum recipit, sed vere operatur. Major est certa, minor vero probatur ; quia tam intellectio, quam dilectio producit terminum vitalem, scilicet intellectio producit verbum mentis, quod est similitudo expressa rei intellectæ ; per dilectionem vero voluntas producit amorem, qui est impulsus, tam ab objecto, quam ab ipsa voluntate procedens, ratione cujus objectum amatum est in voluntate, quo impulsu voluntas complete inclinatur in bonum amatum. Atqui non potest intelligi vera productio termini absque operatione proprie dicta : ergo in exercitio theologiæ mysticæ anima non 38.

solum patitur, sed etiam active per intellectum et voluntatem operatur.

39. *Confirmatur secundo*, quia operatio et actus vitalis debet esse a principio se movente; sed operatio, quæ pure recipitur in aliquo, aut ei unitur, non est a principio se movente, sed tantum moto, utpote recipiente tantum : ergo non est actio vitalis, neque visio respectu talis intellectus, cui
40. communicatur, quia de ratione visionis est, quod sit actio vitalis, hoc enim est genus ejus.

41. *Confirmatur tertio*, quia de ratione generali actionis est, esse ab aliquo : ergo implicat quod dicatur anima operari per aliquam actionem, si illa non egrediatur a se, sed tantum recipiatur.

42. Dices, aliquos SS. Patres dicere, operationes supernaturales, quale est exercitium theologiæ, esse ab intrinseco : ergo anima in hoc exercitio solum patitur, et non operatur. Respondetur : operationes supernaturales esse ab extrinseco mediate, concedo ; immediate, nego. Hoc est, esse mediate ab extrinseco, quatenus principium intrinsecum, non potest illas elicere, nisi prius perficiatur et roboretur per aliquod extrinsecum, et in hoc sensu sunt intelligendi SS. Patres.

43. Dices, contemplatio supernaturalis non est de genere actionum, sed de genere qualitatis, quia non distinguitur realiter a verbo producto, quod vere est qualitas, et alias nullam secum affert actionem : ergo anima mere passive se habet recipiendo illam. Respondetur negando antecedens. Ad probationem respondetur negando, intellectum non distingui realiter a verbo producto ; et

dato, quod ab illo non distingueretur, adhuc necessario debebat a principio vitali procedere, sicut necessario procedit ab illo verbum. Non enim 44.
potest Deus quamcumque qualitatem supernaturalem immediate per seipsum producere, qualis est
illa, quæ est terminus actionis vitalis ; potest ta- 45.
men illam producere quæ est principium actionis vitalis, qualis est habitus virtutis.

Et ratio distinctionis est : qualitas supernatu- 46.
ralis, quæ est principium actionis vitalis, ex qua parte est supernaturalis, non potest acquiri viribus naturæ, sed debet divinitus infundi ; ex parte vero, qua est principium actionis vitalis, requiritur, et sufficit, quod recipiatur in potentia vitali et simul cum ea influat per modum totalis virtutis proximæ. Ad eam actionem supernaturalem, quæ a potentia vitali tamquam a virtute radicali suam habet vitabilitatem ; qualitas vero, quæ est terminus actionis vitalis ut talis, necessario petit procedere a potentia vitali. Et quamvis Deus possit immediate producere in intellectu creato aliquid, quod repræsentet verbum illud, tamen sic productum non erit verbum, sed solum species et similitudo formalis ; et idem dicendum est de inclinatione, quæ est terminus volitionis.

Unde anima contemplativa ideo dicitur pati 47.
divina in exercitio theologiæ mysticæ, tum quia recipit principium talis exercitii sive ut donum sapientiæ, sive aliud altius, tum quia ad id a Deo aliquando impellitur specialiter, tum quia quamvis anima sic a Deo applicata et elevata per principium supernaturale vere operetur per intellec-

tum contemplando et per voluntatem amando ; hujusmodi tamen operationes ita sunt suaves et pacificæ,quod anima potius dicatur recipere,quam agere ; vere tamen agit, licet tali suavitate et dulcedine, ac si prorsus nihil ageret, sed ab alio prædictos actus tantummodo reciperet ut recte cum N.V.P. Joanne a Jesu Maria notavit Fr. Philip.a Trin. (in discursu proœmiali, art. 3.). Adverte tamen, hæc deberi intelligi, quamdiu potentiæ, tam corporeæ, quam spirituales non suspenduntur vel ex propria debilitate, vel ex nimia suavitate recepta ; nam tunc nullum habent actum,sed jam tunc non sunt in exercitio Theologiæ mysticæ, ut bene notavit Fr. Philip. a Trinitate (L. c.).

SECTIO IV

Utrum in exercitio theologiæ mysticæ possit esse amor absque prævia cognitione ?

SUMMARIUM

48. In exercitio theologiæ mysticæ non potest dari actus amoris in voluntate, quin præcedat aliqua cognitio in intellectu. 49. Probatur ratione. 50. Ponitur quædam confirmatio. 51. Cognitio, quæ debet præcedere volitionem debet esse actualis, formalis, vel virtualis. 52. In ecstasi datur actus intellectus.53. Ecstasis formaliter est in intellectu, et solum causaliter in voluntate. 54. In mentis excessu non cessat intellectus ab operatione. 55. In raptu invenitur altissima contemplatio. 56.Nec de potentia Dei absoluta potest dari actus voluntatis absque prævia intellectus cognitione. 57. In divinis amor notionalis necessario et essentialiter supponit cognitionem notionalem.58. Voluntas essentialiter supponit intellectum. 59. Ad libertatem requiritur indifferentia ex parte objecti. 60. Non potest dari meritum sine cognitione. 61. Voluntas per se circa nullum objectum necessitatur in via. 62. Ponitur quædam objectio. 63. Ponitur illius solutio.

Dico 1. In exercitio theologiæ mysticæ non potest dari actus amoris in voluntate, quin præcedat aliqua cognitio in intellectu. Ita D. Augustinus (*10. de Trinit.), D. Thom. (1. 2. q. 27. art. 2.), N. M. S. Theresia (in vita sua, cap. 10.), Fr. Philip. a Trinit. (in discursu proœmiali, art. 4.), Fr. Thomas a Jesu (de contempl. divina, lib. 5. c. 13.), Fr. Joannes a Jesu Maria (schola orationis, tract. 12. n. 12.), Vallgornera (in quæst. proœmiali, art. 4.) contra non nullos aliquos antiquiores, qui contrarium minus docte asseverant. 48.

Ratio fundamentalis est, quia voluntas dicitur appetitus rationalis ; sed appetitus juxta Aristotelem (*6. Ethicor. cap. 2.) nihil prosequitur, vel fugit, nisi quod in cognitione fuerit. Unde appetitus sensitivus sequitur formam apprehensam per sensum, intellectivus formam apprehensam per intellectum : ergo sine prævia cognitione intellectus non potest dari actus voluntatis. Confirmatur ; quia objectum voluntatis est bonum apprehensum per intellectum : ergo sine cognitione boni non potest dari actus voluntatis. Unde licet ignotum possit sciri, non tamen amari ; unde ortum duxit illud proloquium philosophorum : Nihil volitum, quin præcognitum. 49. 50.

Dico 2. Cognitio, quæ debet præcedere volitionem, non sufficit, quod sit habitualis, sed necessario requiritur actualis, sive formalis, sive virtualis. Ratio est, quia, si sufficeret habitualis, sequeretur, quod etiam in dormientibus esset actus libertatis, quia in illis est cognitio habitualis. Sed hoc est falsum : ergo hæc cognitio intel- 51.

lectus debet esse actualis, sive formalis, sive virtualis, et non sufficit habitualis.

52. Hinc fit, etiam in raptibus vel ecstasibus dari
53. actum contemplationis intellectus, immo ecstasis et raptus formaliter non est nisi in intellectu et solum causaliter in voluntate, quatenus aliquando
54. ex vehementia amoris mens extra se fertur, non tamen in hoc mentis excessu intellectus cessat ab operatione, sed abstrahitur a consideratione objectorum sibi connaturalium, ut in objecta altiora et divina, et quæ pertinent ad Deum amatum, feratur. Quapropter hic amor solet appellari fervens per similitudinem ad fervorem aquæ, quæ
55. ebulliendo extra egreditur : unde in raptu ex parte intellectus invenitur altissima contemplatio, et ex parte voluntatis summa delectatio. Et hac ratione Paulus dixit, se raptum fuisse usque ad tertium cœlum, ratione scilicet contemplationis, et in paradisum, ratione summæ delectationis. Hinc etiam sponsa dixit (Cant. 5.) : « *Ego dormio, et cor meum vigilat* » : dormiebat præ dilectionis suavitate ecstasis et raptus ; et cor, hoc est, intellectus vigilabat per contemplationem summam. Unde etiam David dixit (Ps. 38, 4.): « In meditatione mea exardescit ignis », et (Ps. 67.) ait : *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu* », hoc est, ut ait Augustinus,* in summa mentis contemplatione. Non ergo dari potest actus amoris sine prævia actu intellectus.

56. *Dico 3.* Nec de potentia Dei absoluta potest dari actus voluntatis absque prævia cognitione intellectus. Ita D. Anselmus (in Monolog. c. 48).

et Vallgornera (in q. procemiali, art. 4). Et ratio est, quia in divinis amor notionalis necessario 57.
et essentialiter supponit cognitionem notionalem, immo amor notionalis cognitionem essentialem : ergo inter utrumque est necessaria connexio etiam in creatis.

Confirmatur primo, quia ideo voluntas dicitur 58.
appetitus rationalis, quia voluntas essentialiter supponit intellectum, ergo etiam actus voluntatis necessario debet præsupponere actum intellectus.

Confirmatur secundo, quia, si voluntas de po- 59.
tentia Dei absoluta posset velle objectum incognitum talis actus, vel esset liber, et meritorius, vel necessarius ; sed neuter potest esse in via : ergo nullo modo, etiam de potentia Dei absoluta potest dari actus intellectus sine cognitione intellectus. Minor quoad primam partem patet, quia ad libertatem et meritum requiritur indifferentia ex parte objecti, sed hæc indifferentia non potest intelligi sine propositione ex parte intellectus, neque me- 60.
ritum, aut demeritum dari potest sine cognitione : ergo. Quoad secundam vero partem quod non posset talis actus esse necessarius saltem quoad exercitium, etiam liquet, quia voluntas per se 61.
loquendo circa nullum objectum necessitatur in via quoad exercitium, tam quia quidquid voluntas vult, vel est finis, vel est ad ea, quæ sunt ad finem ; sed ad quamcumque volitionem istarum supponitur motio metaphorica finis quæ consistit in hoc, ut finis cognitus excitet voluntatem ad amorem sui et volitionem mediorum : ergo.

Dices, Dionysium (in epistola ad Timotheum) 62.

asserere: « *Timothee amice, circa mysticas visiones forti contritione sensus derelinque et intellectus operationes et omnia sensibilia et intelligibilia, et sicut est possibile, ignote consurge ad ejus unionem quæ est super omnem substantiam et cognitionem*».Respondetur,Dionysium solum velle excludere ab anima, quam dirigit ad Dei unionem, sensitivam et intellectualem Dei cognitionem,quæ est per positionem et affirmationem earum perfectionum, quæ inveniuntur in creaturis, ac proinde distinctam et particularem ; non tamen vult excludere cognitionem ipsius,quæ est per negationem et remotionem earumdem perfectionum, ac proinde confusam et generalem,et hanc cognitionem appellavit Dionysius ignorantiam. Et idem dixit Deus M. N. S. Theresiæ in quadam revelatione, ut ipsa ait in libro vitæ suæ cap. 19. Nam cum illa scire vellet, quid in illa unione operetur intellectus, respondit illi Dominus, cum intellectus non posset comprehendere quod intelligit, est non intelligere, intelligendo taliter ; namque nimia claritate offuscatur intellectus, ut in altissima Dei cognitione videatur Deum potius ignorare, quam cognoscere ; cum tamen vere cognoscat.

63.

SECTIO V

Utrum in exercitio theologiæ mysticæ possit voluntas plus amare, quam intellectus intelligere.

SUMMARIUM

64. Intellectus et voluntas in exercitio theologiæ mysticæ simul concomitanter operantur. 65. In exercitio theologiæ mysticæ potes

voluntas plus amare, quam intelligere. 66. Probatur ratione. 67. Homo potest diligere, quidquid est in Deo, dilectione finita. 68. Quando Deus illabitur in voluntatem, quamvis cognitio Dei debilis sit, voluntas majorem notitiam illius acquirit, quam speculative noverat intellectus. 69. Intellectus non penetrat omnia, quæ sunt in Deo. 70. Cognitio, ut sit perfecta, requiritur, ut videat, quidquid est in objecto. 71. Ponitur quædam objectio. 71. Ponitur illius solutio. 73. Voluntas solum requirit præviam cognitionem objecti ut cognitionem sine qua non.

Pro explicatione hujus sectionis notandum est, 64.
quod intellectus et voluntas simul concomitanter operantur in exerticio theologiæ mysticæ ; eo ipso namque quod intellectus incipit, sequitur voluntas. An autem duæ hæ potentiæ pari cursu procedant, et æque inter se operentur in operis discursu, dubitant Doctores. Aliud aliqui affirmant, quos suppresso nomine refert F. Philip. a Trinitate (in discursu proæmiali ; art. 5.)

Dico tamen, in exercitio theologiæ mysticæ po- 65.
test voluntas, plus amare, quam intellectus cognoscere. Ita D. Thom. (1. 2. q. 27, art. 2 ad. 2). et ibi omnes Thomistæ ; Fr. Phil. a Trinit. (supra.), Fr. Thomas a Jesu (de divina contemplatione, lib. 5 cap. 13), Vallgornera (in quæst. proœmiali, art. 5.) Ratio fundamentalis est, quia po- 66.
test quis perfecte amari, quin perfecte cognoscatur : ergo potest plus voluntas diligere, quam intellectus intelligere. Antecedens patet ; nam ad perfectam cognitionem alicujus rei requiritur, quod homo cognoscat sigillatim quidquid est in re, sicut partes, virtutes et proprietates. Ad perfectionem vero amoris sufficit, quod res, prout est in se, apprehendatur et ametur ; sed Deus non potest perfecte cognosci sigillatim, quidquid est in

re in hac vita ab intellectu creato, bene tamen amare : ergo optime potest voluntas plus Deum diligere, quam intellectus cognoscere.

Minor quoad primam partem patet, quia cognitio, quam habemus in hac vita de Deo, est confusa et mere speculativa et non intuitiva : ergo numquam potest esse perfecta, sed semper est valde obscura et imperfecta. Quoad secundam vero partem etiam liquet,quia licet bonitas infinita Dei non possit diligi ab homine dilectione infi-
67. nita, potest tamen homo diligere quidquid est in Deo dilectione finita ; nam ad hoc, ut quis diligat totum, quod est in Deo, non est necesse, quod ejus dilectio adæquet infinitatem Dei,sed sufficit, quod, quantum est in se et in suo posse, diligat totum illud, quod est in Deo, juxta illud Deuteron. 6, 5 : « *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* » : ergo actus dilectionis intensior esse potest erga Deum, quam cognitio intellectus.

68. *Confirmatur primo*, quia, quando Deus illabitur in voluntatem, quamvis cognitio Dei debilis sit, tunc voluntas Deo adhærens per notitiam experimentalem et unitivi amoris amplexum majorem notitiam acquirit, quam speculative noverat intellectus : ergo actus amoris intensior esse potest erga Deum, quam actus cognitionis.

Confirmatur secundo, nam ex eo quod amor transformat amantem in amatum, facit amantem intrare ad interiora amati et contra, ita ut nihil amati amanti non remaneat non unitum. Sed intellectus solum contemplatur Deum in caligine
69. seu confusione et non penetrat omnia, quæ sunt

in Deo : ergo actus voluntatis intensior esse potest, quam actus intellectus.

Confirmatur tertio, quia, ut appetitus appetat totum, quod est in subjecto, sufficit, ut illud in confuso videat, inde enim latentia cupimus, licet latentia in se non videamus expresse, sed cognitio ut sit perfecta, requiritur, quod distincte videat 70.
quidquid est in subjecto : ergo intensior potest esse amor circa objectum ab intellectu propositum, quam cognitio, siquidem cognitio solum potest videre objectum imperfecte et in confuso, et voluntas perfecte amare quidquid etiam in confuso est in subjecto.

Dices : Tanta est voluntatis ab intellectu dependentia in esse, quam in operari ; sed non potest 71.
voluntas aliquid absolute velle, nisi præcedat cognitio intellectus : ergo nec potest voluntas aliquid velle, quin id cognoscat intellectus. Confirmatur, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, sic se habet magis ad magis : ergo sicut operari voluntatis sequitur ad operari simpliciter intellectus, sic magis operari voluntatis in amando ad magis operari intellectus in cognoscendo. Respondetur 72.
ad argumentum negando majorem, quoad modum operandi ; deinde conceditur minor et negatur consequentia. Nam licet voluntas, ut amet, necessario requirat, ut bonum amabile sibi proponatur ab intellectu, potest tamen illud bonum ab intellectu propositum voluntas plus amare, quam intellectus intelligere, nam intellectus, ut intelligat, debet penetrare et distincte cognoscere per

artes et proprietates objectum, voluntas verop potest illud etiam in confuso amare.

Deinde ad confirmationem negatur, quod sicut se habet simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis,quando dependentia solum est tamquam a conditione sine qua non, non vero essentialis. Nam licet voluntas non possit simpliciter amare aliquid absque eo, quod ab intellectu illi proponatur, potest tamen voluntas tale objectum amare, plus quam intellectus intelligere. Et ratio est, quia
73. voluntas solum requirit præviam cognitionem objecti, ut conditio sine qua non, ad ejus operationem ; posita tamen tali conditione, potest excedere in amando ex intima conjunctione Dei per intimum illapsum ac ejus vivifico tactu et per notitiam experimentalem se ipsa acquirere,et percipere, quam suavis sit Dominus. Nam supposita in intellectu cognitione confusa eorum quæ in tali unione voluntas degustat,ex illa propria sibi notitia potest in ferventissimum summi illius boni percepti amorem excitari et Deo specialiter movente in amorem illius amplius accendi, quam fuerit intellectus ejus cognitione perfusus et ab illo torrente voluptatis Dei inebriari juxta illud Psalm. 35. : « *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ et torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ* ». Et sicut, qui tenet os suum ad fontem vini, inebriatur, sic qui tenet os suum,id est,desiderium, ad fontem vitæ et dulcedinis, inebriatur, ut ait Paul.(1 ad Corinth.11): « *Alius autem ebrius est* », et sic inebriabuntur ; « *Quoniam apud te est fons vitæ* » (Ps. 35, 10.)

SECTIO VI

Quid significent aliquæ phrases et termini, quibus utuntur theologi mystici.

§ 1.

Quid significet, ingredi divinam caliginem, vel ascendere ad superessentialem divinarum tenebrarum radicem ?

SUMMARIUM

74. Quid significet, ingredi divinam caliginem ? 75. Excessus charitatis Dei super vires intellectus causat in eo caliginem. 76. Aliqua sunt invisibilia propter excedentiam. 77. Deus dicitur invisibilis propter excessum lucis.

Respondeo, hæc nihil aliud significare, quam 74.
accedere contemplationis causa ad illam lucem
invisibilem, quam Deus inhabitat, quæ propter
excellentiam et excessum charitatis suæ supra 75.
ivires intellectus creati causat in eo caliginem,
sive etiam tenebras per quamdam ejus offuscationem. Pro cujus explicatione notandum est, quod
aliquid est invisibile dupliciter, uno modo propter
se sicut opacum, alio modo propter excedentiam 76.
ejus sicut sol ab oculo noctuæ. Deus ergo dicitur
habitare in caligine Exodi 20, 21, quando Moyses
accessit ad caliginem, in qua erat Deus, non quia
in se non sit lucidum, nam ut ait Joannes (Ep. 1, 1.):
« *Deus lux est et tenebræ in eo non sunt ullæ* »,
sed propter excessum lucis, quo offuscando in- 77.
tellectum nostrum caliginem et tenebras in eo producit, sicut sol in oculo noctuæ.

§ 2.

Quid significet illud dictum Doctorum mysticorum, in contemplatione silentium et otium servare ?

SUMMARIUM

78. Quid significet silentium et otium in contemplatione? 79. Intellectus semper operatur etiam in ipsa quiete contemplationis. 80. Locutio et auditio non possunt fieri sine actu. 81. Charitas actibus et non habitibus augetur. 82. Ponitur quædam objectio et solvitur.

78. Respondeo, hoc sacrum silentium et otium contemplationis non importare suspensionem intellectus, quasi nihil omnino tunc operetur, ut aliqui attribuunt Taulero, sed excludere actus incitatos intellectus, quibus circa plurima turbatur et includit tantum actus suavissimos, quibus potius anima Deum loquentem auscultatur, quam ei loquatur, et quibus potius in ipso possesso quiescit, quam ad eum inquirendum laboret;
79. revera tamen intellectus semper operatur etiam in ipsa quiete, quia contemplari operari est. Quorum omnium ratio est, quia animæ contemplativorum in ipsa contemplatione cum Deo loquuntur, et a Deo etiam audiunt ; locutio autem
80. et auditio non possunt fieri sine actu, tum quia ex tali cessatione et suspensione actuum intellectus et voluntatis anima omnino esset otiosa et non mereretur, nec ex ea haberet aliquam utilitatem ;
81. nam charitas actibus augetur et non habitibus, vel cessatione ab actibus charitatis, ut notat D. Thom. (2.2. q. 24. art. 6. c. 3). Quando ergo mystici dicunt, in contemplatione dari otium et silentium,

sunt intelligendi quantum ad multiplicitatem, operositatem et tædium actuum intellectus, ut supra diximus, et quod actus voluntatis non sunt cum amaritudine et conatu in resistendo, sed omnes esse actus suavissimos, ut supra diximus, juxta illud Matthæi n. 5. 21 : « *Intra in gaudium Domini tui.* »

82. Dices, actus istos in anima præcedere locutionem Dei et manere interim ex dulcedine a Deo immissa et relicta ex præcedentibus actibus suspensam, donec Deus loquatur remanente anima in quodam silentio : ergo anima in hoc silentio non operatur. Respondetur negando antecedens, nam vel illud, quod relinquitur in illa suspensione, est actus primus, sive sit habitus, sive lumen, aut aliquid simile, vel est actus secundus : si esset actus primus, sequeretur, quod contemplatio esset diuturna et duraret per totam vitam ; si actus secundus, non potest intelligi, nisi quod sit actus intellectus vel voluntatis, et illa dulcedo relicta non pertinet ad contemplationem formaliter, siquidem non tendit in Deum sed in quoddam sensibile vel intelligibile sub ratione sensibilis, quod potest sensum demulcere, et non meretur talis dulcedo nomen contemplationis vel antecedenter vel consequenter ; dimanat namque ab illa secundum quod superiores vires redundant in inferiores.

§ 3

Quid velint mystici dicere, quando dicunt, quod anima in statu unionis intimæ annihilatur et liquescit ?

SUMMARIUM

82. Quid per annihilationem in statu unionis intelligatur, explicatur. 84. Quid intelligatur per liquescere in statu unionis ? 85. In quo consistat conformitas cum voluntate ?

83. Respondeo, non intelligi, quod anima sic destruatur, et nihil ejus remaneat, quomodo philosophi annihilationem intelligunt, sed solum intelligitur, quod tunc anima se ipsam despicit, sic sui obliviscitur et omnium rerum creatarum, ut lunlam earum memoriam, affectum et cognitionem apud se retineat solo contenta Deo, cui se totaliter
84. tradidit. Liquescit vero, quando justus per devotionem taliter liquescit, quod omnem duritiam indevotionis et obstinationis dimittit et in diversas virtutum imagines spiritus ipsam flectit ; nam sicut rosa posita in alembico (1) liquescit et resolvitur in fumum, qui tandem in aquam hominibus medicinalem distillatur, sic homo miseriarum alienarum ardore compunctus per compassionem resolvitur, et in aquam refrigerativam et lenitivam beneficiorum mutatur, in quantum aliis benefacit et subvenit, vel saltem piis compassionis lacrimis irrigat. Fit etiam animæ liquefactio per omnimodam ejus conformitatem ad voluntatem
85. Dei, quæ consistit in eo, quod ejus voluntas

(1) Alembic, verbum anglicum : Ambix, cucurbita, Destillier-apparat (Nota editoris).

penitus transfundatur in voluntatem Dei, quomodo ferrum igneum et candens igni simillimum fit pristina propriaque forma exuta.

§ 4

Quomodo sint intelligendæ illæ phrases in statu intimæ unionis: Deus osculatur et amplectitur animam et sponsalia et matrimonium spirituale init cum illa?

SUMMARIUM

86. Quid significetur per osculum Dei ad animam ? 87. Quid significetur per amplexum Dei ad animam ? 88. Quid significetur per sponsalia et matrimonium inter Deum et animam ? 89. Illapsus divinus non fit intellectui viatorum eadem perfectione, ac fit intellectui beatorum. 90. In quo differat desponsatio animæ cum Deo a matrimonio cum illo, declaratur. 91. Ponitur alia differentia. 92. Ponitur aliud discrimen.

Respondeo, per osculum significari summam 86.
quamdam suavitatem animæ a Deo infusam in divini Spiritus communicatione ; per osculum enim materiale, ex quo fit ista derivatio spiritus, seu halitus se suaviter osculantiam mutuo communicatur. Per amplexum autem significatur 87.
quidam tactus substantialis animæ a Deo factus, qui sapit æternæ vitæ delicias ; sponsalia vero et 88.
matrimonium tunc dicuntur, quando Deus, qui in essentia animæ residet, ineffabili modo menti purgatæ illabitur et se manifestat elevando quodam divino lumine intellectum, ut eum existentem sibique præsentem agnoscat, et voluntatem effective tangendo, ut Deum intime conjunctum ac animam deosculantem et amplexantem ardentissime amet ac amoris mutuo amplexu ei copu-

letur ac in illum omnino transformata et absorpta
89. eo dulcissime et suavissime perfruatur. Hic autem illapsus divinus non fit intellectui viatorum eadem perfusione, ac fit intellectui beatorum per intuitivam Dei visionem, sed tantum perrealem Dei præsentiam et unionem, non solum cum voluntate, ut aliqui volunt, sed etiam cum intellectu, ut dicemus infra Tr.4. disp. 1. sect. 2 verb. Dices, in fine.

Hæc igitur felicissima unio, in qua Deus degustatur, duplici gradu gaudet ; alter vocatur sponsatio spiritualis, alter vero matrimonium
90. spirituale. Differt autem sponsatio a matrimonio in majori vel arctiori unione. Nam in sponsalitio tantum est unio inchoata, in matrimonio vero est unio perfecta et firma, ut ait Vallgorner. (quæst. procemiali, art. 9. n. 49). In sponsalitio non continuo gaudet anima divina Dei præsentia, sed potest ab eo separari, immo sæpe separatur ; secus in matrimonio spirituali. Nam in illo semper Deus præsens est animæ, licet non semper clare ab illa videatur, ut quando duo sunt in quadam domo, si clauderetur fenestra, quamvis unus non aperte videat alterum, quem antea media luce videbat, aperte tamen intelligit, ibi esse præsentem ; sic ergo contingit in anima, quæ est conjuncta Deo per matrimonium spirituale.

91. Datur etiam alia differentia. Quia in sponsatione anima ex summa delectatione hujus unionis nihil omnino sentit, quia tunc omnes potentiæ consumptæ ac absorptæ manent ; in matrimonio vero aliter solet contingere, quia tunc Deus po-

tentias antea absorptas et ligatas solvit et permittit, ut anima percipiat atque intelligat aliquid de ineffabilibus bonis, quibus fruitur. Datur et aliud discrimen; quia in sponsatione communicantur 92.
animæ omnia dona et gratiæ mediis potentiis et sensibus; in matrimonio vero, cum matrimonium in centro animæ contingat, ibi immediate Deus se manifestat quadam intellectuali ac nobilissima visione, ut notavit M. N. S. Theresia Mansione 7. c. 2. Sed de his vide, quæ infra dicemus Tr. 4. disp. 3. sect. 1 et 2.

§ 5.

Quomodo sit intelligenda illa phrasis : anima transformatur in Deum ?

SUMMARIUM

93. Quomodo anima transformetur in Deum, explicatur. 94 Amor est transformatio affectus in rem amatam. 95. Amicus est alter ipse. 96. Qui adhæret Deo, unus spiritus est.

Respondeo, quod hæc phrasis non debet intel- 93.
ligi de transformatione propriæ naturæ in divinam, hoc enim est impossibile, sed per remotionem propriæ naturæ in perfecta participatione divinæ naturæ per eximium donum gratiæ sanctificantis. Nam sicut qui induit novam formam, vere dicitur transformatus in illam, sic justi et contemplativi, quia induunt gratiam, charitatem et dona supernaturalia, quæ quidem omnes sunt participationes divinæ naturæ, ideo dicuntur transformati in Deum; tum quia, cum in hac al-

tissima contemplatione maximo exardescant amore Dei, ideo dicuntur in Deum transformati ;
94. nam amor nihil aliud est, quam transformatio affectus in rem amatam, et per amorem amans fit unum cum amato, et ideo Philosophus (9.
95. Ethicorum) dixit quod amicus est alter ipse. Et Paulus (1. ad Corinth. 6.) ait : « *Qui adhæret*
96. *Domino unus spiritus est.* » « *Dicitur autem hæc unitas spiritus non tantum, quia efficit eam vel afficit ei spiritum hominis Spiritus Sanctus, sed quia ipse est Spiritus Sanctus Deus charitas, cum per eum, qui est amor Patris et Filii et unitas et suavitas et bonum et osculum et amplexus et quidquid commune potest esse amborum in summa illa unitate veritatis et veritate unitatis, hoc idem homini suo modo sit ad Deum, quod eum substantiali unitate Filio est ad Patrem, vel Patri ad Filium : cum modo ineffabili inexcogitabili que fieri mereretur homo Dei non Deus,sed tamen quod Deus est ex natura, homo ex gratia.* » (D. Bernard. de vita solit. ad Fratres de Monte Dei.)

§ 6.

Quid intelligant mystici nomine maculæ ?

SUMMARIUM

97. Quid per maculam mystici intelligant? 98. Intellectivæ et sensitivæ operationes perse impediunt se invicem. 99. Intellectus puritas quodammodo sensibilibus operationibus coinquinatur.

97. Respondeo, quod non solum intelligant maculam peccati,sed quemcumque defectum vel super-

abundantis cogitationis vel etiam nescientiæ. Ita D. Thom. (1. 2. q. 86. art. 1. et q. 89. art. 1.).Cujus dicti rationem affert D. Thom. (q. 13. de veritate, art. 4.)dicens : « Per se impediunt se invicem 98.
intellectivæ et sensitivæ operationes tum per hoc, quod in utriusque operationibus oportet intentionem esse, tum etiam, quia intellectus quodammodo sensibilibus operationibus admiscetur, cum a phantasmatibus accipiat, et ita ex sensibilibus operationibus quodammodo intellectus puritas 99.
inquinatur.» Cum ergo anima in illa unione divina divino fruatur intuitu, et cogitationibus rerum terrenarum ab hac unione distrahatur, ideo tales cogitationes maculæ et offendicula a mysticis reputantur.

§. 7.

Quid velint dicere mystici, quando dicunt, quod anima in intima unione cum Deo fruitur Deo, seu Verbo Sponso suo.

SUMMARIUM

100. In quo consistat fruitio, explicatur. 101. Non potest nostra voluntas quiescere, nisi in ultimo fine, qui est Deus. 102. In hac vita non potest dari fruitio perfecta. 103. Soli beati perfecte fruuntur. 104. Fruitio justorum in Dei unione non potest explicari.

Respondeo, quod fruitio in duobus consistit, 100.
scilicet in visione intellectus et in delectatione affectus. Unde dicit Augustinus : Fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata quiescit ; non 101.
potest autem nostra voluntas quiescere,nisi in ultimo fine,qui est Deus.Unde in hac vita non potest 102.
dari fruitio perfecta, quia non potest dari fruitio

perfecta, nisi etiam detur perfecta delectatio. Hæc autem esse non potest ante consecutionem finis, et ideo justus homo non perfecte fruitur,
103. sed soli beati, qui consecuti sunt finem vere et perfecte. Licet tamen fruitio justorum in illa Dei unione non sit perfecta, est adeo excessiva, ut explicari non possit. Unde dixit Bernardus (Ser-
104. mone 85. in Cantica) : *Si quis curiosius quærat a me, quid sit Verbo frui, quærat potius expertum, a quo id quærat.* »Non potest igitur verbis exprimi, quid sit Deo frui ; solum judicatur confuse, quod est in eo suaviter in hac intima unione possesso mirabiliter delectari.

§ 8.

Utrum in exercitio theologiæ mysticæ omnes animæ potentiæ sint Deo unitæ et æqualiter ?

SUMMARIUM

105. Aliquando in hoc exercitio theologiæ mysticæ omnes potentiæ animæ sunt Deo unitæ. 106. Aliquando solus intellectus et voluntas sunt Deo unitæ solutis aliis. 107. Quando dicantur omnes potentiæ Deo unitæ. 108. Non est semper æqualis unio intellectus et voluntatis cum Deo.

105. Respondeo, quod aliquando in hoc exercitio omnes potentiæ animæ sunt Deo unitæ, aliquando
106. vero solus intellectus et voluntas solutis aliis, quod sic declaratur : ex intimo Dei illapsu in intellectum et voluntatem tanto splendore divinæ lucis perfunditur intellectus, et tanto fervore divini amoris in Deum supra et extra se rapitur voluntas, ut tunc omnes potentiæ partis sensiti-

væ suspendantur, cum tamen intellectus et voluntas suas nobilissimas et suavissimas habeant operationes contemplationis et dilectionis, et in hoc sensu dicuntur potentiæ Deo unitæ, eo quod non 107.
habeant operationes dictam unionem impedientes, non enim possunt immediate Deo uniri, ut intellectus et voluntas, sed transacta unione suo modo participant aliquid supernæ dulcedinis ac fruitionis, quasi micas cœlestis illius convivii, et tunc dicitur unio totalis, quæ est quædam participatio æternæ gloriæ.

Contingit autem aliquando, quod non sit tantæ 108.
lucis splendor, nec tantus fervor divini amoris, ut sic fortiter intellectum et voluntatem Deo uniant, quod simul aliæ suspendantur potentiæ, vel quod perdurante intellectus et voluntatis unione, alia potentia, puta imaginatio, vel memoria solvatur, et tunc non ita quieta manet anima, nec æqualis est semper unio intellectus et voluntatis ; potest enim Deus inæqualiliter illabi in has potentias, aliquando magis in voluntatem per ardentiorem divini amoris fervorem et inde procedit inæqualis unio.

§ 9.

Utrum iisdem mediis anima collocetur in exercitio theologiæ mysticæ ?

SUMMARIUM

109. Ex diversis mediis anima collocatur in exercitio theologiæ mysticæ. 110. Aliquando ad illam pertingit ex consideratione creaturarum. 111. Aliquando ad illam pertingit per charitatem et fidem. 112. Aliquando absque suo conatu repente per raptum ad mysticæ theologiæ intuitum elevatur immensa pietate Dei.

109. Respondeo, quod diversis mediis in illo collo-
110. catur. Nam interdum ad illud pertingit ex creaturarum consideratione ; quidquid enim perfectionis divisim et imperfecte in illis est, eminentissime et cum excellentia penitus infinita reperitur in
111. Deo illarum creatore. Interdum ad illud pertingit per anagogicam illustrationem et pure intelligibiles formas per supernaturalia et divina charismata, per sapientiam unitivam, per charitatem flammigeram et fidem rationibus credendorum purificatæque mentis intelligentiam decoratam.
112. Interdum absque suo conatu repente ad mysticæ theologiæ intuitum raptum et ecstasim elevatur immensa Dei pietate per prævenientem gratiam ipsam activæ partis apicem ac intellectivæ potentiæ verticem immediate tangente, illuminante et inflammante, ut imbecillis creatura confestim deficiat a se ipsa ac super se mirabiliter in Deum transferatur.

§ 10.

Utrum unio fruitiva, quæ in supremo gradu theologiæ mysticæ contingit, possit aliquando sine ecstasi contingere ?

SUMMARIUM

113. Unio fruitiva, quæ contingit in supremo gradu theologiæ mysticæ de lege ordinaria, non potest fieri sine raptu. 114. Pars superior vehementer Deo intenta et attenta trahit ad se partem inferiorem. 115. Quando anima est in supremo gradu unionis cum Deo, fit in cœlo silentium quasi media hora.

113. Respondeo, non posse de lege ordinaria. Et ratio est, quia anima percipiens Deum intime illapsum divino conatu ac suavissimo amplexu præ amoris ac dulcedinis magnitudine et inten-

tione, sic ei per intellectum ac voluntatem adhæret, quod non possit naturaliter loquendo potentias inferiores non suspendere et a propriis abstrahere; pars enim superior tam vehementer Deo intenta 114.
et attenta ad se trahit inferiorem. Nam cum ejus virtus sit finita, quo magis uni attendit, eo minus alii attendit et dum uni sic vehementer attendit, nulli potest alteri per alias potentias attendere. Unde quando anima est in hoc statu, fit in cœlo silentium quasi hora dimidia, ut optime ait Richardus de S. Victore (*de gradibus violentæ charitatis.) 115.

§ 11.

Utrum anima pertingens ad hanc unionem fruitivam possit illam ita cognoscere, ut de illa non possit ullo modo dubitare?

SUMMARIUM

116. Anima pertingens ad hanc unionem fruitivam ita eam cognoscit, ut non possit de ea dubitare. 117. Deus hanc certutidinem realiter animæ sic unitæ communicat.

Respondeo affirmative. Nam in hujusmodi 116.
unione Deus interno tactu et amplexu percipitur et quodammodo palpatur ab anima et immensos divinæ gratiæ thesauros communicat. Quæ omnia 117.
manifeste videt anima maxime Deo tunc realis suæ præsentiæ certudine communicante.

§ 12.

Utrum in hoc sublimi theologiæ mysticæ gradu quoad unionem fruitivam Dei pertingit anima, reddatur certa, quod sit in statu gratiæ et in numero electorum?

SUMMARIUM

118. Quod anima sit in gratia et de numero beatorum, requirit Dei revelationem. 119. Status unionis fruitivæ exigit,quod Deus revelet animæ, quod sit in statu gratiæ et de numero beatorum. 120. Probatur ratione. 121. Transacta animæ fruitiva unione talis notitia recedit ab anima. 122. In hac vita semper Deus timorem sociat amori. 123. Ponitur quædam objectio et solvitur.

118. Respondeo, hæc non posse sciri sine divina revelatione. Iste tamen status exigit, ut Deus
119. eidem animæ revelet evidenter, quod sit in statu gratiæ et in numero electorum. Ita Laurentius Justinianus (Tract.de casto connubio verbi et animæ, cap. 25) et alii, cf.Fr. Philip. a Trinit.(discurs.
120. proœmial. art. 8). Ratio est, quia si inter amicos reperitur,ut quis alteri manifestet,eum in numero suorum electorum computari,quanto magis Deus, verus animæ sanctæ amicus. Tum quia absque clara prædictorum notitia vix concipi potest tam deliciosus ac gloriosus animæ sanctæ, qualis infra describetur, in hoc sublimi gradu theologiæ mysticæ, status. Licet tamen hæc vera sint, sæpe tamen contingit, quod transacto tam sublimi
121. theologiæ mysticæ exercitio talis notitia recedat ab anima, dum aliquando ejus dilectissimus Sponsus latet, tum ad fidelitatis ejus experimentum, tum ad meritorum augmentum, tum quia vult, ut juxta Apostoli instructionem cum timore
122. et tremore salutem suam operetur, in hoc enim mortalis vitæ exsilio semper Deus timorem sociat amori, ut sic anima amore mota ad Deum ferventer accedat, et sancto timore perterrita recedat
123. a malo. Nam licet in hoc sublimi statu, dum amor

est actu perfectissimus, timorem penitus excludat juxta illud Apostoli : « *Charitas foras mittit timorem* » (1. Joan. 4.), remisso tamen amoris tam perfecti actu solet aliquando redire timor, ut homo securius salutem suam operetur.

SECTIO VII

De partibus theologiæ mysticæ.

SUMMARIUM

124. Theologia mystica in triplicem gradum dividitur. 125. Declaratur primus gradus. 126. Declaratur secundus gradus. 127. Declaratur tertius gradus. 128. Hi tres gradus correspondent tribus viis purgativæ, illuminativæ et unitivæ. 129. His tribus gradibus correspondent diversa exercitia proportionata. 130. Si aliquis proficientium vel perfectorum forte inciderit in grave peccatum, non debet, relinquere sua exercitia, sed deplorato peccato redire ad sua exercitia. 131. Hæ tres viæ, licet sint tres, re ipsa sunt una, et cur ? 132. In omnibus his tribus viis illas habentes semper proficiunt. 133. In omnibus his viis purgantur imperfectiones. 134. Etiam in via purgativa et illuminativa illas habentes attendunt ad Dei unionem. 135. Aliquando permittenda sunt in incipientibus et proficientibus exercitia perfectorum per breve tempus, et quando ? 136. Perfecti aliquando solent facere maximas pœnitentiaset mortificationes. 137. Magistri spirituales debent attendere, ut sui discipuli non plus temporis insumant in via purgativa et illuminativa, quam opus sit. 138. Dari potest casus, quod aliquis, qui est in via purgativa, habeat majorem charitatem, quam ille, qui jam est in via illuminativa. 139. Dari potest casus, quod unus transeat ab statu gravissimi peccatoris ad statum viæ unitivæ. immediate absque eo quod transeat per viam purgativam vel illuminativam. 140 Hic casus non accidit absque miraculo.

Dico 1. Theologia mystica in triplicem gradum 124.
dividitur, juxta tres gradus charitatis, quos ponit
D. Thom. (1. 2. q. 24. art. 9.), et vocantur 125.
incipiens, proficiens et perfectus. Nam *in primo*
incumbit homini studium principale ad receden-

dum a peccato et resistendum concupiscentiis ejus, quæ in contrarium charitatis movent, et hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas est nutrienda et fovenda, ne corrumpatur. In isto gradu jam purgantur purgatione passiva partis sensitivæ et mens dicitur intrare aliqualiter divinam caliginem, et aliqualiter conquiescunt per amorem et contemplationem.

126. *Secundus gradus* est illorum, qui principaliter intendunt, ut in bono proficiant et in eis gratia per augmentum roboratur, qui gradus est proprius proficientium. Iste gradus perfectior est primo, quia non solum plena in divina caligine videntur mysteria, sed quia perfectius et perfectori modo videntur. Nam in primo gradu non ita clare et distincte, sed tantum transitorie videntur, sed in hoc secundo clarius et distinctius et pene habitualiter inspiciuntur et mens per affectum Deo firmiter ac suavissime adhæret.

127. *Tertius gradus* est illorum, qui Deo inhærent et Deo fruuntur, et est perfectorum, qui cupiunt dissolvi et esse cum Christo. In isto gradu mens totaliter transformatur per unionem affectivam et experimentalem fruitivam et realem, quantum præsens status hujus vitæ patitur, ita ut ex parte Dei oporteat concipere ipsius Dei in animam illapsum sive deosculationem et amplexum unitivum ; ex parte vero animæ unionem amoris et perceptionem fruitivam et suavissimam ipsius Dei. Ad hanc igitur osculationem sive amplexum et animæ fruitivam unionem resultat in intellectu altissima et perfectissima de Deo cognitio, in qua

ut supra diximus, formaliter consistit principaliter theologia mystica. Nec ex eo quod hæc mystica theologia hos tres gradus habeat, ideo triplex ponenda est illius definitio, sed illa, quam supra posuimus, sufficit et convenit omni statui secundum proportionem principaliter statui perfecto, minus principaliter aliis,et supra diximus.

Dico 2. Hi tres gradus theologiæ mysticæ cor- 128.
respondent tribus viis, quæ dicuntur purgativa, illuminativa et unitiva. Purgativa est incipientium,quorum studium est purgare animam a malis habitibus et appetitibus inordinatis vitæ transactæ. Illuminativa est proficientium, quorum studium principale est consequi virtutes cum amore et Dei cognitione. Unitiva est perfectorum, quorum principale studium est Deo vacare et cum eo uniri.

Dico 3. His tribus gradibus correspondent 129.
exercitia diversa proportionata principali studio cusjuscumque. Nam incipientibus conveniunt exercitia apta ad purgandam animam, ut est pœnitentia, oratio cum meditatione novitiorum hominis et de malitia peccati, procurando concipere divinum timorem. Gradui proficientium conveniunt exercitia apta ad illustrandam animam, ut sunt meditationes vitæ Christi et exercitium virtutum, quæ nos reddunt similes Christo. Gradui perfectorum conveniunt exercitia contemplationis et amoris Dei, usus orationum jaculatoriarum vel aspirationum cordis, quæ omnes res sunt unitivæ.

Dico 4. Si aliquis proficientium vel perfecto- 130.

rum in aliquod peccatum grave forte inciderit, non ob id debet relinquere sua exercitia, redeundo iterum ad statum incipientium, sed debet per aliquot dies suum peccatum deplorare et de eo agere pœnitentiam juxta consilium sui magistri spiritualis et iterum redire ad cursum suorum exercitiorum, quæ antea habebat. Ratio est, quia, qui hoc modo cadit, frequentius majori fervore surgit, quæ antea habebat, et quamvis peccaverit, non ob id perdidit habitus acquisitos virtutum, nec uno aut paucis peccatis acquisivit habitum peccandi, ad quem exstirpandum sit necessaria via purgativa. Quod confirmari potest exemplo sancti Petri et sancti Thomæ apostoli, qui non ex eo quod peccarunt, reliquerunt exercitium proficientium vel perfectorum. Tum quia tales lapsus sunt proficientibus vel etiam perfectis occasio melius proficiendi ; quæ sunt valde notanda.

131. *Dico 5*. Hæ tres viæ, licet sint tres, re ipsa sunt una, siquidem omnes ordinantur ad unum finem. Nam sicut charitas in incipientibus, proficientibus et perfectis est eadem, licet illam habentes diversa habeant exercitia, sic se habent hæ tres viæ purgativa, illuminativa et unitiva in hominibus contemplativis. Et sicut homo est idem, licet in infantia utatur lacte, in adolescentia vel juventute alio cibo, sic mystici se habent in hac theologia mystica. Nam alius est cibus incipientium, alius proficientium, alius perfectorum. Nam primi purgant peccata, et habitus malos expellunt ; secundi

acquirunt virtutes ; tertii Deo uniuntur per amorem.

Dico 6. Licet in omnibus his tribus gradibus illos habentes semper proficiant, hæc tamen nomina eis accomodantur juxta exercitia, quæ unusquisque habet ; cum hoc tamen stat, quod in omnibus his tribus statibus purgantur imperfectiones, quamvis purgatio sit propria viæ purgativæ ; et etiam in via purgativa et illuminativa incipientes et proficientes aliquo modo attendunt unioni Dei, quamvis hæc unio sit propria viæ unitivæ et perfectorum. Et ratio est, quia hi omnes amant Deum super omnia, siquidem sunt in charitate, quæ eos inclinat ad hanc unionem, et omnes, etiam perfecti habent aliquam imperfectionem, a qua debent semper purgari, quin desinant esse personæ perfectæ charitatis. 132. 133. 134.

Dico 7. Aliquando permittenda sunt incipientibus et proficientibus exercitia perfectorum per aliquod breve tempus, ut in die Natalis Domini et Spiritus Sancti, qui dies sunt dedicati amori Dei, qui est exercitium proprium perfectorum. Et ratio est, quia in his et similibus diebus convenit, quod incipientes omittant propria exercitia et exercitiis perfectorum accommodentur se ipsos conformando cum sanctæ Ecclesiæ spiritu, quæ tunc temporis tota Dei amore inflammatur. Et viceversa dicendum est de perfectis, nam hi etiam solent aliquando facere maximas pœnitentias et mortificationes et sua deplorant peccata, quasi ea numquam deplorassent, quæ sunt propria incipientium ; quæ omnia debet prudens confessor 135. 136.

attendere et disponere juxta cujuscumque capacitatem.

137. *Dico 8.* Magistri spirituales debent maxime attendere, ut sui discipuli non plus temporis in via purgativa et illuminativa insumant, quam opus sit, sed juxta profectum uniuscujusque debet illos facere transire de via purgativa ad illuminativam et ab hac ad viam unitivam. Unde postquam aliquis per aliquot menses sua peccata deploraverit, si jam ab habitibus malis videatur purgatus et in virtutibus appareat radicatus, debet ei consulere, ut transeat ad viam unitivam, dummodo non omnino omittat duas vias antecedentes, sed in eis magis perficiatur.

138. *Dico 9.* Dari potest casus, quod quidam incipiens et qui adhuc est in via purgativa, habeat majorem charitatem, quam ille, qui jam est in via illuminativa. Et ratio est, quia potest accidere, quod aliquis religiosus, qui ab infantia habitum suscepit, absque multitudine peccatorum, se viæ illuminativæ tradiderit et in ea tarde (1) procedat. Alius vero, qui postquam multa peccata commisdit, tactus dolore cordis intrinsecus habitum suscepit et nimio fervore et Dei amore suscepit viam purgativam, sed in hoc ratione nimiæ contritionis est major amor Dei, quam est in alio, qui tarde procedit : ergo aliquando unus incipiens potest majorem charitatem habere, quam aliquis proficiens, si tarde et cum multis venialibus procedit. Dicetur tamen, istum esse in via purgativa, al-

(1) Author dicit : tibie.

terum vero in illuminativa, quia iste adhuc habet habitus malos peccatorum, non vero alter; et licet habeat virtutes et illarum habitus infusos, non tamen habitus acquisitos, ut habet ille, qui jam est in via illuminativa.

Dico 10. Bene potest dari casus, quod unus transeat ab statu gravissimi peccatoris ad statum viæ unitivæ immediate, absque eo quod transeat per viam purgativam et illuminativam. Ita D. Thom. (1. 2. quæst. 112. art. 2. ad. 2.). Adverte tamen, quod hic casus non accidit absque miraculo, ut successit D. Paulo et aliis Sanctis. Hi tamen Sancti, quos Deus per speciale miraculum de statu peccatoris ad statum viæ unitivæ immediate transfert, in ipsa via unitiva exercent actus viæ purgativæ et illuminativæ ad acquirendas virtutes et detruendos habitus vitiosos, ut accidit in D. Paulo, qui de se ait : « *Castigo corpus meum.* » (I. Cor. 9. 27). 139.

TRACTATUS II

DE VIA PURGATIVA ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ PROPRIA INCIPIENTIUM.

Ad perfectam animæ purgationem plura requiruntur. Primo, purgare partem cognoscitivam, tum a peccatorum maculis et vitiorum dispositionibus ; secundo a passionum motibus ; tertio requiritur, ut etiam a pluribus licitis, quæ ipsam inutiliter occupare possunt, evacuetur. Quare prius in hoc Tractatu agemus de purgatione peccatorum ; secundo de vitiorum eradicatione ; tertio de passionum motibus ; postea de purgatione activa sensuum, tam externorum, quam internorum ; et tandem agemus de medio, quo id debeat fieri, quod est oratio, præsertim mentalis.

DISPUTATIO I

De purgatione activa partis cognoscitivæ.

SECTIO I

De statu humanæ naturæ corruptæ et per gratiam Christi recuperatæ.

SUMMARIUM

1. Condidit Deus hominem in gratia et justitia originali. 2. Peccavit Adam peccato superbiæ. 3. Per peccatum originale omnes

potentiæ anim remanserunt proprio ordine destitutæ. 4. Quomodo hæc vulnera per mortem Christi fuerint recuperata. 5. In regeneratione baptismi non in omnibus fuere perfecte hæc vulnera recuperata, sed solum in illis, qui viam crucis ingressi sunt. 6. Qui viam crucis non ingrediuntur, portem cognoscitivam ut plurimum corruptam habent. 7. Rari sunt etiam ex baptizatis, qui diversis vitiorum generibus non inficiantur. 8. Vitiorum habitus contrarius est naturæ rationali. 9. Peccator auxiliis divinæ gratiæ potest, si velit, bonum operari, quantumvis perversus. 10. Licet magna pars peccatorum pereat, multi Dei gratia adjuvante lumen veritatis respiciunt. 11. In his justificatis charitas statim conatur producere suos effectus. 12. Ponitur primus effectus charitatis in justificatis. 13 Ponitur secundus effectus charitatis. 14. Ponitur tertius effectus. 15. Charitas in incipientibus nutritur, in proficientibus roboratur, in perfectis perficitur.

1. *Dico 1.* Condidit Deus hominem in gratia et justitia originali cum omnibus virtutibus et donis supernaturalibus et omnibus habitibus naturalibus integris et perfectis. Nam, ut dicitur Eccle. 7: « *Fecit Deus hominem rectum*, » hoc est, taliter ordinatum, ut inferiora superioribus subderentur et superiora ab inferioribus non impedirentur.
2. Peccavit Adam peccato superbiæ, quatenus appetivit quoddam bonum spirituale supra suam naturam, ut notavit D. Thom. (2. 2. quæst. 163, art. 1), et D. Augustinus (In ep. S. Joann.
3. tract. 8). Per istud peccatum omnes potentiæ animæ remanserunt proprio ordine destitutæ. Nam ratio, in qua est potentia in ordine ad verum, cum suum ordinem amiserit, remansit plena ignorantia. Voluntas, in qua est justitia in ordine ad bonum, remansit plena malitia. Irascibilis, in qua est fortitudo in ordine ad arduum, remansit infirma. Concupiscibilis, in qua est temperantia in ordine ad delectabile moderatum ratione, remansit plena concupiscentia.

Dico 2. Quamvis Christus per suam mortem pretiosissimam hæc omnia vulnera reparaverit, hoc tamen fit secundum ordinem sapientiæ divinæ congruo tempore; oportet enim, quod ad immortalitatem gloriæ, quæ in Christo inchoata est et per Christum nobis acquisita, perveniamus conformari prius passionibus ejus. Unde oportet, quod ad tempus ejus passibilitas in nostris corporibus remaneat ad impassibilitatem gloriæ promerendam conformiter Christo. Unde licet in justificatione, quæ acquiritur in regeneratione baptismatis per infusionem gratiæ sanctificantis ac virtutum supernaturalium, prædicta quattuor vulnera aliqualiter reparentur, non tamen perfecte in omnibus, etiam ut patitur status præsentis vitæ, sed tantum in illis, qui viam crucis ingredientes ad statum perfectionis jugiter adspirantes pravas vitæ corruptæ inclinationes assidua mortificatione ac virtutum exercitio purgant densas mentis tenebras, perpetua rerum æternarum contemplatione illuminant et connaturalem voluntatis malitiam deponentes per intimum charitatis affectum Deo, summo bono ac ultimo fini, indeclinabiliter uniuntur. 4. 5.

Hinc fit, quod alii, qui hanc viam crucis non ingrediuntur, partem cognoscitivam, ut plurimum corruptam habent, ut dicitur Genes. 6 : « *Videns Deus, quod cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra.* » Nam cum homines solum Deum quærere deberent, et Creatoris, Redemptoris et benefactoris sui continua beneficia contemplari, 6.

de solis creaturis cogitant, alii namque de solis divitiis comparandis tractant, alii de corporis deliciis, alii de voluptatibus carnis, alii de falsis honoribus, alii de solis dignitatibus comparandis, alii, quomodo propinquis et carnaliter parentibus complaceant, alii de rebus inutilibus et curiosis :

7. unde admodum rari sunt etiam ex illis, qui consepulti sunt cum Christo per baptisma, qui diversis

8. vitiorum generibus non inficiantur. Nam licet vitiorum habitus naturæ rationali bonum honestum respicienti contrarius sit, sic eam deprimit et subjugatur, diabolo, etiam mundo et carne instigantibus, ut vix ad virtutis exercitium surgere possit. Nam ut ait Apostolus in persona peccatoris loquens : « *Non quod volo, facio*

9. *bonum, sed quo nolo, operor malum.* » Non quod absolute peccator auxiliis divinæ gratiæ non possit, si velit, bonum operari quantumvis perversus, sed quia vitia justo Dei judicio taliter hominem afficiunt, ut merito peccator, peccati captivus et absolute servus nuncupetur, cum nulla major servitus sit, quam servitus peccati, ut ait Augustinus (lib. 19. de civitate Dei, cap. 15) et D. Thom. (2. 2. q. 183, art. 7).

10. *Dico* 3. Licet major pars peccatorum, qui suis sceleribus computruerunt in sæculo, pereant, aliqui tamen exemplo boni latronis, Mariæ Magdalenæ, Divi Pauli et aliorum insignium peccatorum lumen veritatis recipiunt et se a peccatorum tenebris sedulo Dei gratia adjuvante denudant. Hi autem, cum jam in tenebris lumen veritatis adspiciant, Dei gratia sanctificante or-

nantur; quæ cum secum afferat simul omnes virtutes, charitas in eis suos statim conatur producere effectus. 11.

Dico 4. Primus *effectus charitatis* in hominibus justificatis est, ut homo a peccatis discedat, et ideo mens charitatem habens circa hoc maxime occupatur, ut a peccatis præteritis emendetur et a futuris præcaveat, et quantum ad hunc effectum dicitur charitas incipiens. Secundus effectus est, ut homo in bono proficiat, et quantum ad hoc, dicitur charitas proficiens. Tertius effectus est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhæreat, et hoc ad perfectam charitatem pertinet. Unde sicut in motu corporali videmus, quod primum est recessus a termino, et secundum est appropinquatio ad alium terminum, et tertium quies in termino, ita in hoc motu spirituali. Primum est, recedere a vitiis et peccatis, quod pertinet ad incipientes; secundum, virtutes acquirere, quod pertinet ad proficientes; tertium Deo frui et in eo per amorem quiescere, quod pertinet ad perfectos. Unde dici potest, quod charitas in incipientibus nutritur, in proficientibus roboratur, in perfectis perficitur, ut ex Augustino ait D. Thom. (2. 2. q. 24, art. 9). 12. 13. 14. 15.

SECTIO II

De multiplici imperfectione incipientium.

SUMMARIUM

16. Variæ sunt incipientium imperfectiones. 17. Quæ magis torquent, sunt peccata venialia. 18. Venialia maxime charitatis perfectionem et intimam cum Deo unionem impediunt. 19. Licet

venialia non tollant gratiam et charitatem, impediunt, ne homo cum Deo uniatur. 20. Qui desiderat ascendere ad Dei unionem et contemplationem, debet vitare venialia. 21. Rarus est vir sæcularis, qui ad unionem Dei ascendere possit. 22. Non solum venialia debet vitare, qui desiderat ascendere ad divinam unionem, sed etiam omnes imperfectiones. 23. Hæ imperfectiones reducuntur ad capita peccatorum mortalium. 24. Aliqui ex devotionis sensu, quem Deus in eis communicat, sumunt occasionem superbiendi. 25. Incipientes plures patiuntur defectus avaritiæ spiritualis, qui ibi enumerantur. 26. Incipientes plures luxuriæ defectus patiuntur, qui ibi enumerantur. 27. Isti motus sensualitatis in incipientibus proveniunt aliquando ex familiaritate cum personis spiritualibus. 28. Aliquando eo deveniunt dementiæ, ut calorem inhonestum excitatum a diabolo existiment esse ignem Spiritus Sancti. 29. Hæc frequens locutio et familiaritas est initium libidinis. 30. Incipientes plures habent imperfectiones iræ, quæ ibi enumerantur. 31. Incipientes quomodo deficiant in gula. 32. Defectus gulæ spiritualis enumerantur. 33. Incipientes plures habent defectus invidiæ. 34. Numerantur hi defectus invidiæ. 55. Incipientes plures habent defectus acediæ, quæ ibi enumerantur.

16. *Dico* 1. Cum septies cadat justus, ut ait Sapiens, non est credibile, quam variæ sint incipientium
17. imperfectiones. Quæ magis torquent, sunt peccata venialia, nam licet justi in gratia perseverent, non
18. est credibile, quantum peccata venialia charitatis perfectionem ac intimam cum Deo unionem impediant. Hinc in Canticis Canticorum dixit Spiritus Sanctus : « *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* » Hæc vinea, in qua per gratiam et charitatem Deus inhabitat, juxta illud Canticor. 8, 12 : « *Vinea mea coram me est* », morsibus vulpium parvularum demolitur. Nam licet venialia, et si plura, non tollant gratiam vel charitatem, eam perturbant, infrigidant et impediunt, ne homo cum Deo uniatur. Unde qui desiderant ascendere ad contemplationis viam et ad

Dei unionem, primum, quod debent facere, est, venialia vitare, nam hæc sunt quæ magis retar- 19.
dant hominem a divina unione, juxta illud Psalmi 48, 6 : « *Iniquitas calcanei mei circumdabit me* », hoc est peccatum veniale est murus et antemurale, quod me circumdat et impedit, ne ad veram cum Deo unionem ascendam. Debet 20.
igitur homo, qui veram contemplationem et cum Deo unionem desiderat, qualis est vir religiosus— sæcularis enim, cum mundi illecebris circumdetur, rarus est, qui expeditus ad hanc unionem 21.
ascendere possit — religiosus igitur, qui a sæculo abstractus est et Deo dicatus, debet ante omnia hæc venialia vitare.

Dico 2. Non solum venialia debet vitare, qui 22.
desiderat accedere ad divinum osculum et Dei unionem, sed etiam omnes imperfectiones. Has 23.
autem reduxit S. P. N. Joannes a Cruce *ad capita peccatorum mortalium*. Et quidem, *quantum* 24.
ad superbiam, ex devotionis sensu, quem Deus eis benigne communicat, ut a terrenis voluptatibus segregatos ad cœlestes delicias fortiter et suaviter alliciat, superbiendi sumunt occasionem, hanc prosperitatem suis meritis attribuentes. Unde alios facile despiciunt, quos externa devotione carere conspiciunt, eoque deveniunt superbiæ, ut asperrima virtutis exercitia subeant, ut appareant coram hominibus et ut in virtute aliis eminentes videantur : ex quo sequitur, quod confessarios quærant sui fastus approbatores et adulatores.

Unde hic illuc divagantur, donec tales inveniant, et summo studio devitant eos, quos suis

erroribus contrarios viam humilitatis docere conspiciunt.

25. *Dico 3. Quantum ad avaritiam spiritualem*, multi incipientium plurimos patiuntur defectus ; vix enim de spiritu divinitus concepto contenti sunt, et nisi favores cœlestes plena manu recipiant, tamquam a Deo relicti gemunt, sic apparentibus quibusdam inhærent devotionibus, ut ab illis dimoveri non possint, sic imaginibus Sanctorum, crucibus et reliquiis adhærent, ut semper ingentem illorum copiam habeant : unde devotionis accidentibus et non ejus substantiæ addicuntur ; quapropter his inhærentes numquam ad perfectionis culmen ascendunt, ut fecerunt sancti Patres, qui non curiosa et pretiosa, sed pia et modesta pietatis insignia habentes ad cœlestia facilius evolarunt.

26. *Dico 4. Quantum ad luxuriam*, etiam incipientes suos patiuntur defectus ; nam sæpe Deo permittente ad minus meritorum incrementum, motus carnis patiuntur, vel suggestione dæmonis, vel naturæ corruptæ incentivo ; immo sæpe contingit, quod in ipso devotionis et pietatis exercitio et ipso Sacramentorum usu motus aliqui sensualitatis in corpus redundent, maxime in natura debili. Ex naturali quippe connexione partis superioris et inferioris provenit, ut dum pars superior spiritualibus fruitur deliciis, pars inferior circa propria objecta sensualia frequenter excitetur ; ex sympathia namque utriusque provenit, ut una in alterius delectatione et pæna communicet modo sibi proprio et connaturali ; donec una totaliter

alteri subordinetur. Unde cum in principio vitæ spiritualis pars inferior non perfecte dominetur a superiore, sed tantum ab illa regatur, incipientes prædictos motus sensuales ad præsentiam delectationum spiritualium patiuntur, donec pars inferior perfecte a superiore totaliter dominetur.

Isti motus sensualitatis proveniunt etiam inci- 27.
pientibus *ex familiaritate nimia* cum personis spiritualibus, etiamsi a principio sit sancta ; nam ex nimia familiaritate incipit unus appetere alterius præsentiam corporalem, sicque spiritualis devotio paulatim convertitur in corporalem et carnalem. Unde quidam liquide dixit, quod hæc familiaritas incipit a *Credo in Deum* et terminatur *in carnis resurrectionem*, et quod pejus est, quod existimant hanc alterius memoriam et desiderium ex maxima charitate procedere. Sentiunt etiam in oratione mentali quandam vivam repræsentationem personæ alterius, et ad conspectum illius imaginis habent calorem quemdam excitatum a diabolo, et affirmant, esse ignem charitatis 28.
a Spiritu Sancto transmissum, volentem conjungere spiritum unius spiritui alterius vinculo charitatis, cum tamen sit ignis libidinosi amoris. Unde judicant, posse prolixius simul loqui atque in hoc tempus non perdere sed lucrari, et quærunt modos et cautelas mirabiles, ut simul frequenter colloquantur, allegantes, id sibi maxime prodesse, cum tamen hæc frequens locutio sit libidinis in- 29.
centivum, cui jam ratio et voluntas succumbit. Sed de hoc vide D Thom. in expositione secundæ ad Corinth. cap. 12. Nostrum Philippum a Trinit.

Tr. 1. de via purgativa, art. 4., Vallgorner. q.2. d. 1. art. 6. n. 110.

30. *Dico 5. Quantum ad iram*, multas etiam incipientes habent imperfectiones ; quidam enim prælibato rerum spiritualium gustu, dum se in cæcitatem et ariditatem reductos adspiciunt, præ angustia spiritus fastidientes, occasione qualibet oblata, in subitos iræ motus prorumpunt, et non solum aliis, sed sibi ipsis graves et quasi intolerabiles efficiuntur, maxime si ex naturali complexione flava bili abundent, contra omnes inquieto et indiscreto zelo facile irascuntur, et quasi essent regula virtutis, quoscumque delinquentes indebite reprehendunt, immo cum se parum in via perfectionis provectos inspiciunt, etiam contra se ipsos inordinata fervent ira. Unde de his dixit Psalmista (Psal. 36) : « *Desine ab ira, et derelinque furorem : noli æmulari, ut malignéris* ». Convenit igitur his, se ipsos, quamvis imperfectos, humiliter tolerare, a Deo remedium enixe postulantes pro viribus suæ perfectioni studentes.

31. *Dico 6. Quantum ad gulam*, incipientes deficiunt, quando spiritualibus deliciis in principio inescati, ut mundi deliciarum non recordentur, non puritati spiritus et veræ devotioni, sed tantum sensibili suo gustui incumbunt. Unde sibi magis, quam Deo placere student ; immo aliquando sine consilio indiscretas pœnitentias suscipiunt, et relicta voluntatis mortificatione corpus opprimunt, et viribus temere exhaustis omnino succumbunt et ad prosequendam virtutis semitam penitus inepti efficiuntur. His utilius foret, si sensibilibus

deliciis sobrie tunc utentes ad veram spiritus puritatem adspirarent, quæ in perfecta Directoris obedientia et in totali ad divinam voluntatem conformitate consistit et sic potius illis deliciis cum indifferentia et gratiarum actione sobrie uterentur, quam immoderato sensualitatis appetitu et damnabili proprietate fruerentur.

32. Aliqui, ut sentiant has sensualitates et dulcedines amoris, Superioris voluntatem ad suas inclinationes flectere student, unde coacte consentiens Superior, verius ipsorum voluntatem sequitur, quam ipsi præceptum obedientiæ exsequantur, et sic merito ipsis dicitur per Prophetam : « *In die jejunii vestri invenitur voluntas vestra* ». (Is. 58, 3). Quapropter maxima meritorum parte spoliantur. Alii dictis gustibus inebriati propriam non vident miseriam, cum Deo minus reverenter conversantur, faciliter ad sacram Eucharistiam sine Directoris consilio accedunt, suarum imperfectionum obliti, et eodem imperfecto procedendi modo se circa orationem exhibent, in qua solum gustum sensibilem totis viribus assidue procurant. Quod si eis, Deo sic disponente, deficit, angustia et mœrore in ea cæcitate afficiuntur, quasi debita essent devotione privati, cum tamen humiliter hæc deberent sustinere et se dignos æterna damnatione ob peccata sua confiteri. Unde sanctæ crucis asperitatem nec ultimis labiis volunt degustare, quod maximum affert vitæ spirituali nocumentum, cum perfectio in imitatione Christi consistat ; unde non vere perfectus est, qui non

potest dicere cum Apostolo : « *Mundus mihi crucifixus est, et ego mundo* ». (Gal. 6, 14.)

33. *Dico 7. Quantum ad invidiam*, incipientes multos habent defectus ; et primo, cum non sint cha-
34. ritate perfecti, maxime dolent, quod alii eis superiores sint in via spirituali, et dum eos laudari conspiciunt, invidia torquentur, livore tabescunt ac sæpe verbis et gestibus contradicunt, dolentes maxime, quod simili modo ab aliis non exaltentur et illis non præferantur, cum in omni perfectione singulares velint apparere. Hæc invidia quæ multum est damnabilis et contraria charitati, quæ non quærit, quæ sua sunt, sed quæ aliorum. Et licet æmulatio in virtute sit tanta, ut ait Apostolus : « *Æmulamini charismata meliora* » (1. Cor. 12), hæc non tristatur, ut invidia, sed gaudet de aliorum virtutibus, quas tamen imitari vel etiam superari desiderat, non ad captandas laudes humanas, sed ad habendam majorem cum Deo charitatis unionem. Unde N. M. S. Theresia solebat dicere, se libenter visuram alios in cœlo beatiores in gloria, non tamen in amore Dei ferventiores.

35. *Dico 8. Quantum ad acediam*, plures habent incipientes imperfectiones. Solent enim in rebus spiritualibus tædium et nauseam pati ; de omnibus ex proprio gustu velut ex prima regula judicant ; quæ ipsis multum arridenl, tamquam Deo gratissima amplectuntur ; quæ ipsis displicent, tamquam Deo displicentia semper abhorrent. Ex quo apparet, quantum veræ mortificationi contradicunt, quam docet Apostolus, dicens : « *Mihi*

vivere Christus est, et mori lucrum » (Philipp. I 21).

Hi sunt ordinarii defectus incipientium, quos nisi purgatione activa correxerint, vix aliquantulum in via perfectionis procedent.

SECTIO III

De peccatorum et imperfectionum purgatione.

SUMMARIUM

36. Deus prius dilexit nos,cum illius inimici essemus.37.Variis modis vocat Deus homines. 38. In his vocatis timor ordinarie præcedit, quo virtutis iter aggrediuntur. 39. Hic timor Domini est initium sapientiæ. 40. Qui ad semitam perfectionis a Deo vocatur, statim debet a corde suo peccata et imperfectiones evacuare. 41. Ut incipientes peccata mortalia evitent, debent gravitatem peccati mortalis cognoscere. 42. In quo consistat gravitas peccati mortalis. 43. Peccata mortalia et venialia distinguuntur essentialiter per ordinem ad objecta. 44. Imperfectio opponitur summæ perfectioni divinæ unionis. 45. Peccata purgantur per Sacramentum pœnitentiæ. 46. Peccata mortalia sunt materia necessaria, circa quam versatur pœnitentia,venialia vero sufficiens. 47. Materia proxima pœnitentiæ est confessio, dolor et satisfactio. 48. Verba absolutionis sunt forma. 49. Peccata etiam purgantur virtute pœnitentiæ et quomodo?

Dico 1. In hoc maxime relucet Dei misericor- 36.
dia quod cum inimici essemus et tot miseriis
implicati, ipse prius dilexit nos, vocando nos di- 37.
versis vocationibus : alios enim per se vocat ; alios
per Angelos ; alios per pastores ; alios per mira-
cula ; alios per flagella ; alios per prospera ; alios per
adversa. In his vocatis timor ordinarie præcedit, 38.
quo recenter justificati, propriæ perditionis timidi
et æternorum cruciatuum tenebris attoniti, virtu-

tis iter arduum aggrediuntur, obedientes Apostolo præcipienti, ut *cum metu et tremore salutem nostram operemur.* (Phil. 2, 12.). Hic timor Domini est initium sapientiæ, qui postmodum adveniente perfecta charitate recedit perfecta, quippe *charitas foras mittit timorem.* (1.Joa. 4, 18).

39.

40. *Dico 2.* Quisquis ad perfectionis semitam a Deo vocatur, statim a principio peccata et imperfectiones e corde suo debet evacuare, nam peccata mortalia tollunt gratiam, mortem inferunt, charitatem excludunt ; venialia et imperfectiones charitatis fervorem minuunt. Unde qui ad perfectionem pervenire desiderat, necesse est, ut non solum peccata, sed etiam imperfectiones evacuet.

41. Ut autem incipientes facilius peccata et imperfectiones excludant, debent gravitatem peccati mor-

42. talis cognoscere. Hæc autem formaliter sumitur ex aversione a Deo, ut ait D. Thom. (2. 2. q. 162. art. 6.). Hinc fit, quod gravitas peccati ex parte Dei est infinita, licet ex parte boni, quod corrumpitur, quantitas peccati finita sit. Circumstantiæ etiam aggravant peccatum, et gravitas peccatorum in proximum est per se ex majori nocumento. Ita D. Thomas (2. 2. q. 34. art. 4.).

43. *Dico 3.* Sicut peccata mortalia ex parte aversionis a Deo sunt æqualia, ex parte vero conversionis distinguuntur essentialiter per objecta magis aut minus difformia, sic peccata venialia distinguuntur per ordinem ad objecta graviora vel

44. leviora. Imperfectio vero, sive confundatur cum peccato veniali et sumatur positive pro actu defectuoso quoad substantiam, sive distinguatur a

peccato veniali et sumatur privative pro modali defectu actus debiti, puta pro carentia justæ intentionis vel alterius circumstantiæ concomitantis, opponitur summæ perfectioni unionis cum Deo, ad quam hujusmodi incipientes adspirant, unde etiam vitanda est.

Dico 4. Peccata purgantur per Sacramentum 45.
pœnitentiæ. Sunt autem peccata materia remota, circa quam versatur Sacramentum pœnitentiæ. Mortalia sunt materia necessaria, venialia suffi- 46.
ciens. Materia proxima est confessio, dolor et sa- 47.
tisfactio ; forma sunt verba absolutionis. Quo- 48.
modo autem hoc Sacramentum sit conficiendum, et quæ peccata in eo debeant confiteri, ut peccator recipiat gratiam sacramentalem, et de necessitate et utilitate hujus Sacramenti et de distinctione et gravitate peccatorum, vide quæ late dixi in nostro *Directorio Confessariorum*, Tractatu IV., ubi etiam invenies, quomodo peccata etiam purgen- 49.
tur per virtutem pœnitentiæ, quæ omnia libenter prætermitto, ne eadem repetam.

SECTIO IV

De vitiorum purgatione.

SUMMARIUM

50. Vitium est animæ pravæ dispositio. 51. Per actus pravos acquiritur paulatim habitus vitiosus. 52. Vitium opponitur virtuti contrariæ. 53. Vitium, quod est contra naturalia, est proprie et directe contrarium virtuti acquisitæ. 54. Virtuti infusæ opponitur contrarie contrarietate indirecta. 55. Ponitur quædam objectio et solvitur.

56. Major est contrarietas indirecta inter virtutem per se infusam et vitium contra supernaturalia, quam inter eamdem virtutem et vitium contra naturalia. 57. Sufficit,quod vitium quomodocumque contrarietur virtuti tam infuæ, quam acquisitæ, ut quilibet illud procuret eradicare. 58. Vitium est intrinsece malum.59. Vitium in esse vitii secundum quid pejus est ipso peccato. 60. Sunt multæ species vitii et plures quam virtutis. 61. *Fidei* opponitur infidelitas. 62. *Spei* opponitur desperatio et præsumptio. 63. *Charitati* directe opponitur odium Dei, alia vero plurima reductive, quæ ibi enumerantur , indirecte vero ei opponuntur cuncta vitia. 64. *Prudentiæ* opponitur generaliter imprudentia. 65. Numerantur vitia sub imprudentia contenta. 66. *Justitiæ* generaliter opponitur injustitia. 67.-75.Numerantur vitia sub injustitia contenta. 76.-78. Quæ opponantur *fortitudini* ? 79. Quæ vitia opponantur *temperantiæ*, tam in genere, quam in specie ? 80. Qui ad perfectionem ascendere desiderant, omnia vitia debent eradicare. 81. Non sunt omnia vitia simul aggredienda, sed singula seorsim. 82. Quid ad hoc faciendum sit ? 83. Quando cognoscat homo, vitia esse eradicata ? 84. Proponuntur ad id necessaria signa.

50. *Dico 1*. Sicut virtus est animæ optimæ optima dispositio, quæ bonum facit ipsam habentem et opus ejus perfectum reddit, quæ ex bonis operibus relicta ad bene operandum sic inclinat, ut bene operari sit ei quodammodo connaturale, sic *vitium est animæ prava dispositio ex peccato relicta et ad peccandum sic inclinans, ut male operari sit quodammodo ei connaturale et bene operari contra naturam esse videatur :* et sicut per actus virtutis acquiritur paulatim habitus virtutis qui radicatus in anima ad similes inclinat ac-
51. tus, sic per actus pravos et peccaminosos acquiritur paulatim habitus vitii, qui radicatus in anima, ad similes in specie inclinat actus iis,quibus fuit acquisitus, quamvis in modo sint dissimiles ; nam in principio cum aliquo horrore homo peccata committit, utpote rationi contra-

ria, postea vero ex mala consuetudine etiam hunc horrorem naturæ amittit, immo delectatione committit, quod antea difficile et horridum apparebat.

Dico 2. Vitium opponitur virtuti contrariæ. 52. Ita D. Thom. (1.2. q.71. art. 1.) Et ratio est, quia oppositio contraria est inter ea, quæ sub eodem genere maxime distant et ab eodem subjecto se mutuo expellunt. Sed hæ conditiones conveniunt virtuti et vitio, quæ sub genere dispositionis contenta maxime differunt et ab eodem subjecto se mutuo excludunt, juxta enim subjecti dispositionem vel vitium excludit virtutem, vel virtus vitium, ut fatentur omnes et experientia docet: ergo vitium opponitur virtuti contrariæ.

Dico 3. Vitium, quod est contra naturalia, est 53. proprie et directe contrarium virtuti acquisitæ. Virtuti vero infusæ opponitur contrarie contra- 54. rietate impropria et indirecta. Ratio est, quia illi tantum habitus proprie ac directe contrariantur, attenta ipsorum natura, qui habent objecta formalia proprie ac directe contraria; sed objectum formale vitii contra naturalia et objectum formale virtutis per se infusæ non sunt proprie ac directe contraria, quamvis materialiter contrarientur: ergo vitium contra naturalia non contrariatur proprie ac directe virtuti infusæ. Minor patet, nam vitium contra naturalia tendit ad suum objectum sub motivo supernaturali; sed objectum naturale et supernaturale non proprie ac directe contrariantur, cum sint in diverso ordine, et in eodem subjecto sunt incompatibilia: ergo vitium contra

naturalia non contrariatur proprie ac directe virtuti infusæ.

Quod autem contrarietur illi improprie et indirecte, etiam liquet, quia ad hoc sufficit, quod unum extremum sit per modum prosecutionis et alterum per modum fugæ respectu ejusdem objecti materialis, et insuper quod mutuo se ab eodem subjecto expellant per actus oppositos formaliter. Sed vitium contra naturalia et virtus per se infusa sic se habent, ut unum sit per modum prosecutionis et aliud per modum fugæ respectu ejusdem objecti materialis, ut ex se patet. Nam temperantia per se infusa prosequitur moderatam cibi sumptionem, quam intemperantiæ vitium refugit et insuper se mutuo indirecte ab eodem subjecto expellunt per actus aliquo modo oppositos. Nam virtus infusa tollitur indirecte per actum vitii contra naturalia per hoc, quod excluditur gratia sanctificans, si sit peccatum mortale, vel per hoc, quod subjectum disponitur ad actum vitii similis contra supernaturalia et simpliciter per infusionem gratiæ sanctificantis ac virtutum supernaturalium, debilitati remanent habitus vitiosi et sunt in via corruptionis : ergo vitium contra naturalia opponitur virtuti per se infusæ contrarie contrarietate impropria et indirecta.

55. *Dices.* Vitium contra supernaturalia contrariatur proprie virtuti infusæ : ergo corruit tota doctrina. Patet antecedens, quia sunt in eodem genere gratiæ et circa idem objectum formale. Respondetur negando antecedens. Ad probationem respondetur, non sufficere, quod sub eodem ge-

nere maxime distent et quod sint circa idem objectum formale, sed ultra requiri, quod ab eodem subjecto saltem materiali, se expellant. Manifestum est autem, non posse virtutem infusam, quæ a solo Deo in suo fieri et conservari dependet, corrumpi effective vel formaliter proxime ab ulla creatura, nec ab ea expelli, nec etiam virtus per se infusa formaliter, aut etiam per se effective vitium contra supernaturalia expellit, ut patet in plurimis Sanctis, verbi gratia in Maria Ægyptiaca, quæ post conversionem habebat gratiam copiosam cum virtutibus infusis in intenso gradu, et tamen in principio sentiebat vehementissimam intemperantiæ inclinationem ab habitu intemperantiæ procedentem ; sed contraria contrarietate propria et directa non possunt simul esse in eodem subjecto in gradibus intensis : ergo.

56. Adverte tamen, quod major est contrarietas impropria et indirecta inter virtutem per se infusam et vitium contra supernaturalia, quam inter eamdem virtutem et vitium contra naturalia. Nam licet in hoc conveniat vitium contra naturalia et vitium contra supernaturalia in ordine ad virtutem per se infusam, quod neutrum illam expellat nec ab illa expellatur proprie et directe ab eodem subjecto ; in hoc tamen differunt, quod vitium contra supernaturalia maxime distat a virtute per se infusa sub eodem genere, cum sint de eodem objecto formali, vitium autem contra naturalia non ita distat ab eadem virtute, cum sint tantum de eodem objecto materiali.

57. Sufficit tamen, quod vitium contrarietur quo-

modocumque virtuti tam infusæ, quam acquisitæ, et quod ad ejus destructionem et expulsionem cooperetur, suppositis etiam tot tantisque damnis ejus tum positivis tum privativis jam relatis et postmodum referendis, ad hoc, ut quilibet fidelis totis viribus procuret, quodcumque vitium eradicare ; sed ad hoc præcipue debet attendere, qui viam perfectionis ingressus pure desiderat vivere et Deo summe dilecto in omnibus placere.

58. *Dico 4.* Vitium est intrincece malum. Ratio est, quia vitium, de cujus ratione est inclinare ad actum dissonum rationi, aliud importat consideratum præcise quoad substantiam et entitatem vitii et aliud attentum in esse vitii moralis, seu sub statu et munere habitus vitiosi ; nam primo modo dicit inclinationem ad objectum dissonum, quantum est ex se difficile mobile, et in hoc essentia ejusdem sita est ; secundo vero modo importat eamdem inclinationem, non utcumque, sed per modum propensionis practicæ et expeditæ, de facilique reducibilis ad actum ; et insuper importat, ut ita fortiter ratione dictæ propensionis adhæreat suo objecto, ut quasi dominetur suæ voluntati sibique eam subjiciat in ordine ad illius prosecutionem. Hic enim est proprius status et complementum vitii, sub quo habituale munus vitii moralis exercetur, sed secundum omnes has rationes est intresece malum : ergo vitium est intresece malum. Quoad secundam vero partem etiam liquet. Nam ista propensio practica et expedita ad actum vitiosum importat actualem relationem disconvenientiæ ad naturam rationa-

lem hominis : ergo vitium tam secundum illud, quod importat in sua entitate, quam in suo complemento vel proprietate est intrinsece malum.

Dico 5. Vitium est secundum quid pejus in esse morali, quam ipsum peccatum. Ita D. Thom. (1. 2. q. 71. art. 3. ad 3.). Ratio est, quia habitus vitiosus, seu vitium est causa actus vitiosi, sive peccati. Deinde quia vitium est causa plurium numero peccatorum, tum quia vitium denominat vitiosum, non autem peccatum, licet sit actus vitiosus : ergo secundum quid pejus est in esse morali vitium, quam ipsum peccatum. Dixi *secundum quid*, nam absolute pejus est peccatum, quam vitium ; nam habitus non dicitur malus, nisi propter malitiam actus, ad quem inclinat : ergo potior est malitia actus, quam habitus ; nam propter quod unumquodque tale. Sed de his vide nostrum cursum theologic. Salmanticensem, tr. 13. q. 71. disp. 3. dub. uno per tot. 59.

Dico 6. Sicut sunt multæ species virtutis, sic sunt multæ species vitii oppositi, immo plures sunt species vitii, quam virtutis. Nam cum virtus consistat in medio ejusdem virtutis, plura sunt extrema vitiosa per excessum et per defectum ; quia tamen prolixum esset, omnes has enumerare, ideo solum principales enumerabimus. *Fidei* ergo opponitur infidelitas : sub hac continentur proprie vel reductive multa vitia, proprie continetur hæresis, apostasia et blasphemia ; reductive vero continetur cæcitas mentis, hebetudo sensus, quæ dono intellectus opponuntur. *Spei* 60. 61. 62.

63. opponuntur desperatio et præsumptio. *Charitati* primo et directe opponitur odium Dei et proximi; reductive vero opponuntur acedia, invidia, discordia, contentio, schisma, bellum, rixa et seditio, scandalum, stultitia; remote vero et indirecte cuncta vitia charitati opponuntur, quatenus per cuncta peccata mortalia charitas expellitur simul cum gratia sanctificante.

64. *Prudentiæ* opponitur imprudentia, sub qua
65. continetur præcipitatio, sive temeritas, inconsideratio et inconstantia, negligentia, prudentia carnis,
66. astutia continens dolum et fraudem. *Justitiæ* opponitur generaliter injustitia, sub qua continen-
67. tur acceptio personarum contra justitiam distributivam et contra commutativam, homicidium, mutilatio, furtum, rapina, contumelia, detractio, susurratio, derisio, maledictio, fraus et usura.
68. Religioni opponitur superstitio, idolatria, tentatio
69. Dei, perjurium, sacrilegium, simonia. Pietati
70. opponitur impietas in parentes. Observantiæ
71. opponitur irreverentia; obedientiæ inobedien-
72. tia; gratitudini ingratitudo; veritati mendacium;
73. simulatio, hypocrisis, jactantia, ironia. Amicitiæ
74. opponitur asperitas locutionis, litigium, adulatio.
75. Liberalitati opponitur avaritia et prodigalitas.
76. *Fortitudini* opponitur timor, intimiditas timori
77. contraria et audacia. Magnanimitati opponitur per excessum præsumptio, ambitio, inanis gloria;
78. per defectum vero opponitur pusillanimitas. Patientiæ opponitur impatientia. Perseverantiæ
79. opponitur mollities et pertinacia. *Temperantiæ* generaliter opponitur intemperantia; sed specia-

liter verecundiæ opponitur inverecundia ; honestati inhonestas ; abstinentiæ opponitur gula, sobrietati ebrietas ; castitati opponitur luxuria, videlicet simplex fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, sacrilegium et vitium contra naturam ; continentiæ opponitur incontinentia ; clementiæ seu mansuetudini opponitur iracundia, crudelitas, sævitia vel feritas ; humilitati opponitur superbia ; studiositati opponitur curiositas ; modestiæ immodestia.

Dico 7. Qui ad perfectionem attingere desiderat, omnia prædicta vitia pro viribus debet eradicare. Et ratio est, quia, cum status perfectionis in virtutum acquisitarum possessione consistat et vitia virtutibus contraria virtutum acquisitionem impediant, necessarium est, quod, qui ad perfectionem attingere desiderat, prius debet vitia expellere et virtutes acquirere ; paulatim namque vitia debilitata virtutibus locum cedent. 80.

Dico 8. Licet omnia vitia debeant eradicari, non tamen omnia simul aggredienda sunt, sed singula seorsim, et incipiendum ab illis, quæ magis radicata videntur ac magis animæ dominentur ; his namque quasi ducibus superatis reliqua facile vincuntur et superantur. Ut autem quis hæc facilius vincat, debet in principio tentationibus resistere, hoc enim facilius est, quam semel admissis tentationibus velle resistere. Debet postea contrariis virtutum actibus impugnare vitia, sicque facilius ac brevius victoriam obtinebit. 81. 82.

Tunc autem cognoscet homo, vitia esse eradicata, quando sentit pacem interiorem ; nam finis 83.

cujusque belli pax est, maxime hujus belli spiri-
84. tualis. Secundum autem signum eradicationis vitiorum est exercitium facile ac delectabile virtutum oppositarum ; cum enim virtus et vitium contraria sint, ubi probatur esse virtus ex facili et delectabili ipsius exercitio ; ex consequenti demonstratur jam, ibi non esse vitium contrarium, contraria siquidem ab eodem subjecto se mutuo expellunt. Non tamen ob id miles Christi a pugnando contra vitia cessare debet, nec gloriari quasi victor, quia pæne extincta resurgere valent ; natura namque corrupta pabulum ministrat vitiis ; sed debet id observare ad suam consolationem et ut fortius contra vitia in Dei gratia confidens dimicet.

SECTIO V

De passionum moderatione.

SUMMARIUM

85. Passiones non sunt eradicandæ, sed moderandæ et cur ? 86. Ponitur passionis definitio, prout ad præsens attinet. 87. Quid sit appetitus sensitivus declaratur. 88. Quot sint passiones appetitus sensitivi, exponitur. 89. Appetitus diverso modo tendit in bonum ac in malum, et quomodo ? 90. Appetitus movetur ad bonum adipiscendum per actum desiderii. 91. Movetur ad malum vitandum per actum fugæ seu abominationis. 92. Passiones concupiscibiles, circa quæ objecta versentur ? 93. Circa quæ versentur passiones irascibiles, exponitur. 94. Quomodo sint passiones moderandæ, declaratur.

85. *Dico 1.* Cum passiones animæ ad bonum et ad malum morale se indifferenter habeant (nam

si sint immoderatæ, sunt radices vitiorum et peccatorum ; si moderatæ, sunt adjumenta virtutum), ideo passiones non sunt eradicandæ ut vitia, nec evacuandæ ad instar peccatorum, sed moderandæ juxta dictamen rationis.

Dico 2. Passio, prout ad præsens attinet, est motus appetitus sensitivi ad imaginationem boni vel mali cum aliqua corporis immutatione, quo scilicet fertur ad bonum et fugit a malo. Illa autem immutatio proprie dicitur inferre passionem, ita ut ab ea subjectum patiatur, quando mutatur ad aliquid cum objectione alterius. Unde cum actus appetitus sensitivi faciant transmutationem in corpore, dicuntur passiones. Unde quando voluntati tribuuntur nomina passionum, verbi gratia odium, ira, amor, non passionem significant, sed simplicem actum, seu affectum voluntatis. 86.

Dico 3. Appetitus sensitivus est quædam animæ facultas corpori unita, quæ est in parte inferiori hominis, hoc est, in parte sensitiva, et habet pro objecto bonum vel malum sensibile, quod illi imaginatio proponit cum æstimatione convenientiæ vel disconvenientiæ, et dividitur in *concupiscibilem et irascibilem*. Objectum concupiscibilis est bonum vel malum sensibile, quod est delectabile vel dolorosum ; idem autem bonum vel malum, secundum quod habet rationem ardui vel difficilis, est objectum irascibilis. Passiones concupiscibilis nascuntur in jecore, ubi residet appetitus concupiscibilis, perficiuntur tamen in corde, quod omnibus passionibus urgetur. 87.

88. *Dico 4.* Passiones appetitus sensitivi sunt undecim ; sex pertinent ad concupiscibilem, quinque ad irascibilem. Ad concupiscibilem pertinent *amor*, *odium*, *desiderium*, *fuga*, *gaudium et tristitia*. Ad irascibilem pertinent *spes et desperatio*, *timor*, *audacia et ira*. Hæ passiones sunt voluntariæ, quatenus a voluntate imperantur, vel quia ab illa non prohibentur. Unde quæ conformantur regulæ rationis, dicuntur bonæ, quæ vero non conformantur, dicuntur malæ. Si passiones antecedunt judicium rationis, obnubilant illam et sic diminuunt bonitatem vel malitiam actus ; si subsequntur, addunt moralitatem tamquam operatio electa et volita a voluntate.

89. *Dico 5.* Appetitus diverso modo tendit in bonum ac in malum ; in bonum quidem ut adipiscendum, in malum vero ut fugiendum. Unde circa bonum excitatur amor, qui est complacentia boni ; circa malum vero excitatur odium, quod
90. est displicentia mali. Movetur autem appetitus ad bonum adipiscendum per actum desiderii, et
91. movetur ad malum vitandum per actum fugæ seu abominationis. Dum autem habetur bonum circa illum jam possessum, appetitus se habet ut quiescens et fruens per actum gaudii vel delectationis. E contra vero dum malum habetur, quod vitari non potuit, de illo manet appetitus inquietus per actum tristitiæ.

92. *Dico 6.* Prædictæ sex passiones concupiscibilis, tres versantur circa bonum, et tres circa malum. Circa bonum sunt amor, desiderium et gaudium. Circa malum sunt odium, fuga et tristitia. Deinde

sequuntur passiones irascibilis, quæ respiciunt bonum vel malum sub ratione ardui. Nam primo est spes consequendi bonum arduum, vel desperatio de illo obtinendo. Deinde audacia contra malum arduum, vel desperatio de illo obtinendo. Deinde audacia contra malum arduum et timor de illo. Denique est ira, quæ non habet contrarium, quod possit habere rationem passionis. Et si ordinem passionum omnium secundum viam generationis scire volumus, primo occurrunt amor et odium, secundo desiderium et fuga, tertio spes et desperatio, quarto timor et audacia, quinto ira, sexto et ultimo audacia et tristitia, quæ consequuntur ad omnes passiones, ita tamen, quod amor est prior odio, et desiderium fuga, et spes desperatione, et timor audacia, et gaudium tristitia. 93.

Dico 7. Moderatio passionum fieri potest duplici via quantum ad modum, ut de immoderata, seu nimia, fiat moderata : puta si quis amet immoderate aliquid licitum, ut parentes, si excessum tollat amoris, licite et moderate amet tale objectum. Secundo, quantum ad objectum, ut scilicet de objecto illicito transeat ad licitum, ut accidit in Maria Magdalena, quæ prius amabat mundum et vanitates ejus, et postea amavit Christum mente et corde. Idem quoad utrumque posset in singulis passionibus demonstrari. 94.

SECTIO VI

De passione amoris.

SUMMARIUM

95. Amor sensitivus est prima omnium passionum origo. 96. In quo consistat amor sensitivus, exponitur. 97. Quomodo dividatur? 98. Quæ sint illius causæ? 99. Qui sint illius effectus? 100. Passio amoris sensitivi moderatur mediante virtute temperantiæ.

95. *Dico 1.* Amor sensitivus est prima omnium passionum et aliarum origo. Nam qui odit aliquod malum, qui refugit illud absens et tristatur de illo præsenti, ideo hæc omnia facit, quia diligit seu amat bonum, cui tale malum contrariatur et tandem in amore fundantur omnes passiones irascibilis, nam speratur bonum, quod amatur, timetur malum, quod amato contrariatur et contra ipsum insurgit audacia et ira.

96. *Dico 2. Amor sensitivus est affectio quo appetitus alicui objecto adhæret propter ejus bonitatem unione quadam.* Differt autem amor, ut est passio appetitus sensitivi a dilectione et charitate, quia dilectio est amor cum libero judicio et electione, et sic pertinet ad voluntatem ; charitas autem addit supra hoc æstimationem quamdam et pretium rei amatæ, quia pretiosa sunt chara ; amor autem passio est sensibilis affectus appetitus.

97. *Dico 3.* Amor dividitur in amorem concupiscentiæ et amicitiæ. Differunt autem in hoc, quod amor concupiscentiæ magis fertur in bonum, quod alicui vult, quam in illum, cui vult. Amor vero

amicitiæ magis inclinatur in illum, cui bonum vult, quam in bonum, quod illi vult. Hi autem duo amores miscentur, quando amicitia est utilis et delectabilis. Et inde est, quod amicitia utilis et delectabilis in quantum trahitur ad amorem concupiscentiæ, deficit a ratione veræ amicitiæ.

Dico 4. Causæ amoris sunt primo bonum co- 98.
gnitum, quia incognita amare non possumus. Potest tamen amor aliquando includere cognitionem propter dispositionem subjecti, quia, ut appetitus appetat totum, quod est in objecto, sufficit, illud in confuso videre, inde enim etiam latentia cupimus, licet latentia non videamus in se expresse ; cognitio autem solum est perfecta, quando est distincta et expressa. Amor vero perfectus est etiam circa absentia et latentia atque adeo circa confuse cognita, et sic potest esse imperfecta cognitio et perfectus amor. Similitudo etiam est causa amoris, quia omne animal diligit sibi simile.

Dico 5. Plures sunt effectus amoris boni vel 99.
mali moraliter juxta conditionem ipsius amoris, scilicet ecstasis, unio, mutua inhæsio, zelus, qui omnes in possessione boni præsentis invalescunt.

Ecstasis est vis amoris, qua ponitur amans extra se. Unio est effectus amoris, quo tendit ad realem assecutionem et amplexum amati. Mutua inhæsio est intima perscrutatio qua amans ingreditur in amatum perscrutans sigillatim omnia. Zelus est motus animæ per modum doloris et tristitiæ contra id, quod impedit quietam et adæquatam fruitionem. Ad hos quattuor effectus

amoris reducuntur alii, qui dicuntur liquefactio, seu vulneratio, fruitio, languor et fervor.

100. *Dico 6*. Passio ista moderatur mediante virtute temperantiæ. Nam temperantia retrahit ab his quæ contra rationem appetitum alliciunt. Ad virtutem autem temperantiæ pertinent ut partes integrales verecundia, honestas ; ut partes vero subjectivæ abstinentia, sobrietas, castitas, patientia ; ut partes vero potentiales continentia, humilitas, mansuetudo, clementia, modestia. Omnes autem istæ virtutes plurimum valent ad moderandas omnes passiones appetitus concupiscibilis, ut docet D. Thom. (2.2.q.141.art. 2.) et alii communiter.

SECTIO VII

De passione desiderii seu concupiscentiæ.

SUMMARIUM

101. Quid sit passio desiderii, exponitur. 102. Nomen concupiscentiæ melius declarat hanc hominis passionem, et cur ? 103. Quomodo hæc passio moderetur ?

101. *Dico 1. Desiderium est motus appetitus ad bonum absens adipiscendum* et per hoc differt ab amore et gaudio. Nam amor est simplex in bono complacentia, abstrahens ab absentia et præsentia objecti. Gaudium vero est quies in bono præsenti. Hæc passio, quæ in homine dicitur desiderium, in brutis dicitur concupiscentia, et est quædam amoris extensio ad bonum, quod arridet. Quod

si boni desiderati possessio differatur, solet desiderium invalescere usque ad ardorem, qui fervor appellatur, et ei succedit languor gravis, scilicet mœstitia, quæ non raro solet hominem perimere, unde vulgo dicitur, quod desideria dilata crescunt.

Dico 2. Nomen concupiscentiæ melius declarat 102.
hanc hominis passionem, quam nomen desiderii, quia desiderium potest competere non solum ad appetitum sensitivum, sed etiam ad voluntatem; nam desiderium solum importat simplicem motum in rem desideratam, qui potest esse in voluntate : hæc igitur concupiscentia est in appetitu sensitivo, et dividitur in naturalem, et non naturalem ; illa communis est hominibus et brutis ; ista sola propria est hominibus. Et ratio est, quia dupliciter potest aliquid esse delectabile appetitui, uno modo, quia est conveniens naturæ animalis sicut cibus et potus, et hæc concupiscentia delectabilis dicitur animalis ; alio modo aliquid dicitur delectabile, quia est conveniens animali secundum apprehensionem, et hæc concupiscentia dicitur non naturalis et solet magis dici cupiditas. Prima est omnibus animalibus communis et necessaria, et dicitur irrationalis. Secunda dicitur cum ratione, et quia natura semper ad aliquid finitum et certum tendit, concupiscentia naturalis non potest esse infinita in actu, licet secundum successionem in potentia dici possit infinita; quia vero ratio in infinitum potest procedere, concupiscentia cum ratione prorsus est infinita.

Dico 3. Hæc passio potest esse immoderata 103.

ex parte boni concupiscibilis vel ex modo concupiscendi ; si sit immoderata, quia fertur in illicitum, moderatur mutando objectum, temporalia scilicet bona in æterna, falsa in vera ; si sit immoderata, quia fertur in licitum, sed indebito modo, concupiscentia retineatur et modus moderetur ; si sit circa venerea, moderatur castitate, vigiliis, abstinentia et oratione : caro enim, quæ semper concupiscit adversus spiritum, animam et mentem, nisi eam per virtutem castitatis ratio coerceret, eam penitus combureret.

SECTIO VIII

De passione gaudii seu delectationis.

SUMMARIUM

104. Quid sit passio delectationis, exponitur. 105. Omne, quod concupiscimus secundum naturam, possumus concupiscere cum delectatione rationis, sed non contra. 106. Tam delectatio, quam gaudium simul reperitur in appetitu sensitivo et intellectivo. 107. Quomodo hæc passio sit moderanda ?

104. *Dico 1. Delectatio est motus in appetitu animali*, non quidem tendente in bonum absens, sed *quiescente in bono præsenti, consequens ad apprehensionem sensus*. Sicut autem inter concupiscentias quædam dicuntur naturales, quædam vero non naturales et consequentes rationem ; sic etiam inter delectationes quædam dicuntur naturales et irrationales, quædam autem non naturales, quæ sunt cum ratione. Unde illa delectatio, quæ fit cum ratione, dicitur gaudium, non vero,

quæ fit naturaliter, et propterea gaudium non est in brutis, sed solum delectatio.

Dico 2. Omne quod concupiscimus secundum naturam, possumus concupiscere cum delectatione rationis, sed non e converso. Unde de omnibus, de quibus est delectatio, potest esse gaudium in habentibus rationem, quamvis non semper de omnibus sit gaudium ; sæpe enim aliquis sentit aliquam delectationem secundum corpus, de qua tamen non gaudet secundum rationem. Adverte tamen, quod delectatio et gaudium simul requiruntur et in appetitu sensitivo et intellectivo, cum hac tamen differentia, quod delectatio appetitus sensitivi est cum corporis transmutatione; delectatio autem voluntatis nihil aliud est, quam simplex intuitus voluntatis. 105. 106.

Dico 3. Hujusmodi passio moderanda est, delectationes illicitas omnino vitando, licitas vero moderate eis utendo ; præcipuam in Domino suam constituens delectationem, quod quisque efficiet, si consideret, quam breves sint mundi delectationes, quæ statim ut fumus evacuescunt. Quod si aliquando necessarium sit, aliquam sumere delectationem, id debet fieri ad vitæ sustentationem, ea intentione, ut tota ad Deum dirigatur cum gratiarum actione et cum aliqua semper mortificatione, ut viri spirituales solent, nec voluntas tota carnalibus vacet delectationibus. Quod si delectatio sit venerea, ad hoc maxime juvat continentia, verecundia, jejunium et corporis asperitates. 107.

SECTIO IX

De passione odii.

SUMMARIUM

108. Odium contrariatur amori. 109. In quo consistat odium, declaratur. 110. Quid sit objectum odii, exponitur. 111. Unde nascatur odium, ostenditur. 112. Quomodo passio odii moderetur.

108. *Dico 1.* Odium contrariatur amori, unde contraria est ejus natura naturæ amoris. Unde sicut amor consistit in quadam convenientia amantis ad amatum, ita odium consistit in quadam dis-
109. sonantia. *Est igitur odium motus appetitus concupiscibilis dissonantis malo.* Objectum igitur odii
110. est malum verum, vel apparens, sensibile, cognitum in tota sua latitudine,prout comprehendit inhonestum, inutile ac insuave. Nam sicut amor est consonantia quædam appetitus ad id, quod apprehenditur ut conveniens, ita odium est dissonantia quædam appetitus ad id, quod apprehenditur ut repugnans et nocivum. Sicut autem omne conveniens, in quantum hujusmodi, habet rationem boni, ita omne repugnans, in quantum hujusmodi, habet rationem mali. Ergo sicut bonum est objectum amoris, sic malum est objectum odii.

111. *Dico 2.* Quamvis odium contrarietur amori, ut dictum est, odium tamen nascitur ex amore, quo quis se ipsum vel aliquid aliud amat. Et ratio est, quia in quolibet prius debemus considerare, quid ei conveniat, quam quid ei repu-

gnet; per hoc enim aliquid est repugnans alteri, quia est corruptivum et impeditivum ejus, quod est conveniens : ergo necesse est, quod amor sit prior odio et quod nihil odio habeatur, nisi quod contrariatur convenienti, quod amatur: ergo omne odium nascitur ex amore.

Dico 3. Passio ista moderatur contrario suo, 112.
nempe amore, hac distinctione, quod malum absolute ut peccatum, dæmones, infernum, odio semper habendi sunt; cætera vero non absolute odio habenda, sed prout conducunt ad peccatum et induunt rationem mali. Et hoc modo præcipimur, odio habere animam, quatenus refertur ad illicita; nam qui sic odio habet animam suam, vere amat illam, ut dicit S. August. : *Si male amaveris, tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt persequendo, ne perdant amando.

SECTIO X

De passione fugæ et abominationis.

SUMMARIUM

113. Exodio mali consurgit fuga illius. 114 Quid sit passio fugæ, exponitur. 115. Quæ mala debemus fugere, quæ vero non ?

Dico 1. Ex odio mali consurgit fuga ipsius. 113.
Quæ passio est quidam recessus a malo dissono, 114.
sive motus retentionis, quo appetitus animalis ab illo tamquam a nocivo recedit in homine; propter rationem, cui conjungitur, vocatur abomina-

tio. Hic motus appetitus animalis opponitur desiderio seu concupiscentiæ, sicut odium opponitur amori. Nam sicut amor, quia respicit bonum per modum conversionis, excitat in appetitu animali desiderium aut concupiscentiam tamquam motum, quo ad bonum conveniens accedit, ut illud adipiscatur, sic odium, quia respicit malum per modum aversionis excitat in eodem appetitu fugam aut abominationem tamquam motum, quo a malo disconvenienti recedit ut illud vitet.

115. *Dico 2.* Sicut solum verum malum, quod est peccatum, vitium et alia his annexa debemus odio habere simpliciter, sic etiam hoc solum malum debemus simpliciter fugere; alia vero mala pœnæ, quæ simpliciter mala non sunt, immo plerumque bona, non semper debemus fugere, sed sæpe debemus amplecti. Amatores sui et filii hujus sæculi refugiunt omnia, quæ repugnant amori proprio, quales sunt labores, afflictiones, opprobria etc., et sequuntur, quæ eidem amori proprio congruunt, etiamsi peccatis admisceantur, quales sunt voluptates carnis, honores mundi, dignitates sæculi et similia. Sed discipuli Christi, veri imitatores Crucis, fugiunt tantum a facie peccati tamquam a facie colubri, et pericula peccati devitant.

SECTIO XI

De passione tristitiæ et doloris.

SUMMARIUM

116 Sicut delectatio se habet in bono, ita tristitia et dolor in malo. 117. Quid sid passio tristitiæ et doloris. 118. Quomodo dividatur

dolor, qui est proprius hominis ? 119. Ponuntur causæ doloris et tristitiæ. 120. Qui sint effectus tristitiæ, declaratur. 121. Quomodo passio tristitiæ moderetur, exponitur. 122. Quid faciendum si tristitia sit immoderata ex parte objecti, quia apprehenditur ut malum, quod revera est bonum ?

Dico 1. Sicut delectatio et gaudium se habent 116.
in bono, ita dolor et tristitia in malo. Delectamur enim in bono convenienti nobis conjuncto, dolemus de disconvenienti illato. Si autem malum est disconveniens sensui, dicitur dolor ; si sit disconveniens voluntati, vocatur tristitia, sicut dicitur delectatio respectu sensus, et gaudium respectu voluntatis. *Est autem tristitia seu dolor* 117.
quidam motus, quo appetitus affligitur, perturbatur et inquietatur de malo præsenti, vero et apparenti.

Dico 2. Dolor, qui est proprius hominis, divi- 118.
ditur in misericordiam, invidiam, acediam, angustiam, pœnitentiam, nemesim, zelum. Misericordia est dolor de malo alieno, reputato ut proprio. Invidia est tristitia de bono alieno reputato ut malo proprio. Angustia est aggravatio animi, quæ nullum relinquit effugium. Acedia est, quando aggravatio ista venit usque ad membra exteriora et ponit in eis quasi stuporem aut torporem, præsertim vocem impediendo. Pœnitentia est dolor de malo proprio. Nemesis est tristitia de bono temporali alieno reputando aliquem illo indignum. Zelus est tristitia de excellentia aliena, dum deest zelanti.

Dico 3. Causæ doloris et tristitiæ sunt diversæ. 119.
Prima est malum conjunctum, quod est objectum ipsius; secunda est bonum amissum, quod appre-

henditur ut malum præsens ; tertia est amor boni, cujus amissione tristatur ; nullus enim tristatur amissione ejus, quod non amat ; quarta est major potestas, cui resisti non potest, dum mali corruptivi conjunctionem facit.

120. *Dico 4.* Primus effectus tristitiæ est aggravatio seu pondus animæ, quatenus constringit et premit cor, sicut gaudium delectat ; secundus effectus est, debilitare omnem operationem ; nam cum actiones oriantur ex voluntate et appetitu, si ex malo adjuncto est inconvenienter dispositus, non possunt convenienter oriri operationes. Unde ista passio est maxime nociva, et aliquando interimit, ut dicitur Eccl. 38 : « *Ex tristitia festinat mors.* »

121. *Dico 5.* Omnia remedia tristitiæ reducuntur ad unam rationem formalem, scilicet ad aliquam delectationem, aut ex parte animæ, aut ex parte corporis ; delectatio enim contrariatur tristitiæ, et unum contrarium illud expellit. Juvat autem maxime in remedium tristitiæ contemplatio veritatis et futuræ beatitudinis,quæ per labores acquiritur, et conformatio ad divinam voluntatem, cui hoc placet. Secundo juvat contra tristitiam compassio amicorum, quatenus homo sentit ab eis amari. Tertio lenitur tristitia per corporalia remedia, scilicet fletum et gemitum. Minuitur etiam per innocentiam patientis,quia cum nocens patitur, dolet non solum de pœna, sed etiam de culpa ; innocens autem solum de pœna. Minuitur etiam per patientiam.

122. *Dico 6.* Si tristitia fuerit inordinata ex parte

objecti, quia scilicet apprehenditur ut malum, quod revera est bonum, scilicet quia quis removetur ab occasione peccandi, vel de commisso corrigitur peccato, tum qui tristatur, oret, et convertat tristitiam suam ad peccata,considerans, id sibi potius licere, quam contrarium. Si fuerit immoderata solum quoad modum, quia nimium tristatur in morte parentum, debet, qui tristatur, modum illum defectuosum moderare vel motivis supernaturalibus, vel motivis naturalibus, si supernaturalia non fuerint. Aliqui etiam in lacrymis inveniunt consolationem tristitiæ et in gemitibus, ut ait Augustin. (lib. 4. Confession. c. 7.).

SECTIO XII

De passione spei.

SUMMARIUM

123. Prima passio appetitus irascibilis est spes. 124. Ponitur definitio spei prout est passio appetitus irascibilis. 125. Hæc passio non solum in homine, sed etiam in brutis invenitur, diverso tamen modo. 126. Quod objectum habeat passio spei, declaratur. 127. Quomodo debeat hæc passio moderari ?

Hactenus diximus de passionibus appetitus concupiscibilis. Restat nunc dicendum de aliis passionibus appetitus irascibilis, quæ datæ sunt in auxilium præcedentium. Cum enim præcedentes respiciunt bonum ut adipiscendum, vel malum ut fugiendum, et aliquando detur ad id difficultas, quia bonum vel malum est arduum, deo natura ejusque auctor Deus proviserunt ap-

petitum irascibilem concupiscibili annexum, qui suis motibus prædictam difficultatem in adeptione
123. boni et fuga mali superet. Inter autem passiones irascibilis prima dicitur spes.

124. *Dico igitur 1. Spes*, prout est animæ passio, *est motus appetitivæ virtutis consequens apprehensionem boni futuri ardui, possibilis adipisci,* scilicet extensio appetitus in hujusmodi objectum.

125. Hæc spei passio non solum in homine, sed etiam in brutis reperitur, ut experientia constat ; nam si canis videat leporem nimis distantem, non movetur ad ipsum, quasi non sperans, se eum posse adipisci. Diverso tamen modo reperitur in homine ac in brutis. Nam iste motus in brutis excitatur ex quodam instinctu naturali per directionem intellectus auctoris naturæ ; in homine autem fit proprio discursu per directionem intellectus.

126. *Dico 2.* Hæc passio spei habet pro objecto bonum futurum arduum, possibile adipisci, et per hoc distinguitur a timore, a gaudio, a desiderio et desperatione. Nam timor est de malo, gaudium de bono præsenti et non futuro ; desiderium respicit bonum futurum absolute, non vero bonum futurum arduum. Per hoc autem, quod bonum illud futurum arduum sit adipiscibile, distinguitur spes a desperatione ; non enim aliquis sperat id, quod omnino adipisci non potest. Causa spei est experientia, quia per experientiam acquirit homo facultatem aliquid difficile faciendi, et ex hoc sequitur spes. Nemo enim facere metuit, quod se bene didicisse confidit.

Dico 3. Passio spei potest esse immoderata, tum ex parte objecti, tum ex parte medii, tum ex parte modi. Est immoderata ex parte objecti, dum homines tantum bona caduca, honores etc. sperant. Est immoderata ex parte medii, dum spem suam ponunt in *terrenis principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* (Ps. 145). Est immoderata ex parte modi, quando absque consilio et prudentia quis judicans omnia sibi esse possibilia, sperat de bono rei successu, quando foret desperandum. Hæc autem omnia moderantur, si homo solam suam spem in Deo ponat juxta illud : « *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine* ». (Ps. 117, 8). » « *Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* » (ib. 6.) Valet etiam ad moderandam passionem spei virtus humilitatis. Nam cum spes tendat in bonum arduum et difficile, ne immoderate tendat in excelsa, requiritur virtus, quæ refrænet animum. Hæc autem est humilitas. Et quia etiam potest spes deficere desperando ob arduitatem boni adipiscendi, moderatur virtute magnanimitatis, qua firmatur animus contra desperationem et impellit ipsum ad prosecutionem magnorum secundum rationem rectam. 127.

SECTIO XIII

De passione desperationis.

SUMMARIUM

128. Quid sit passio desperationis ? 129. Quando desperatio contrarietur spei, declaratur. 130. Hæc passio potest esse immode-

rata quoad objectum et quoad medium. 131. Quomodo hæc passio desperationis sit moderanda ?

128. *Dico 1. Desperatio est fuga, seu recessus appetitus irascibilis a bono, quod judicatur impossibile adipisci.* Difficultas enim ipsa consequendi tale bonum habet quamdam rationem mali seu disconvenientis. Unde non contrariatur spei, quia versatur circa terminum contrarium, verbi gratia spes circa bonum et desperatio circa malum,
129. sicut amor et odium, sed quia versantur circa idem bonum contrariis viis, scilicet spes accedendo et desperatio recedendo, eo quod bonum arduum habet conditiones fundantes diversos modos. Si enim respicietur pro parte boni,allicit; si vero respiciatur pro parte ardui, retrahit, et si sit excellens difficultas, ita retrahit, quod repellit et facit sucumbere et vinci, et sic est desperatio. Desperatio non importat solam spei privationem, sed importat metum positivum,scilicet quemdam secessum a re desiderata propter æstimatam impossibilitatem adipiscendi.

130. *Dico 2.* Hæc passio potest esse immoderata vel quoad objectum, vel quoad medium. Quoad objectum est immoderata, quando quis desperat, se adepturum aliquod bonum tantum apparens et non verum, id est honor mundi, delectatio carnis, et ex hac desperatione tristatur. Est immoderata quoad medium, quando quis videns propriam pusillanimitatem desperat de virtutum adeptione et de cœlestis gloriæ consecutione, cum hujusmodi non propriis viribus, sed divinæ gratiæ auxiliis debeant acquiri.

Dico 3. Ad moderandam istam passionem valet magnanimitas, quæ firmat animam contra desperationem et compellit ipsam ad magnorum prosecutionem secundum rationem rectam. Ad hoc etiam deservit, si desperatio est consequendi aliquod bonum caducum, erigere mentem ad bona vera, et indignum judicare de rebus humanis adeo inferioribus habere desperationem. Si vero desperatio sit tantum quoad medium, debet homo convertere se ad Deum, et a Deo auxilium gratiæ sperare, dicens cum Davide: « *In te, Domine, speravi; non confundar in æternum.* » (Psalm. 30, 2.) 131.

SECTIO XIV

De passione audaciæ.

SUMMARIUM

132. Ponitur definitio passionis audaciæ. 133. A quibus causetur audacia, explicatur. 134. Declarantur varii effectus audaciæ. 135. Quomodo sit moderanda passio audaciæ?

Dico 1. Audacia est motus appetitus irascibilis malum arduum imminens prosequentis. Nomine vero mali ipsamet arduitas bona conjuncta intelligitur. Audacia contrariatur timori, consequitur vero ad spem. Audacia habet idem objectum, quod timor, sed sub contraria ratione et tendentia; nam timor respicit malum ut ei succumbens aut ab eo fugiens, audacia vero ut sperans et sustinens sive aggrediendo, sive tolerando. Dicitur 132.

autem audacia esse circa malum, non quia prosequatur illud amando ut bonum in se, sed tamquam victoriæ materiam.

133. *Dico 2.* Audacia causatur ex his, quæ provocant spem et erigunt illam; et ex his, quæ excludunt timorem, qui contrariatur audaciæ. Erigitur autem spes per existimationem possibilitatis adipiscendi. Excluditur autem timor per exclusionem terribilium, quæ nos circumstant. Unde per se non causatur audacia ex defectu, sed ex abundantia, nisi per accidens, in quantum ex ignorantia, quæ est quidam defectus, excluditur cognitio periculorum et timorum.

134. *Dico 3.* Si audacia oriatur ex sensitiva apprehensione possibilitatis aliquid adipiscendi, cum talis audacia non habeat providentiam in futurum, sed subjectum motum ex præsentibus, facile movetur ad aggressionem, quia non videt omne periculum; postea tamen periculis insurgentibus dejicitur. E contra vero audacia, quæ oritur ex ratione et discursu; nam hæc, cum prævideat pericula, nec ducatur ex solis præsentibus, postea non dejicitur, etiamsi adsint pericula, sed perseverat, siquidem ducitur motivo virtutis, quæ est constans et perseverans.

135. *Dico 4.* Audacia moderatur virtutibus, quibus moderatur spes, siquidem in illis casibus, in quibus non convenit sperare, nec etiam est bonum, habere audaciam, et cum necessarium est, moderare spem, moderanda est etiam audacia. Consideratio etiam vanitatis bonorum hujus vitæ maxime reprimit inordinatam audaciam ad vana

aggredienda. Moderatur etiam hæc passio contraria passione timoris. Bonum est etiam occupare audaciam circa res sanctas et utiles exemplo sanctorum Martyrum et Confessorum, qui fuerunt maxime ad virtutes audaces et non ad res vanas hujus sæculi adipiscendas.

SECTIO XV

De passione timoris.

SUMMARIUM

136. Ponitur passionis timoris definitio, et explicatur. 137. Assignantur sex species timoris. 138. Declarantur causæ timoris. 139. Proponuntur effectus timoris. 140. Quomodo passio timoris sit moderanda?

Dico 1. Timor est motus appetitus irascibilis recedentis a malo futuro arduo, cui resisti vix potest. Differt a tristitia, quia hæc est de malo jam conjuncto et præsenti, et ab ira, quia hæc est de malo ut vindicando et repellendo, non ut incumbente et vincente, sicut timor. Objectum formale timoris est malum futurum cum aliqua arduitate, materiale est omne illud, quod participat rationem mali terribilis, id est cui de facili non potest resisti. Est etiam objectum timoris ipsa persona potens inferre malum, hanc enim respicit ut causam, a qua malum inferri potest, et circa malum est fuga a tali malo, circa vero personam potentem infligere malum, est reverentia, et pro ista parte timor respicit bonum, scilicet illam potestatem, quæ potest nocumentum inferre, et per 136.

hunc modum timetur Deus ab homine, in quantum potest infligere pœnam, vel spiritualem vel corporalem. Unde etiam in hoc metu reverentiali erga Deum respicitur bonum divinum, seu potestas Dei, non absolute, sed cum aliqua connotatione ad malum scilicet, non quatenus potest bene facere, sed ut potest lædere saltem de absoluta potentia.

137. *Dico 2.* Sex assignantur a Damascen. (lib. 2. de fide orth., c. 15.) species timoris, scilicet segnities, erubescentia, verecundia, admiratio, stupor, agonia (*).Segnities est,cumali quis operari refugit propter timorem excedentis laboris. Erubescentia, cum turpitudo timetur in actu committendo. Verecundia, cum est turpitudo in actu jam facto. Admiratio, cum quis considerat aliquod magnum malum, cujus exitum considerare non sufficit. Stupor,cum aliquod malum inconsuetum nostræ considerationi offertur. Agonia, cum quis considerat malum imminens improvisum, cui scilicet provideri non potest, sicut timentur futura infortunia.

138. *Dico 3.* Duplex est causa timoris,alia intrinseca, alia extrinseca. Intrinseca est amor ; cum enim aliquid amamus, timemus, non adipisci, vel adeptum amittere. Causa timoris extrinseca est virtus vel robur alicujus potentis inferre malum, cui resisti non valet. Hinc fit, tantum esse aliquem

(*) In versione *Lequiennii*,quam *H. Hurter*, S. J. sequitur in sua collectione : Sanctorum Patrum opuscula selecta, vol. XLI., sic vocantur ista sex genera metus : segnities, pudor, verecundia, stupor, terror, angor.

magis subjectum timori, quantum minorem potentiam habuerit ad resistendum. Unde habentes malam conscientiam sunt maxime timidi, siquidem eis deficit fortitudo gratiæ et amicitiæ Dei, ut dicitur Sapient. 17. : « *Semper præsumit sæva perturbata conscientia* », et ideo ad timorem maxime disponit defectus propriæ virtutis seu ipsa resistendi imbecillitas.

Dico 4. Effectus timoris sunt quattuor. Primus 139.
est contractio ; nam sicut in morientibus natura propter virtutis debilitatem ad interiora se recipit, sic in timentibus calor naturalis cum spiritibus ad interiora contrahitur, ut sic contractus fortior evadat ad resistendum. Secundus est tremor corporis, pallor, stridor dentium ; ex contractione namque caloris et spirituum ad interiora sequitur debilitas in membris externis. Tertius est impedire operationem ex parte membrorum, quæ debilitantur ex prædicta contractione caloris et spirituum, sicut etiam ex parte animæ, si timor fuerit immoderatus ; nam si fuerit moderatus, potius operationem juvat, et hominem attentius consiliari et operari facit, et propterea Apostolus (ad Philip. 2.) ait : « *cum metu et tremore vestram salutem operamini.* »

Dico 5. Hæc passio aliquando est immoderata 140.
ex parte objecti, aliquando ex parte modi. Ex parte objecti est immoderata in amatoribus hujus sæculi, qui solum mundana timent mala, cum tamen vix hæc timeri debeant. Est immoderata ex parte modi, quando mala visibilia, quæ possunt alias licite timeri, ut mors, morbus et similia

plus nimio timentur. Qui sentit in se immoderationem timoris ex parte objecti, debet a visibilibus ad invisibilia mentem erigere, ut despectis his minoribus malis, timeat majora, scilicet amissionem gratiæ et gloriæ. Qui vero sentit in se immoderationem timoris ex parte modi, debet modum corrigere, conformando se Dei voluntati et considerando divinum favorem. Unde Christus suos instruens discipulos docuit, non timenda esse hujusmodi mala, nec eos, qui ea possunt inferre, quia cum occiderint corpus, non habent potestatem in animam, et solum affirmat, Deum esse timendum, qui, cum occiderit corpus, potest animam mittere in gehennam. Unde sanctus est timor Sanctorum, quia timent æternam damnationem, timent offendere Deum summe dilectum, timent ab eo separari. Quodsi aliquando hæc inferiora mala timent, quæ licite timeri possunt, ut mors, infirmitas, moderate timent sub conditione fragilitatis humanæ.

SECTIO XVI

De passione iræ.

SUMMARIUM

141. Ponitur iræ definitio et declaratur. 142. Ponitur ratio motiva iræ. 143. Tres species iræ ponit Damascen., quæ explicantur. 144. Proponuntur effectus passionis iræ. 145. Quomodo sit moderanda passio iræ, exponitur.

141. *Dico 1. Ira est motus appetitus irascibilis ad vindictam.* Objectum iræ est compositum ex

bono et malo ex parte objecti cui, id est personæ, cui vult inferre vindictam, est malum ; ex parte vero objecti, quod est bonum, scilicet vindicta, quam appetit iratus, si in homine consideretur natura generica, naturalior est ei concupiscentia, quam ira. Si vero consideretur natura specifica, sic naturalior est ira, quia appetit vindictam, quæ magis accedit ad quamdam rationem justi et satisfactivi, et de hoc magis judicatur per rationem et discursum. Odium est gravius quam ira. Ira quandoque crescit in odium et trabem facit de festuca. Differt autem ira ab odio, quia odium appetit malum alteri, quatenus illi malum est præcise, ira vero appetit idem malum alteri, sed sub ratione vindictæ.

Dico 2. Ratio motiva iræ est parvipensio, seu modus aliquis contemptus, seu injuriæ tangentis excellentiam vel propriam, vel amicorum, seu eorum, qui ad nos pertinent, et sic parvipensio non solum est circa honorem, aut famam, sed etiam circa quodcumque bonum, in quo quis vult excellere et quiescere, et non ab alio dejici, minorari et parvipendi ; qua ratione etiam ad bruta animalia extenditur parvipensio, ut quando vulnerantur, aut cibus, vel aliquid simile eis adimitur, quia in hoc minorantur a bono, quod appetunt, et hoc est parvipendi. 142.

Dico 3. Tres quasi species proponit Damascenus (lib. 2. de fide, cap. 16.), scilicet fel, maniam et furorem. Et ratio est, quia tria concurrunt ad iram, scilicet concitatio motus irascentis, tristitia ex læsione et injuria illata, vindicta desiderata per 143.

iram. Quando prævalet cogitatio motus, dicitur fellea, quia fel cito concitatur ex cholera, et tales irati vocantur acuti. Quando dominatur tristitia ex injuria illata, vocatur mania, quia diu manet in memoria, et tales dicuntur amari. Quando prævalet desiderium vindictæ, dicitur furor, quia non quiescit, nisi puniat, et tales dicuntur difficiles. Hæ tamen differentiæ dicuntur accidentales, sumptæ ex diversa dispositione subjecti ad irascendum, non ex diversis motivis objecti formalis.

144. *Dico 4.* Primus effectus iræ est delectatio, quia cum quærat repulsam nocumenti illati per vindictam, maxime in tali repulsa delectatur. Secundo causat in corde furorem ex calore concepto ac fel lis evaporatione. Tertio, cum maxime circa cor corporalem faciat perturbationem, inter omnes animæ passiones maxime judicium rationis impedit. Quarto tandem ira facit, quod lingua se præpediat, quod facies ignescat, et quod exasperentur oculi ; immo potest esse tanta perturbatio iræ, quod omnino impediatur lingua ab usu loquendi.

145. *Dico 5.* Primum remedium ad moderandam iram est mortificatio propriæ æstimationis. Nam cum filii hujus sæculi præcipue irascantur ex parvi pensione propriæ excellentiæ, si patienter ferant injurias ad imitationem Christi, qui, cum malediceretur, non maledicebat, facile hujusmodi passionem cohibebunt. Secundum remedium est non loqui nec efficere, quod animus tempore iræ proponit. Tertium est mansuetudo, juxta illud

Psalm. 36 : *Mansueti hæreditabunt terram.* Per mansuetos autem significantur justi, qui possident cor suum in puritate ; nam cum per iram homines extra se extrahantur, et mansuetudo temperet iram, ideo justi vocantur mansueti. Quartum est, minuere æstimationem injuriæ illatæ consideratione experientiæ, quæ nobis ostendit, quod transacto calore iræ, illud, quod reputabatur injuria, revera talis non erat, vel non tanta, sicut tempore iræ apparebat. Quintum, considerare damna, quæ ex vindicta sequntur tum animæ tum corpori. Sextum, resistere primo iræ motui, ut ait Paulus (ad Rom. 12.). Septimum, considerare exempla Sanctorum, præcipue Christi, et hoc modo facillime hæc passio cohibetur.

DISPUTATIO II

De purgatione activa sensuum externorum.

SECTIO I

De potentia visiva et mortificatione ejus.

SUMMARIUM

146. Visus est primus et perniciosissimus sensuum externorum. 147. Non est negligenda oculorum mortificatio. 148. Quid debeat facere, qui studet oculorum mortificationi ?

Dico 1. Visus est primus et perfectissimus sen- 146.
suum externorum, sed perniciosissimus, nisi per mortificationem custodiatur. Unde dixit Jere-

mias (Threnor. 3.) : *Oculus meus deprædatus est animam meam*; quia sufficit una visio incircumspecta ad deprædanda cuncta bona, ut accidit Evæ, quæ, ut vidit bonitatem ligni, statim concupivit fructum illius. Idem accidit fortissimo Samsoni, qui videns Dalilam, eam adamavit. Quid dicam de visione David, qui ex uno solo conspectu Bethsabee in tot peccata ruit ! Quid de Salomonis luxuria eo quod vidit mulieres alienigenas ? Non
147. ergo negligenda est oculorum mortificatio, si per illicitum visum concupiscentia oritur, per quam integritas mentis violatur. Necesse est, ut semper servus Dei visum reprimat, ne per concupiscentiam et per immunditiam cordis Deum offendat.
148. *Dico* 2. Qui vere studet oculorum mortificationi, debet consilium Spiritus Sancti sequi Eccl. 9, 3, ubi dicitur : *Ne respicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius.* Debent etiam comœdias, choreas et alia hujusmodi lasciva devitare et libros lascivos vel amorem profanum sapientes non legere. Denique si perfecte quis voluerit oculos mortificare, debet tantum necessaria et utilia ad spiritualem profectum respicere, rejectis vanis et inutilibus. Avertat oculos suos, ne videant vanitatem et ne secundum visionem oculorum judicet, ut ait Isai. 11.

SECTIO II

De potentia auditiva et de illius mortificatione.

SUMMARIUM

149. Auditus nimis periculosus est, nisi mortificatione reprimatur. 150. Justus, ut justitiam servet, debet aures custodire. 151. Quid debeat facere, qui desiderat mortificare auditum ?

Dico 1. Auditus etiam periculosus est, nisi 149.
mortificatione reprimatur. Nam si visus Evæ fuit initium peccati originalis, auditus Adæ fuit ejus progressus. *Quia audisti*, ait Dominus, *vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* (Gen. 3, 17.) Quare justus, ut justitiam servet et iniquus, non fiat, aures debet custodire, ne iniquos et 150.
mendaces sermones audiat. *Malus enim*, ut ait Sapiens *obedit linguæ iniquæ, et fallax obtemperat labiis mendacibus.* (Proverb. 17, 4.) Debet igitur, qui
suum desiderat mortificare auditum, conversa- 151.
tionem et eloquia fœminarum inutilia imprimis devitare ; debet nugas, scurrilitates, narrationes ridiculas rejicere ; custodiendæ sunt aures a rumoribus sæcularibus, a detractionibus, et auditum aperire fidei ; nam per auditum fidei datur Spiritus Sanctus, ut ait D. Thom. explicans illud Apostoli ad Galat. 3 : *Hoc solum a vobis volo dicere : Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei ?* ».

SECTIO III

De potentia odorativa et illius mortificatione.

SUMMARIUM

152. Odoratus potest esse periculosus, si non debite mortificetur. 153. Viros spirituales dedecet, fragrantia odorum præ se ferre. 154. Justis debet sufficere bonus odor virtutum. 155. Quomodo hic sensus debet mortificari ?

152. *Dico* 1. Odoratus potest esse periculosus, si non debite mortificetur. Unde viros spirituales
153. dedecet, fragrantiam odorum præ se ferre,quæ et alios solet scandalizare et ipsos aliquando allicere
154. ad mores effeminatos et lascivos. Justis debet sufficere bonus odor virtutum juxta illud Apostoli (1.ad Corinth.2.) *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.*» Et bene dicit Apostolus : «Bonus odor.» Nam in justo redolent aromata spiritualia virtutum: nardus humilitatis, unguentum benignitatis et devotionis, thus patientiæ et devotæ orationis, libanus continentiæ et castæ conversationis,balsa-
155. mus divinæ gratiæ et totius sanctificationis.Debet igitur, qui mortificationem odoratus procurat, quorumcumque odorum fragrantiam a se et a suis vestibus et a domo sua penitus excludere et solum odores procurare ad res sacras, ad templa et ecclesias, ut faciebat Sponsa (Cant. 1.), quæ solum tunc faciebat spirare nardum suam odorem, cum esset rex in accubitu suo, ut illa dixit : « *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* » Non dixit : in accubitu meo, sed suo, quia solum in ecclesia Dei sunt a viris spiritualibus aromata consumenda.

SECTIO IV

De potentia gustus et illius mortificatione.

SUMMARIUM

156. Gustus non mortificatus est maxime periculosus. 157. Quæ observanda circa gustus mortificationem ? 158. Vir spiritualis debet accedere ad mensam, sicut ad crucem. 159. Debet accedere ad crucem, sicut ad mensam.

Dico 1. Gustus non mortificatus est maxime periculosus. Gustus pomi Adamum prævaricatorem faciens totum genus humanum vitiavit. Gustus vini Noë verenda detexit. Gustus Lot duarum filiarum stupratorem effecit. Ab Esau jus primogenituræ præripuit. Gustus Israelitas in deserto magna ex parte repentina morte sustulit. Gustus filios Heli sacerdotis, Ophni et Phinees, gladio Philistinorum confodit. Gustus populum Israel peregrinantem per desertum fecit idololatrare. Gustus eos fecit mœchari et spurcitias facere : « *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere,* » (Exod. 32, 6.) et propterea de eis ait Dominus : « *Saturavi eos, et mœchati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur.* » (Jerem. 5, 7.) 156.

Dico 2. Tria circa mortificationem gustus observanda sunt. Primum, ne delicata quærantur alimenta, sed communia. Secundum, ne etiam communia usque ad saturitatem sumantur. Tertium, ut debito modo et cum gratiarum actione ad necessitatem et non ad delectationem accipiantur. Unde vir spiritualis accedat ad men- 157. 158.

159. sam, sicut ad crucem, et ad crucem, sicut ad mensam. Gratias agat Deo, quod hujusmodi naturæ necessitati voluerit ad levamen laboris delectationem misceri. Dum cibos sumit, divinam miretur providentiam, quæ hæc in individuo præparavit ipsi alimenta, semperque gustus mortificationi studeat vel lautiora dimittendo, vel aliquid appetitu subtrahendo, vel etiam interdum absynthium aut quid simile cibis admiscendo, quo fiant insipidi et gustui ingrati.

SECTIO V

De potentia tactus et de illius mortificatione.

SUMMARIUM

160. Tactus omnium sensuum judicatur periculosissimus. 161. Vir spiritualis debet hunc sensum mortificare. 162. Debet vir spiritualis uti cilicio et pœnitentiis. 163. Sancti multum curarunt de mortificando hoc sensu.

160. *Dico 1.* Tactus omnium sensuum judicatur periculosissimus. Nam cum iste sensus per totum divagetur corpus, per quemcumque contactum alterius sexus conturbat et incitat hominem ad
161. lasciviam. Debet igitur vir spiritualis hunc sensum mortificare vel subtrahendo, quæ ipsum delicate possunt commovere, ut contactum non solum aliorum, sed sui ipsius non necessarium,
162. vestes molles ac subtiles rejicere. Secundo ipsum sensum mortificare oppositione vestium asperarum, ciliciis ferreis, catenis, disciplinis et aliis variis modis, ut faciunt viri religiosi, de quibus

plura dicere possemus tam Sanctorum authoritate quam exemplis ; sed in re tam manifesta non est, cur immoremur, cum ad alia, quæ ad nostrum assumptum magis necessaria sunt; properare debeamus. 163.

DISPUTATIO III

De mortificatione sensuum internorum.

SECTIO I

De mortificatione sensus communis, phantasiæ, seu imaginativæ et cogitativæ et æstimativæ.

SUMMARIUM

164 Sensus communis, in qua parte hominis resideat, explicatur. 165. Sensus externi omnes suas species intentionales referunt ad sensum communem, et quod sit officium illius ? 166. Imaginatio, sive phantasia, in qua parte capitis sit collocata, et quod illius munus ? 167. Phantasia est perfectior sensu communi, et quod sit illius officium ? 168. Phantasiæ succedit æstimativa, quæ in homine dicitur cogitativa. 169. Quod sit officium æstimativæ ? 170. In quo loco sit memoria ? 171. Quod sit officium memoriæ ? 172. Homo sciens malum, debet ab eo fugere. 173. Qui perfectionem desiderat, solum res bonas mundi debet admittere. 174. Phantasia est prima, quæ in oratione bellum homini movet. 175. Vir spiritualis totis viribus vanas phantasias debet ab oculis cordis amovere. 176. Non est possibile, carere vanis cogitationibus. 177. Potest homo vanas cogitationes, si velit, respuere. 178. Vir spiritualis, si velit ad contemplationem ascendere, debet vanas cogitationes rejicere.

Dico 1. Ultra quinque sensus externos, de quibus diximus in præcedenti disputatione, constat homo quattuor *sensibus internis*, qui necessarii 164.

illi sunt omnino ad rectam intellectionem, videlicet *sensus communis* in anteriori parte capitis ad
165. frontem residens, ad quem omnes sensus externi tamquam ad commune receptaculum omnes suas species intentionales referunt, iisque facile propter humiditatem receptis circa diversitatem objectorum judicant discernentes inter colores, sonos, odores, sapores atque qualitates tangibiles.
166. Huic succedit *imaginatio*, *sive phantasia*, in media capitis aut cerebri parte sita, quæ paulo siccior
167. magis impressas retinet species ; cumque sit perfectior sensu communi, simul species sensatas componit et ex monte, verbi gratia, et auro for-
168. mat montem aureum. Huic succedit *æstimativa*, quæ in homine dicitur cogitativa per conjunctionem ad intellectum, a quo aliqualem discursum
169. participat. Hæc potentia apprehendit insensata ex sensatis, id est collocata in interna parte cerebri et ex phantasmatibus aliquas intentiones colligit, sicut in ove vel agno ex phantasmate lupi colligit intentionem inimicitiæ, et ex phantasmate canis intentionem amicitiæ. Tandem in
170. posteriori parte capitis est *memoria* ad hujusmodi
171. conservandi intentiones, quæ in homine dicitur reminiscentia, quia in aliis animalibus solo instinctu naturæ, vel data solum occasione præteritorum recordatur, et in homine propria industria et artificio recordatur.
172. *Dico 2.* Cum homo per sensum communem sentiat omnia illa, quæ sunt præsentia sensibus externis, ut supra diximus, debet ab illis, si mala sunt, sicut a nocivis retrocedere et abire, sicut

salmo sentiens aquam amaram retrocedit ad dulcem, et sicut bos, qui sentiens cadaver alterius bovis de novo mortui et occisi, horrende mugit et fugit. Qui enim sensum discretionis ita turbatum habent, ut inter bonum et malum et inter utile et inutile discernere nesciant, sed unum pro alio recipiunt, similes sunt porcis, qui non sentiunt fœtorem stercoris, et asinis, qui non sentiunt laborem onerum. Et de his dixit Spiritus Sanctus Proverb. 23 : « *Verberaverunt me, sed non dolui, traxerunt me et ego non sensi.* » Qui ergo ad perfectionem 173.
tendere desiderat, ita debet res mundi sentire, ut solum bona admittat, mala vero omnino respuat.

Dico 3. Cum phantasia seu imaginatio per pec- 174.
catum Adæ omnino manserit debilitata, est prima, quæ in quiete orationis bellum homini spirituali movet, et taliter illum persequitur, ut etiam viri sancti orando quandoque evagationem mentis patiantur juxta illud Psalm. 39 : « *Cor meum dereliquit me.* » Sæpe enim hujusmodi præsentium cogitationum tumultus quotidie etiam invicti patiuntur. Unde homo spiritualis totis viribus phantasias cogitationum vel quaslibet imagines rerum corporalium ab oculis cordis amovere debet ; nam, ut ait Job (17,11.) « *Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum,* » quia, ut explicat D. Thomas (*in expositione horum verborum), istæ imaginationes a suavi consideratione veritatis erant deductæ in cogitationes corporales imaginativæ, quæ semper vigilat. Debet igitur 175.
homo in principio orationis observare illud dictum D. Bernardi* : *Charæ sollicitudines, anxie-*

tates, labores, pœnæ, exspectate me hic cum asino corpore, donec ego, ratio scilicet cum intelligentia usque illuc properantes. postquam adoraverimus, revertamur ad nos, » alludens Sanctus historiæ Abrahæ, quando obtulit filium, ut sacrificaret illum Domino in monte, qui fuit figura contemplationis.

176. *Dico 4.* Cum æstimativa sive cogitativa ex phantasmatibus intentiones colligat, non est in nostra potestate, malarum aut inanium cogitationum impugnatione carere. Istæ enim cogitationes oriuntur tum ex humani cordis imbecillitate, tum ex nostra concupiscentia, quæ enim concupiscimus, ardenter amamus. Unde Laurentius Justinianus* dixit : « *Vis nosse, ubi thesaurizas? Attende, quid amas. Vis nosse, quid amas? Attende, quid cogitas.* » Oriuntur etiam ex suggestione dæmonis, qui nos potest pravis et impudicis cogitationibus vulnerare, et quos non potest adeo ferire, saltem variis et inutilibus cogitationibus fœdat. Licet igitur homo his vanis et inutilibus
177. cogitationibus non possit carere, potest tamen cum divino gratiæ adjutorio eas constanti animo respuere et earum numerum quotidie magis ac ma-
178. gis attenuare. Unde vir spiritualis, si velit ad orationem attendere, debet inanes cogitationes totis viribus rejicere, et licet non possit eas penitus amputare, quia semper caro concupiscit adversus spiritum, debet tamen eas, quantum ei possibile fuerit, rejicere, postulando a Domino, ut ipse eum in hoc bello adjuvet, et cor suum rebelle ei subjiciat.

SECTIO II

Quomodo purganda sit memoria tam naturalibus, quam etiam supernaturalibus notitiis distinctis.

SUMMARIUM

179. Qui ad perfectionem aspirat, debet purgare memoriam a malis apprehensionibus. 180. Vir spiritualis debet notitias malorum actuum e memoria delere. 181. Debet purgare memoriam a notitiis rerum indifferentium. 182. Intus existens prohibet extraneum. 183. Incipientes non debent privare memoriam notitiis naturalibus moraliter bonis. 184. Vir spiritualis debet purgare memoriam a naturali notitia parentum et deliciarum et divitiarum. 185. Vir spiritualis debet purgare memoriam naturali notitia honorum et dignitatum et sæcularium negotiorum. 186. Quid, si ex officio vel pietate religiosus in negotiis temporalibus occupetur, vel ex obedientia ? 187. Quid, quando status personæ ad id non obligat ? 188. Multæ proveniunt animæ utilitates ex purgatione memoriæ, quæ ibi narrantur. 189. Memoria debet purgari a notitiis supernaturalibus distinctis. 190. Vir spiritualis non debet ad distinctas imagines et notitias, quæ ei occurunt, attendere, sed mentem statim in Deum elevare. 191. Quas notitias supernaturales debeat anima in memoria conservare, declaratur. 192. Quas debeat respuere? 193. Supernaturales notitiæ rerum creatarum multa damna possunt causare animæ curiosæ et incautæ, quæ ibi numerantur. 194. Ordinarie hæ notitiæ supernaturales rerum creatarum dant animæ occasionem cadendi in præsumptionem et vanitatem. 195. Diabolus mediantibus his notitiis supernaturalibus potest magnum malum animæ causare. 196. Potest anima taliter memoriæ harum rerum supernaturalium creatarum adhærere, ut ponat impedimentum divinæ unioni. 199. Directa anima talibus notitiis non condigne judicat de Deo secundum ejus eminentiam.

Dico 1. Qui ad perfectionem adspirat, debet 179.
purgare memoriam, primo ab omnibus apprehensionibus et notitiis naturalibus moraliter malis, ut ait Apostol. (1. Petr. c. 2.) : *Deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias et omnes detractiones.* » Unde vir spi- 180.

ritualis non solum a malis actibus se purgare debet, sed etiam eorum notitias e memoria penitus delere, ut sic numquam eorum recordetur, nisi
181. forte, ut errata prioris vitæ defleat. Secundo debet memoriam purgare a notitiis rerum ex sua specie ad bonum et malum indifferentium, sive ex concursu alicujus circumstantiæ reddantur in individuo malæ, sive non. Nam quanto memoria prædictis notitiis inutilibus occupatur, eo minus potest acquirere et conservare alias ad salutem
182. necessarias. Nam intus existens prohibet extra-
183. neum. Non debent tamen incipientes memoriam privare notitiis naturalibus moraliter bonis, sed potius eas debent in memoria conservare ad excludendas notitias malas vel inutiles et indifferentes, quousque Dominus eos altius elevet et in divinam caliginem introducat.

184. Tertio debet vir spiritualis purgare memoriam a naturali notitia parentum et aliorum affinium, ut sic inordinato illorum affectu liberetur appetitus. Quarto debet purgare notitia naturali memoriam voluptatum et deliciarum; sola enim via crucis ad perfectionem et divinam unionem adducit. Quinto debet memoriam purgare notitia divitiarum et commoditatum ex eis consequentium; nam, ut dicitur Sapient. 7 : « *Sapientia infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* » Vir ergo spiritualis solis necessariis ad vitam debet esse contentus, ut ait Apostol. (1. Tim. 6.) : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus.* » Et qui regnum Dei quærit, hæc omnia adjiciun-

tur ei, ut dixit Christus (Matth.6.) : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* »

Sexto debet purgare memoriam naturali notitia honorum et dignitatum, ut etiam eorum affectu purgetur appetitus. Septimo eam debet purgare naturali notitia sæcularium negotiorum, quibus potest appetitus implicari, quia ut ait Apostol. (2. Tim.2.): « *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*, » hoc est negotiis temporalibus, ut explicat D.Thom.(ibi), ubi nota, non omnia negotia temporalia Apostolum prohibere, sed illa, quibus se miles Christi implicat. Nam quando ex officio vel pietate religiosus implicatur in aliquibus occupationibus et negotiis temporalibus, non se implicat, sed implicatur a necessitate et pietate, et hæc regulariter non distrahunt hominem a Deo, sed multoties magis hominem attrahunt ad Deum, ut accidit D.Petro, qui quærens victum arte piscatoria, sæpe sæpius ei fuit obvius Christus in ipsa piscatione, et Apostolus Paulus de labore manuum suarum victum quærebat. Quod ergo nos docet Apostolus, est, ut a temporalibus negotiis abstineamus, quando pietas vel necessitas vel officium non ad id obligat, ut ait Paul. (1. ad Corinth.9.) : « *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*, » hoc est, qui ex proprio statu contendit adipisci contemplationem, ab omnibus se abstinet, ut accidit viris eremiticis et contemplativis, et quibus alias de necessariis ad vitam providetur.

185. 186. 187.

Dico 2. Multæ proveniunt animæ utilitates ex prædicta memoriæ purgatione. Prima, quia ani- 188.

ma summa fruitur tranquillitate et intima spiritus pace, juxta illud Psalm. 118 : *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum* » ; quia scilicet ab exterioribus non perturbantur, quin Deo fruantur. Secunda, quia anima mediante hujusmodi purgatione fruitur puritate conscientiæ, quæ per inordinatas rerum creatarum notitias et per indebitum ad eas affectum ex earum notitiis provenientem fœdatur et maculatur juxta illud Paul. (2. ad Corinth. 1.) : « *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* » Tertia est, quod per hanc purgationem activam memoriæ ex naturalibus notitiis rerum creatarum se liberat homo a periculo et occasione multarum dæmonis suggestionum, tentationum ac internorum motuum, quibus plures et varias potest incurrere impuritates conscientiæ. Quarta, quia anima mediante hac purgatione animæ redditur apta et disposita, ut immediate doceatur a Spiritu Sancto, qui se aufert a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, et munda replevit Apostolorum corda. Et certe non potest Deus hoc memoriæ vacuum pati, sed statim ipsam se ipso replebit. Nam si Deus in ordine naturæ non patitur vacuum, nec etiam illud patietur in ordine gratiæ, sed cum vident memoriam notitiis creaturarum vacuam, divinis illam notitiis implebit.

189. *Dico 3.* Cum anima secundum omnes suas potentias Deo uniatur per virtutes theologicas, videlicet per fidem secundum intellectum, per spem secundum memoriam, et per charitatem secundum voluntatem, sicut per gratiam sanctifican-

tem unitur ei per suam substantiam, certum est, quod memoria non potest aptius et melius disponi ad divinam unionem per exercitium spei, quam ipsam purgando etiam a notitiis supernaturalibus distinctis. Et ratio est, quia quanto magis anima Deo se ipsam servabit, integram privando memoriam notitiis omnium aliarum rerum, quæ non sunt Deus in se ipso, vel Deus humanitus, cujus præsentia seu recordatio plurimum prodest, cum sit via, veritas, vita, lux et auctor bonorum omnium, tanto magis ipsammet memoriam in Deo constituet, et quo magis vacuam aliis habebit, eo confidentius sperare poterit, quod Deus ipsam sua divinitate replebit.

190. Debet igitur anima, quæ in totali et pura spe divina vivere ac quiescere desiderat, quoties distinctæ aliæ notitiæ vel imagines occurunt, non eis attendere, sed statim mentem in Deum elevans eas excludere, non amplius in earum consideratione immorando, quam forte proprii officii necessitas vel alia justa causa charitatis, obedientiæ et similium requiret, et tunc adhuc advertere debet, ne gaudium et affectum, quem soli Deo servare debet, in eis collocet. Nam alias posset inde damnum aliquod vel impedimentum animæ ad divinam unionem provenire. Unde sicut sacras imagines ita respicimus, ut non in earum curiosa speculatione sistamus, sed tantum illis tamquam motivis utimur, ut Sanctos ibi repræsentatos et inde ad Deum velut ad terminum nostræ devotionis elevemur, sic prædictas debemus respicere notitias, etiam supernaturales, quæ vivæ sunt

imagines, ut in eis non sistamus, sed statim ac occurrunt, illis ut motivis utentes ac relictis ad Deum contemplandum in divina caligine properemus.

191. Pro quo sciendum est, has notitias supernaturales posse esse vel in sensibus externis vel internis. Hæ autem apprehensiones supernaturales tam in sensibus externis quam internis præcipue sunt quattuor, scilicet visio, tum corporea, tum imaginaria, tum intellectualis ; revelatio, tum ut est declaratio alicujus mysterii supernaturalis in ordine ad fidem, tum ut est manifestatio alicujus divinæ veritatis ; locutio, tum ut importat verba successiva, tum ut importat verba formalia, tum ut importat verba substantialia; et tactus internus animæ. Quando ergo Deus supernaturaliter communicat animæ generalem quamdam et confusam sui notitiam, quæ est manifestatio divinæ veritatis in caligine, qualis ambulantibus per fidem et in ænigmate potest communicari, vel quando Deus animæ loquitur verbis substantialibus vel quando per intimum illapsum in reali præsentia sic eam in intimo sui tangit, ut ipsa Deo præsente quodammodo fruatur, debet anima notitias inde procedentes in memoriæ sacrario conservare, quia in istis consistit unio divina, ad quam tendit et quæ pro hoc statu mortalis vitæ haberi potest.

192. Quantum autem ad omnes alias supernaturales notitias, quomodocumque communicentur, sive per visiones, sive per revelationes, sive per locutiones, quantumcumque certa foret anima, eas a

Deo procedere, debet ab eis memoriam purgare modo dicto, ne inde quidquam detrimenti ipsi proveniat. Nam licet bonæ sint, non vult Deus, ut anima eis adhæreat tamquam proprietaria,sed quod illis receptis, statim illis relictis ad divinam unionem tendat, quæ non in distincta aliqua notitia, sed in caliginosa Dei contemplatione seu notitia ipsius generali et confusa consistit pro hoc statu viatorum. Concludo igitur dicendo,quod quando notitiæ supernaturales sunt alicujus veritatis divinæ sive perfectionis increatæ, debent in memoria conservari ; quando vero sunt rerum creatarum, si animadvertat anima, se fructum aliquem ex earum recordatione percipere, poterit earum recordari, non ut eis adhæreat, sed ut mediantibus illis renovet et accendat amorem Dei in se ac majorem ejus notitiam acquirat. Quod si nullum ex earum recordatione fructum percipiat, non curet, earum recordari, immo, procuret, non recordari et eis totaliter memoriam purgare.

Dico 4. Supernaturales notitiæ rerum creatarum multa damna possunt causare animæ curiosæ et incautæ, et imprimis qui dictis notitiis firmiter adhæret super ipsas reflectendo, sæpius in suis judiciis decipietur. Unde aliquando judicabit, quod a Deo procedant, cum solum procedant ab imaginatione. Aliquando judicabit, quod procedant a dæmone, cum procedant a Deo, et aliquando circa proximum judicabit, esse moraliter malum, quod est bonum, et e contra, juxta illud Isaiæ 5. : « *Ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras : ponentes amarum in dulce, et* 193.

dulce in amarum. » Debet igitur anima, si nolit in suis notitiis decipi, non velle discutere, quidnam sit illud, quod experitur supernaturaliter in ipsa, quænam erit talis aut talis visio, talis aut talis revelatio, talis aut talis locutio, talis aut talis notitia ; sed non curando de illis omnia suo directori referat, qui eam suadebit ad purgandam memoriam a talibus notitiis supernaturalibus et simul instruet, qualiter circa ipsas se debeat habere cum tali nuditate spirituali et purgatione, cum hæc omnia non ita possint animæ prodesse in ordine ad divinam unionem, quantum proderit minimus actus vivæ fidei vel firmæ spei.

194. Secundo. Hujusmodi notitiæ supernaturales ordinarie dant occasionem animæ cadendi in aliquam præsumptionem et vanitatem, si de illis curet aut plurimum æstimet. Unde qui illis nimis adhæret, irascitur, si videt, alios suum reprobare spiritum, et dum audit, alios majores habere Dei favores, tristatur. Quæ omnia nascuntur ex occulta superbia.

195. Tertio. Potest diabolus mediantibus his notitiis supernaturalibus magnum malum animæ causare, transformando se in Angelum lucis, falsum pro vero, malum pro bono sub occulto et efficaci dolo proponens. Potest etiam augere appetitum harum rerum spiritualium et sic eam in vitium gulæ spiritualis inducere. Et potest animam taliter in hanc sensibilem delectationem inclinare, ut non attendat ad verum Dei amorem, ut plus illas apprehensiones æstimet, quam virtutes theologales fidei, spei et charitatis.

Quarto. Potest anima taliter in memoria reti- 196.
nere aliquam speciem harum rerum spiritualium creatarum et ei taliter adhærere,ut ponat impedimentum divinæ unioni, ad quam adspirat, tum quia per illam occupatur, tum quia per ejus possessionem amittit spei perfectionem.

Quinto denique regulata et directa anima tali- 197.
bus notitiis non condigne judicat de Deo secundum ejus eminentiam, sed admodum defectuose juxta limitatam conditionem talium notitiarum. Et quamvis non expresse judicet, Deum esse aliquid eorum, quæ concipit,æstimare tamen has notitias sibique in eis complacere facit, quod anima non sic Deum æstimet, nec tam alte de ipso sapiat, quantum fides docet, ut ait Isai. 64. et Paul. 1. ad Corinth. 2. : « *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* »

SECTIO III

Quomodo purgandus sit intellectus ab ignorantia vel cæcitate ?

SUMMARIUM

198. Intellectus mortificari potest tum in inquisitione veritatis, tum in proprio judicio circa res agendas. 199. Et si omnes scientias naturales addiscere sit licitum,laudabilius est, sacris vacare. 200. Nemo debet proprio judicio sic inniti,ut nolit aliorum stare judiciis. 201. Maxime cavendum est a proprio judicio circa res agendas, quando nostrum interest. 202. Maxime timenda est tenacitas proprii judicii in viris spiritualibus. 203. Tenaces judicii sunt unitatis divisores et pacis inimici. 204. Mortificanda est curiositas intellectus et proprium judicium, et cur ?

Dico 1. Intellectus mortificari potest tum in 198.

inquisitione veritatis, tum in proprio judicio circa res agendas. Quantum ad primum, illud docet Paulus (ad Roman. 12, 3.) : « *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* » Et licet hoc principaliter de rebus fidei intelligatur, in quibus soli divinæ revelationi fidentes, debemus intellectum captivare in obsequium fidei et non curiosius inquirere, quæ supra nos sunt ; ad alia tamen etiam se extendit, in quibus addiscendis, sicut possumus per negligentiam deficere, sic etiam per curiositatem excedere. Unde opus est virtute studiositatis, quæ defectum et excessum hujusmodi moderatur. Et quidem si ad scientias
199. respiciamus, etsi naturales omnes et honestas addiscere sit licitum, laudabilius est, sacris vacare. Si vero modum addiscendi respiciamus, non debemus velle scire, ut præcise sciamus, quia damnabilis est curiositas, nec ut sciamur, quia superba est vanitas, sed debemus velle scire, tum ut ædificemur, quod est humilitas, tum ut ædificemus, quod est charitas.

200. *Dico 2.* In proprio judicio circa res agendas nemo debet proprio sic inniti judicio, ut nolit aliorum stare judiciis. Nam dicitur Proverbior. 3,5. : « *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo,*
201. *et ne innitaris prudentiæ tuæ.* » Maxime vero cavendum est a proprio judicio circa res agendas, quando nostrum interest. Tunc enim in ferendo judicio facile decipimur. Nemo enim potest esse
202. judex in propria causa. Est etiam maxime timenda tenacitas proprii judicii in viris spiritualibus. Hæc autem illorum est, qui zelum Dei ha-

bent, sed non secundum scientiam, sequentes errorem suum et obstinati in eo, ita ut nullis velint consiliis acquiescere. Hi sunt unitatis divi- 203.
sores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi et magni in oculis suis, ignorantes Dei justitiam et suam volentes constituere. Et quæ major superbia, quam ut unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tamquam ipse solus habeat Spiritum Dei ? Idololatriæ scelus est, non acquiescere, et quasi peccatum ariolandi, repugnare. Mortificanda est ergo 204.
curiositas intellectus ac proprium judicium ; illa quidem, ne novis doctrinis assentiatur in præjudicium fidei, ne majorum decreta discutiat irreverenter, ne leges stabilitas ad examen revocet ; istud autem, ne in aliorum factis se intromittat, ne directionem Superiorum condemnet et ne se ipsum aliis præferat in detrimentum humilitatis, quæ se subjicit omnibus et in omnibus propter Deum.

SECTIO IV

De purgatione propriæ voluntatis.

SUMMARIUM

205. In quo consistat propria voluntas, demonstratur. 206. Propria voluntas purganda est, et quomodo ? 207. Abnegatio propriæ voluntatis necessaria est tum ad salutem, tum ad perfectionem. 208. Ut simus veri Christi imitatores, abneganda est propria voluntas in omnibus. 209. Mortificanda est voluntas quoad amorem proprium. 210. Amor proprius est initium totius mali. 211. Impossibile est, quod sit pax, ubi est amor proprius. 212. Solus amor Dei potest amorem proprium superare. 213. Quomodo sit mortificandus amor proprius ?

205. *Dico 1.* Voluntas propria dicitur, quæ ita nostra est, ut in eo, quod volumus, non sit Deo proximisque communis, ut si ego volo dormire tempore, quo Deus vult, quod orem, vel vigilarem tempore, quod Prælatus præcipit, quod dormiam. Nam si ego contrarium facio illius, quod Deus vel Prælatus vult, dicitur fieri ex propria volun-
206. tate. Hæc autem propria voluntas purganda est, abnegando homo se ipsum, ut ait Dominus (Mat. 16.) : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* ». Hæc autem salubris abnegatio propriæ voluntatis
207. necessaria est, ut ait D. Thom. (in eodem loco) tum ad salutem, tum ad perfectionem ; ad salutem, quatenus homo in Deo finem suæ intentionis ponit nihilque admittit, quod contrarium divinæ dilectioni existimet ; ad perfectionem vero pertinet, quatenus homo propter intentionem amoris Dei etiam ea abjiciat, quibus licite uti potest, ut per hoc liberius Deo vacet. Unde ut simus veri Christi imitatores, abneganda est propria voluntas
208. in omnibus, ita ut nihil propter nos ipsos aut propter nostram voluntatem explendam aut capiamus, aut faciamus, ut fecit Christus, ut ipse ait (Joan. 6.) : « *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* » Unde omnia opera taliter a nobis facienda sunt, ut simus parati, ea relinquere, aut pro aliis commutare, cum Dominus per suum instinctum vel vocem Prælati sic faciendum esse præscripserit juxta illud David (Psalm. 56.) : « *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum* », et illud Pauli

(Act. 9.) : *Domine, quid me vis facere* ? » ut etiam notavit D. Bernardus (sermone 1 in conversione S. Pauli.).

Dico 2. Mortificanda est etiam voluntas quoad proprium amorem. Amor enim proprius est contrarius Dei amori et initium totius mali, et ejus finis est perditio, et propterea Christus Dominus (Joan. 12.) dicit : « *Qui amat animam suam* (hoc scilicet amore proprio), *perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo* (sancto scilicet et perfecto odio talem amorem destruente) *in vitam æternam custodit eam.* » Unde cum amor proprius sit ita perniciosus, debet omnino mortificari et ad regulam rationis ac divini amoris reformari præsertim ab iis, quos instruimus in præsenti, ut affectum suum perfectissime purgent in ordine ad divinam unionem, ubi pax et vera tranquillitas possidetur. Impossibile namque est, quod ubi viget amor proprius, ibi pax animæ reperiatur, ut notavit Richardus a S. Victore. (Tract. 1 de exterminatione mali, cap. 19.). Et licet ardua sit amoris proprii mortificatio, cum sit amor connaturalis et non acquisitus, et sic firmiter inhæreat, ut vix eradicari possit, cum sit intimus, et sic lateat, ut vix aliquando appareat, et cum sit taliter universalis, ut pene omnibus, etiam viris perfectis dominetur, et etiam in bonis operibus reperiatur, mortificandus tamen est, si non penitus eradicandus, alias de salute desperatum est. Nam, ut ait Augustinus* : « *Amor sui fuit prima hominis perditio.* » Si enim se non amaret et Deum sibi proponeret, Deo semper esse subditus vellet, et

209. 210. 211.

non converteretur ad negligendam voluntatem illius et faciendam voluntatem suam.

Dico 3. Amor proprius mortificandus est dirigendo nos et omnia nostra frequenter in Deum.

212. Solus enim amor Dei potest amorem proprium superare, subjicere et mortificare. Unde si divi-

213. nus amor in nobis exercit, nos suaviter Deo subordinabit et efficiet in nobis quod fieri Deus desiderat. Ad hanc amoris proprii mortificationem plurimum etiam conducit, si contraria exerceamus opera iis, quæ dictare solet amor proprius : si fugiamus honores, cum quærendos esse inspirat ; si dimittamus pecunias, dum colligendas suadet ; si vitemus delicias, dum ad sectandas impellit. Sed præcipue cooperatur proprii corporis afflictio, in quo principaliter fovendo talis amor versatur. Unde D. Hieronymus (in vita S. Hilarionis, paulo post initium) refert, quod S. Hilarion Abbas corpori suo recalcitranti et delicias meditanti dicebat : *Ego, aselle, faciam, ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis ; fame te conficiam et siti ; gravi onerabo pondere ; per æstus indagabo et frigora, ut cibum potius quam lasciviam cogites.*

DISPUTATIO IV

De purgatione passiva partis sensitivæ.

SECTIO I

In quo consistat formaliter purgatio passiva partis sensitivæ.

SUMMARIUM

214. Quid sit purgatio passiva partis sensitivæ, declaratur. 215. Incipientium via ordinarie a gratia sensibili sumit initium. 216. In purgatione passiva partis sensitivæ repente gratia sensibili privantur. 217. Sic privati gratia sensibili credunt, se ad summam miseriam devenisse. 218. Credunt, hæc ex aliquo peccato commisso provenire. 219. In hac privatione gratiæ sensibilis formaliter consistit purgatio passiva partis sensitivæ.

Dico 1. Purgatio passiva partis sensitivæ est ste- 214.
rilitas orta ex subtractione gratiæ sensibilis, quæ fit Dei judicio. Dicitur sterilitas, quia est quædam ariditas, desolatio, tædium totius rei spiritualis, tum quia quidquid meditanti offertur, decipit, quidquid cogitare disponit, indiscussum præ ariditate spiritus delinquit, nihil sapit, nihil delectat, nihil reperitur, quod pascat affectum, quia potius ubique tenebræ densissimæ palpantur, ubique sterilitas sentitur; fiunt quoque intus fulguris tonitrua, coruscationes et immissiones per angelos malos, ut avertant a sua stabilitate animam, faciant que illam ab oratione cessare. Denique cor sicut lac coagulatum est factum est sicut terra sine aqua, ut ait D. Bernardus*.

215. Dicitur orta ex subtractione gratiæ sensibilis, quia incipientium via ordinarie a gratia sensibili sumit initium. Nam Deus optimus maximus se nutrici conformans incipientem adhuc tenellum suavi lacte devotionis sive sensibilis gratiæ pascit affluentia, ut suo tempore solidiori et magis substantiali cibo advitæ spiritualis augmentum perducat, quomodo se gessisse dicit Paulus (1.ad Corinth. 2) dicens : « *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam ; nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis ; adhuc enim carnales estis.* » Dum igitur incipientes sic suaviter pascuntur gratiæ deliciis et hauriunt ad libitum aquas de fontibus Salvatoris, ex impro-
216. viso gratia sensibili privantur. Lacrimæ devotionis, quibus antea abundantius irrigabantur, arescunt ; nullum in spiritualibus exercitiis pietatis sensum percipiunt ; nihil in oratione mentali proficiunt, gratiæ fontes exsiccatæ videntur ; cœlum apparet æneum ; undique tentationes occurrunt ; sensus omnes perturbantur ; affectus sensibilis languescit, ubique labores et errores.

217. Dum igitur se inexperti tyrones tam improvisa status mutatione a summa felicitate, ut credunt, ad summam miseriam devenisse conspiciunt, miris torquentur modis, conscientiam diligentius examinant, ut tam subitæ paupertatis ac spiri-
218. tualis inopiæ causam inveniant. Credunt, hæc ex commissa de novo gravi culpa provenire ; cumque in oratione et aliis spiritualibus operibus se videant penitus insipidos et distractos instar pueri recenter ablactati, lactis dulcedine sive gratiæ

sensibilis suavitate privati, crassiori cibo degustando aptum non habentes mentis palatum, intimis affliguntur et gemunt præcordiis et anxio cordis affectu deperditas quærunt mentis delicias, et sponsam imitati circumeunt civitatem, quærentes ubique, quem diligit eorum anima. Et in 219.
his formaliter consistit purgatio passiva partis sensitivæ.

SECTIO II

De causis purgationis passivæ partis sensitivæ.

SUMMARIUM

220. Quæ sit causa materialis purgationis passivæ partis sensitivæ, declaratur. 221. Quæ sit illius causa formalis. 222. Quæ sit illius causa efficiens. 223. Quæ sit ejus causa finalis.

Dico 1. Causa materialis purgationis passivæ 220.
partis sensitivæ est pars sensitiva hominis, in qua exercetur talis purgatio, tam quantum ad affectum, quam quantum ad cognitionem. In ipsa quippe parte sensitiva est portio affectiva, quæ in duplici viget appetitu concupiscibili et irascibili et utriusque actibus, seu passionibus ad bonum sensibile sibi commensuratum propendit. Est etiam portio cognoscitiva, quæ in sensibus tam externis, quam internis residet, quorum actibus objecta sensibilia comprehendit. In utraque hac portione partis sensitivæ tamquam in materia seu subjecto fit hæc purgatio sensitiva.

Dico 2. Causa formalis est subtractio gratiæ 221.
sensibilis, justis motivis a Deo facta. Ex qua sub-

tractione graves et variæ admodum angustiæ, desolationes et continuæ in sensu tam affectivo quam cognoscitivo procedunt ariditates. Unde pressus doloribus et miseriis quasi in obscura nocte horroribus tabescit, in quibus purgatio passiva partis sensitivæ consistit. Cum enim prius continuis gratiæ sensibilis favoribus procederet, nunc sibi quodammodo relictus, quamvis majoribus internæ gratiæ ad patientiam fulcitur auxiliis, amaritudinem experitur, ubi fruebatur dulcedine; spinas reperit, ubi colligebat rosas; dolores patitur, ubi delicias percipiebat. Unde nec cœlestibus nec terrenis potitur gaudiis, sed sedere sibi videtur in tenebris et umbra mortis, maxime cum nullum in exercitio virtutum saporem recipiat, sed se tepidum et quasi a Deo derelictum intueatur.

222. *Dico 3. Causa efficiens* sive effectiva est Deus ipse bonus et misericors, quamvis tunc incipienti austerus et plurimum iratus appareat. Cum enim in suo electo cœptum perfectionis opus consummare velit ipsumque ad intimam sui unionem disponere et ad singularem amicitiam parare breviter intendat, aliunde gratiæ sensibilis affluentiam prius necessariam, sed jam inutilem ac potius ob imperfectionem abutentis noxiam advertat, illam misericorditer subtrahit, ut incipientem ab apparentia devotionis ad substantiam ipsius, a cortice perfectionis ad medullam ipsius feliciter perducat, ut fecit D. Petro, quem prius duxit ad montem ad videndam gloriam Transfigurationis, et postea permisit, ut cribraret eum

satanas. Et Patri nostro Eliæ prius dedit panem et aquam per Angelum sub junipero, et postea illum fecit ambulare in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Horeb. Et filiis Israel prius dedit manna, et postea eos quadraginta annos duxit per desertum. Ubi nota, quod ad delicias secutæ sunt ariditates et labores, ut memoria prioris dulcedinis, quam experti fuerant, non diffidentes desperarent, sed ad Dominum, quem tam amabilem senserant, redirent.

Dico 4. Causa finalis purgationis passivæ in parte sensitiva est, ut hæc pars inferior apte purificata conformetur parti superiori, cui subordinatur, ui sic utique bene disposita simulque consentiens ad intimam Dei concurrat unionem. Quamvis enim præcipue in parte superiori, videlicet intellectiva, hæc unio divina perficiatur, propter quod ejus purgatio dispositiva major et efficacior esse debet, pars tamen inferior, proportionata etiam purgatione disponenda est, qua parti superiori subjecta perfectius obediat, cum inordinatis suis motibus et variis tumultibus secretorum divinorum participationem ac Dei communicationem facile posset avertere et in multis perturbare. Hic est finis a Deo intentus, cui plurima deserviunt motiva inferius exprimenda. 223.

[SECTIO III

De necessitate purgationis passivæ partis sensitivæ.

SUMMARIUM

224. Primum motivum purgationis passivæ partis sensitivæ est, ut pars inferior subordinetur parti superiori. 225. Secundum motivum est, ne angelus satanæ se transformet in angelum lucis in communicatione gratiæ sensibilis. 226. Tertium motivum est, quia incipientibus incertum est, unde proveniant communicationes et delectationes sensibiles, an a bono, vel a malo spiritu? 227. Quartum motivum est, quia licet hæ communicationes sint a Deo, non ideo pluris æstimandæ sunt, quia sæpe ejus inimicis conceduntur. 228. Optandum est, quod ab his sensus a Domino purificentur. 229. Quintum motivum est, quia licet solis justis concederentur, sunt imperfectæ et propriæ incipientium. 230. Sextum motivum est, quia, licet sint a Deo, præbent occasionem superbiæ. 231. Septimum motivum est, quia ad hujusmodi communicationes sensitivas multæ sequuntur impuritates ex defectu purgationis partis sensitivæ. 231 (*a*). Octavum motivum est, quia communicationes sensitivæ plerumque nocent saluti.

224. *Dico 1. Primum et principale motivum* inter ea, quæ suadent necessitatem purgationis passivæ in parte sensitiva, est, ut pars sensitiva inferior subordinetur intellectuali ut superiori et ad intimam cum Deo unionem cum ea concurrat. Nam licet appetitus sensitivus natus sit obedire rationi, ut ait D. Thom. (2. 2. q. 158. art. 8.), hoc intelligitur, ut ait (ibi) idem D. Thomas, nisi aliud obstet. Constat autem, quod pars sensitiva objectis intensius occupata et velut absorpta potius rebellis, quam fidelis efficitur parti superiori, et potius ejus spiritualibus exercitiis obstat, quam cooperatur. Unde necessarium est, quod Deus incipientes purgatione partis sensitivæ purificet,

gratiam sensibilem devotionis, visionum, revelationum divinarumque aliarum impressionum subtrahendo, quando jam ex communicatione talis gratiæ in studio virtutum firmatos intuetur, ita ut nullum remaneat periculum, quod respiciant retrorsum et ad sæculi voluptates revertantur.

Dico 2. Secundum motivum est, quia angelus satanæ se transformans in angelum lucis in communicatione gratiæ sensibilis potest, Deo permittente, permisceri et incautos vel elatos incipientes in errorem et ruinam adducere, ut notavit S. Laurentius Justinian. (* lib. de disciplina monastica, cap. 8.) Et ratio id suadet, quia potest diabolus facere, quod aliquæ formæ imaginariæ repræsententur imaginationi, quibus homo subducatur. Potest etiam facere, quod appetitus sensitivus concitetur ad aliquam passionem adeo vehementer, ut illi, qui a passione detinetur, videatur bonum id, ad quod per passionem inclinatur, cum tamen sit in se malum. Et per hunc modum interius diabolus inducit ad peccandum et mediante hac purgatione passiva liberatur homo, ne decipiatur a satana. 225.

Dico 3. Tertium motivum est, quia incipientibus incertum est, an hujusmodi communicationes et dulcedines sensibiles a naturali dispositione, diabolo cooperante, procedant, vel a naturali alacritate. Et moveri se putant spirituali consolatione, cum tamen sæpe ab inimico vel proprio corde moveantur. Sæpe enim in delectatione se immiscet inimicus, et ea, quæ sunt secundum passionem, facit judicare secundum rationem et multoties 226.

falsa loquitur. Non ergo debet homo sequi sui cordis cogitationem, et hoc non solum in statu peccati, sed etiam in ipsa gratia. Prudenter, quid agendum sit, est attendendum. Unde cum aliqui dicunt, Christum sibi apparuisse et eos amplexasse et deosculatos esse tali consolatione, ut non solum interius spiritualiter, sed etiam exterius caro congruo sibi oblectamento, sensus sensibiliter, carnaliter consolata fuerint, omnino rejiciendi sunt. Hoc enim falsum et seductorium et blasphemum est. Nam Spiritus Sancti visitatio, sicut contra omnia vitia reprimenda et detestanda infunditur, ita et singulariter contra carnales illecebras opponitur, ut recte notavit cum D. Bernardo Noster Fr. Philip. a Trinitate (p. 1. tr. 3. discurs. 1. art. 3.), et Vallgorner. (q. 11 art. 8. n. 458.)

227. *Dico 4. Quartum motivum est*, quia licet concedamus hujusmodi communicationes gratiæ sensibilis esse veras et a Deo procedere, non a dæmone, vel a propria imaginatione, non ita tamen æstimandæ sunt, cum impiis aliquando et imperfectis communes sint, ut ait David (Psalm. 80) : « *Inimici Domini mentiti sunt ei.* » Et tamen statim ait : « *Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.* » Sæpe enim Deus etiam peccatoribus has consolationes sensibiles commu-
228. nicat. Unde potius optandum, quod ab his sensus a Domino purificentur, ut animus ad divinas communicationes, solis justis et perfectis proprias, valeat pervenire, ut notavit Richardus a S. Vict. (in Psalm. 80).

229. *Dico 5. Quintum motivum est*, quia licet ad-

mittamus prædictas communicationes a solo Deo et solis justis amicis concedi, sunt tamen imperfectæ et incipientibus propriæ. Unde conveniens est, ut animus ab eis purgetur, ut ad majores et perfectiores communicationes gratiæ adspiret. Affectuosa enim dilectio interdum plus afficit minus diligentem et minus perfectiorem. Interdum enim imperfectus aliquis et carnalis ad Deum afficitur, non eo quod valde diligat, sed quia dulcedinem gratiæ degustat. Sed non agnoscitur in bonis amicus, sed in nocte tentationum et laborum et in præceptis declarat quisque, quantum diligat. Dulcis enim in Deum affectus multoties potius ab humanitate procedit, quam a gratia, ita ut quis magis aliquando accedat ad illud, quod magis sapit, quam quod expedit. Et hoc affectu errabant discipuli, qui carnaliter Deum diligentes, ejus præsentia carere nolebant. Unde a Christo non diligere arguebantur, quia quod delectabat magis, quam quod expediebat, amplectebantur.

Dico 6. Sextum motivum est, quia tales sensi- 230.
tivæ communicationes, et si veræ et a Deo procedentes sint; ex imperfectione tamen incipientium et suggestione dæmonum præbent occasionem superbiæ. *Sæpe enim homines ex bono superbiunt*,» ait D. Thom. (*super Job, cap. 40.), sicut faciebat ille, qui dicebat (Luc. 18.) : « *Non sum sicut cæteri hominum.* » Unde diabolus videns illos per talem superbiam dispositos, eorum sensibus phantasticum lumen, Deo ita permittente, infundit, ut illo elati, ad novitates et revelatioes

anhelent, quas etiam eis sæpe diabolus in imaginatione ponit aliquando veras et frequentius falsas, et hæc nimis avide ab inexpertis acceptantur et tamquam divina stolide venerantur ac in talibus intimo cordis gaudio delectantur, quo fit, quod ab inani gloria depasti, paulatim vinolento pabulo divini amoris affectum inficiunt et tandem incidunt in gravia superbiæ peccata.

231. *Dico 7. Septimum motivum est,* quia ad hujusmodi cummunicationes sensitivas ex defectu purgationis sensitivæ partis multæ sequuntur impuritates ob rationes adductas, et periculum est, ne incipientes nondum in virtute firmati, consensum eis præbeant et carne consument, quod spiritu inceperunt.

231[a]. *Dico. 8. Octavum motivum est,*quia plerumque communicationes sensitivæ nimium gustatæ plurimum nocent saluti, caput et cor debilitant viresque penitus exhauriunt. Unde incipientes sic debilitati reducuntur inepti spiritualibus exercitiis et ab studio devotionis propriis infirmitatibus pressi coguntur recedere. Unde in ipso statim principio corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et stare necessitatur in via perfectionis, dum currere deberet.

SECTIO IV

De tædio, ariditate et desolatione, quæ reperitur in purgatione passiva.

SUMMARIUM

232. Tædium contrarium est devotioni substantiali. 233. Ponitur definitio tædii. 244. Effectus hujus tædii in anima numerantur.

235. Homo hoc tædio affectus non debet relinquere tempus consuetum orationis. 236. Quid sit ariditas, explicatur. 237. Quæ sit radix hujus ariditatis et sterilitatis ? 238. Ponuntur aliæ causæ et radices hujus ariditatis. 239. Quid sit desolatio in oratione, explicatur. 230. Homo positus in hac desolatione debet insistere orationi.

Dico 1. Tædium substantiali devotioni contra- 232.
rium est. Definitur : *Horror quidam orationis et* 233.
tristitia ac languor animi in omnibus, quæ perti-
nent ad cultum et obsequium Dei. Pro quo 234.
sciendum est, quod homo tempore hujus tædii solet somno in oratione opprimi, illustrationibus cœlestibus, quæ antea animam delectabant, omnino privari et ingressa est post illas atra caligo. Tempus modicum orationis hoc tædio laboranti longum videtur. Ita vehemens est languor, ut etiam verum et efficax desiderium salutis excludat. Rapitur in hoc statu animus ad terrena, cœlestia vero, quæ prius suspirabat, exhorret. Et si aliquando in illa desiderio fertur, illud infirmum, dejectum et plane invalidum reperitur. Omnia tunc sordent, omnia nauseam provocant, et homo sibi onerosus, aliis molestus et ad universa virtutis opera tam interiora quam exteriora ineptus efficitur.

Dico 2. Quando homo sic a Deo rejicitur et in 235.
tanta angustia relinquitur, ut nec orare nec laborare libeat, debet non relinquere tempus consuetum orationis, sed se debet in loco orationis constituere et ibi saltem oratorii parietes observare et abjectis ineptis cogitationibus simpliciter Deum respicere, et si millies divertatur, millies oculos ad Deum elevet. Id unum evitet, ut locum

suum et sanctum orationis exercitium utcumque non omittat; sed si divertatur aliquando, legat aliquem librum meditationum. Omissionem autem orationis pro aliquo pio opere, quod tunc omissionem suppleat, aut pro spirituali colloquio cum magistro spirituali non approbo, nisi cum tanta esset afflictio, et tam vehemens tentatio, ut quis in aliquod periculum se casurum probabiliter timeat.

236. *Dico 3. Ariditas est quidam defectus, seu steri-*
237. *litas, seu siccitas consolationis sensibilis.* Radix autem hujus ariditatis, sterilitatis vel siccitatis in eo consistit, quod Deus, volens animam ab statu imperfecto ad perfectum adducere, suas communicationes transfert a sensu ad spiritum, et de sensitivis mutat in pure spirituales. Et cum hæ communicationes potius sint subtantiales, quam delectabiles, nequaquam ad sensum res sic spirituales valent redundare. Unde sensus remanet omnino vacuus et siccus, quamvis tunc spiritus pascatur et reficiatur interius. Unde cum gustum et saporem sensus non recipiat, immo potius ariditatem, fastidium patitur propter subitam communicationum mutationem.

238. *Dico 4.* Radices hujus ariditatis aliquando proveniunt tum ex inordinatis affectibus et inanibus desideriis, tum ex negligenti cordis mentisque custodia, tum ex otio et scurrilitate, tum ex nimiis et immoderatis occupationibus, tum ex defectu materiæ, tum ex defectu resignationis, et quia non propter Deum, sed propter nos ipsos suavitatem optamus. Remedia autem contra

hujusmodi radices sunt : contra primum fortitudo, quia fortiter contra inordinatos affectus pugnandum est ; contra secundum sollicitudo, qua omnia distrahentia a Deo repellamus ; contra tertium labor, quo nugas et similia levitatem redolentia abjiciamus ; contra quartum moderatio, qua labores moderentur, ut cor in Deum tendat ; contra quintum meditatio, quæ abunde materiam ministret ; contra sextum conformitas cum divina voluntate, qua ariditatem plus quam suavitatem optemus. Si iis ergo remediis quilibet ariditates amputaverit, ipsa ariditas exarescet et aptior ad Dei visitationes efficietur.

Dico 5. Desolatio est ægritudo sensualis partis 239.
hominis ad cœlestia adspirantis, quæ ex rebus spiritualibus gaudium et lætitiam non percipit. Sæpe namque appetitus contradictionem sentit et devotione privatur, et tunc homo desolatione torquetur. Quando igitur homo se positum sen- 240.
tit in hac desolatione, debet insistere orationi sicut infirmus, qui fastidium sentit, seipsum ad manducandum cogit desiderio salutis, necessitate convictus. Sic ergo talis homo debet orationi intendere, si non ea dulcedine, qua antea fruebatur, ad minus necessitate compulsus.

SECTIO V.

De signis demonstrantibus purgationem passivam.

SUMMARIUM

241. Incipientes ariditate, quæ datur in purgatione passiva partis sensitivæ, nimium cruciantur, eo quod nesciunt, unde talis ariditas proveniat. 242. Plura dantur signa, quando procedunt ex purga-

tione passiva. 243. Primum signum est, si incipientes nullam inveniant consolationem nec in objectis divinis nec creatis. 244. Secundum signum est, si in illa ariditate incipientes memoriam Dei conservent. 245. Tertium signum est, si non possint meditari nec discursus formare, ut antea, quantumcumque nitantur. 246. Quod hæc ariditas et suspensio non possit provenire ab aliqua indispositione naturali, ostenditur. 247. Quando hæc purgatio passiva est dispositio ad divinam unionem, quanto magis anima viam purgativam ingreditur, eo magis operatio sensitiva deficit. 248. Quando Deus vult elevare animam ad divinam unionem, eam ab omni discursu suspendit.

241. *Dico 1.* Cum incipientes studiosi devotionis repente se videant consueta devotione sensibili privatos, nesciunt, qua via id evenerit, an ex aliquo occulto peccato, et cum alias nesciant, an odio digni sint vel amore, intime cruciantur, et cum alias hæc ariditas possit etiam provenire tum ab imperfectionibus, tum a tepiditate spiritus, tum a
242. prædicta purgatione passiva, necesse est ad illorum consolationem infallibilia assignare signa, ex quibus magistri spirituales colligant, talem ariditatem provenire ex prædicta purgatione passiva.
243. *Dico 2. Primum signum est*, quod incipientes nullam consolationem inveniant sive in objectis divinis, sive creatis. Et ratio est, quia cum Deus ab rationes adductas eos in nocte obscura constituat, ut partem sensitivam, tam cognoscitivam, quam affectivam purget et omnino purificet, non permittit, quod in ulla re sensibili, sive sancta, sive mala, vel indifferenti delectentur. Ex quo manifeste colligitur, quod hæc ariditas non procedit ex peccatis vel imperfectionibus de novo commissis, alioquin appetitus sensibilis ad prædicta peccata sensibilia penderet et inclinaretur.

Cum ergo siccitas sit universalis, signum est, quod provenit a Deo et non ab aliquo objecto sensibili malo, quod appetit homo.

Dico 3. Secundum signum est, quod incipientes 244.
in illa nocte et ariditate constituti ordinariam, quamvis afflictivam Dei memoriam conservent. Et ratio est, quia si hæc ariditas ex humore melancholico vel aliqua indispositione naturali proveniret, cœlestia potius quam terrena e memoria excluderet. Tepiditatis enim proprium est, parum divina curare, et potius eorum nauseam et fastidium ingerere. Ergo cum hæc ariditas purgativa maximam afferat in divino obsequio sollicitudinem, et addat dolorem, si in tali obsequio aliquis defectus et remissio percipiatur, inde est, quod hujusmodi nox et ariditas non ex tepiditate vel defectu naturali oritur, sed ex divina dispositione.

Dico 4. Tertium signum est, quod incipientes 245.
prius meditationibus ac piis discursibus assueti jam non possunt meditari nec discursus formare, quantumcumque nitantur. Et ratio est, quia, cum Deus se eis amplius per sensus nolit communicari, sed per simplicitatem contemplationis, ad quam sensus tam externi, quam interni pertingere non possunt, propterea imaginatio, sive phantasia non habet, unde incipiat aut prosequatur suam operationem. Quod autem hæc suspensio non 246.
possit provenire ab aliqua indispositione naturali vel humore melancholico, etiam liquet, quia, si a tali indispositione proveniret, non posset diu perseverare, sed evacuato vel temperato tali humore anima ad pristinum statum meditationis

247. rediret. Sed contrarium accidit in hac passiva purgatione, quando est dispositio ad purgationem passivam partis sensitivæ et ad divinam unionem. Ergo non potest hæc suspensio a tali indispositione naturali provenire.

248. Confirmatur, quia quando hæc purgatio est dispositio ad divinam unionem, quanto magis anima viam purgativam ingreditur, eo magis operatio sensitiva deficit. Ergo non a dispositione naturali et corporali, sed a divina dispositione provenit. Nam cum Deus animam ad divinam unionem elevare vult, eam ab omni discursu suspendit. Quod tamen non facit cum illis, qui media utraque purgatione passiva ad divinam unionem adducendi non sunt. Nam hi, cum unioni divinæ disponendi non sint, sed tantum purgentur ad exercitium humilitatis et ad reformationem appetitus, nec purgatio passiva partis sensitivæ, sicut nec suspensio potentiarum est continua, sed intercalata. Quinam autem sint perfecte purgandi in ordine ad divinam unionem, quinam vero imperfecte, scit ipse Dominus, qui sua dona distribuit ut vult, et uni dat quinque talenta, alii vero unum, unicuique secundum propositum suæ voluntatis.

SECTIO VI

De effectibus purgationis passivæ partis sensitivæ.

SUMMARIUM

249. Spes recipiendi fructum e laboribus, illos dulces efficit. 250. Effectus purgationis passivæ partis sensitivæ alii sunt privativi, alii positivi. 251. Qui sint effectus privativi, explicatur. 252. Qui sint effectus positivi, exponitur.

Dico 1. Cum spes recipiendi fructus laborum 249.
ipsos labores faciat dulces, aut saltem tolerabiles, ideo operæ pretium duxi, effectus hujus purgationis recensere, ut incipientes consolentur et sciant, quod licet tempore purgationis fleant mittentes semina sua, tempore tamen suæ illuminationis venientes, venient cum exsultatione portantes manipulos suos, et tandem in statu unionis inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Fructus 250.
igitur purgationis passivæ partis sensitivæ sunt quidam privativi, quidam vero positivi. *Privativi* 251.
sunt illi omnes defectus et imperfectiones partis sensitivæ superius recensitæ, ut vitia capitalia luxuriæ, invidiæ, iræ, etc., vanæ imaginationes et illusiones, imperfectiones et pericula cadendi, quæ omnia removentur ab anima in ordine ad divinam unionem per hanc purgationem.

Dico 2. Fructus positivi et per se primo intenti 252.
sunt sèquentes : Primus est, ut pars sensitiva media purgatione passiva parti intellectuali debite subjiciatur et utraque perfecte in ordine ad divinam unionem disponatur. Secundus est robur animæ, ablactando eam a gratia sensibili ad currendam fortiter perfectionis viam. Tertius est notitia tum sui, quam Dei, quæ tamquam maximum Dei beneficium exoptandum est, ut faciebat Augustinus dicendo : « *Noverim te et noverim me!* » Quartus est summa humilitas, quæ inde exsurgit, ut dicitur Ps. 38, in persona istorum : « *Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis.* » Quintus est paupertas spiritualis. Sextus est perseverantia et patientia in laboribus et conformitas

cum divina voluntate. Septimus est ordinaria Dei præsentia. Octavus est pax et tranquillitas animæ. Nonus est frequens virtutum theologicarum exercitium. Mitto alios fructus, quos referre esset onerosum. Sed de his vide nostrum Philippum a Trinit. (Tract. 3. de Theologia mystica, art. 1, discurs. 6).

SECTIO VII

Quomodo se gerere debeant incipientes tempore purgationis passivæ.

SUMMARIUM

253. Valde timendum est, ne incipientes tempore purgationis passivæ retrocedant. 254. Incipientes, quando adverterint, se non posse meditari, non debent in hoc insistere. 255. Debent in generali et confusa notitia de Deo et in amore affectivo illius quiescere. 256. Quid, si eis hæc generalis et confusa notitia de Deo deficiat? 257. Incipientes destituti gratia sensibili debent insistere piis orationibus et mortificationibus, et humiliter orare.

253. *Dico 1.* Cum incipientes tempore purgationis passivæ se videant in terra deserta, invia et inaquosa, plurimum timendum est, ne hujus viæ periculis deterriti, difficultitatibus oppressi, tenebris obvoluti et horrore exanimati sistant, aut etiam retrocedant, nisi directoris experti consilio firmentur et ad ulterius procedendum animentur. Unde aliqua generalia documenta tradenda sunt, ut eorum directores instruantur ad illos dirigendos.

254. *Dico 2.* Quando incipientes se gratiæ sensibilis affluentia destitutos adverterint, experti, quod

non possunt sicut antea in piis meditationibus detineri, non debent conari contra cursum fluvii nec in vanum mentem prædicto meditandi exercitio intendere, quia multum patientur et nihil proficient. Anima quippe tunc quietem, non discursum appetit. Et si applicatur discursui, quietem ac pacem amittet et discursum frustra requiret, quia jam venit finis discurrendi. Unde debet 255.
in sacro illo otio et tranquilla pace in notitia generali et confusa, quam habet de Deo, et in amore affectivo quiescere, qui est terminus discursus et initium contemplationis, cum hac tamen advertentia, quod si ei defecerit hæc notitia generalis et confusa de Deo, ut incipientibus 256.
multoties accidit, debet redire ad pristinum meditationis exercitium, maxime circa vitam et passionem Christi.

Dico 3. Incipientes destituti gratia sensibili 257.
debent attendere voci Domini clamantis : « *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* » (Matth. 10, 22). Unde non debent recedere a piis orationis et mortificationis exercitiis, sed Christum crucifixum intueri et humiliter orare et patienter perseverare in oratione, et considerare, quod labores et tentationes sive interius sive exterius pro Deo tolerati plurimum afferunt meriti et fructus multos suo tempore producunt et pro peccatis abunde satisfaciunt. Possunt etiam aliquando aliquas proferre orationes jaculatorias dicendo : « Domine, salva nos, » vel : « Auge dolorem, sed auge patientiam, et tandem jube, quod vis, et da, quod jubes. »

DISPUTATIO V

De diversis mediis, quibus perficitur purgatio passiva partis sensitivæ.

SECTIO I

Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando tentatione contra castitatem.

SUMMARIUM

258. Aliqui ex Dei gratia non sunt experti tentationem contra castitatem. 259. Incipientes, immo plures Sancti, hac tentatione purgati sunt. 260. Deus electos suos multoties hac tentatione purgat. 261. Primum remedium contra hanc tentationem est oratio et contemplatio. 262. Secundum remedium est studium Scripturarum. 263. Tertium remedium est, occupare animam bonis cogitationibus. 264. Quartum remedium est occupatio alicujus exercitii corporalis. 265. Quintum remedium est, fugere aspectum et colloquium mulierum.

258. *Dico 1.* Quamvis aliqui ex speciali Dei gratia non sint experti hujusmodi carnis tentationes
259. contra castitatem, frequentius tamen incipientes illis cruciantur, immo plures sanctitate celebres hac tentatione purgati et probati sunt, ut Apostolus Paulus de se ipso fatetur (2.ad Corinth. 12): « *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus es mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet.* » Nam sicut medicus temporalis minorem sæpe movet morbum infirmo, ut
260. illum a majori morbo curet, ita medicus divinus ad curandos graves animæ morbos permittit, plurimos electos suos hac vehementi tentatione

purgari, ut accidit D. Hieronymo, qui cum esset in solitudine, ei sæpe videbatur, in choreis feminarum Romanarum versari.

Dico 2. Primum remedium contra hanc tentationem est oratio et contemplatio, ut patet ex illo Isai. 48: « *Laude mea infrænabo te, ne intereas* ». Est enim quoddam frænum animam ab interitu peccati retrahens laus divina. Secundum remedium est studium Scripturarum, ut ait Hieronymus ad Rusticum monachum : « *Ama Scripturarum studia, et carnis vitia non amabis* ». Tertium remedium est, quibuscumque bonis cogitationibus animam occupare. Unde Apostolus (ad Philippenses 4.) ait : « *Fratres quæcumque sunt sancta,... si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.* » Quartum remedium est, ut homo in aliquo exercitio corporali occupetur. Dicitur enim Eccle. 33 : « *Multam malitiam docuit otiositas.* » Quintum remedium est, fugere aspectum et colloquium mulierum. Unde dicitur Eccle. 9 : « *Propter speciem mulieris multi perierunt,* » et ibidem : « *Ne respicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius* ». 261. 262. 263. 264. 265.

SECTIO II

Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando manifesta dæmonum et hominum persecutione.

SUMMARIUM

266. Deus ad purgandos electos suos aliquando utitur dæmonum tentatione. 267. Hæc purgatio passiva est incipientibus nimis

amara. 268. Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando persecutione hominum. 269. Hujusmodi tentationes humilitate et patientia justorum superari debent.

266. *Dico 1.* Mirabilis Deus in sanctis suis aliquando ad purgandos et exercendos electos suos etiam *dæmonum utitur malitia*, qui Deo ita permittente et disponente taliter torquent incipientes, ut nisi internæ gratiæ firmarentur auxiliis, facile a virtutis prosecutione et perfectionis via deterrerentur. Sed bonus Deus, qui in sua dispositione non fallitur, ex dæmonum malitia et in fideles servos suos sævitia suum deducit intentum. Nam et medio illo servos suos purificat et contra dæmonum persecutiones etiam apertas victores reddit et triumphatores, ut accidit S. Hilarioni, S. Antonio, S. M. N. Theresiæ, qui plures dæmonum molestias passi sunt, ut legitur in eorum vitis.

267. *Dico 2.* Hæc purgatio passiva est incipientibus nimis amara, sed efficacissima. Unde Directores debent discipulos suos hortari, ut se divinæ dispositioni totaliter submittant, et credant, quod hujusmodi persecutio non in malum ipsorum, sed in bonum spirituale permittitur. Nam si Christus et tentari a dæmone et per membra ejus crucifigi voluit, hoc ideo fecit, ut ejus servi in simili persecutione animentur, et jejuniis, ciliciis et orationibus hujusmodi dæmonis persecutiones devincant, implorando auxilium Sanctorum, et contra eum cruce et aqua lustrali utendo,ut faciebat S. M. N. Theresia.

268. *Dico 3.* Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando *persecutione hominum*, vel data

opera, vel præter intentionem. In communi enim consortio sæpe sibi homines dant occasionem, patientiam cæterasque virtutes exercendi. Et quod mali persequantur justos, non est opus probatione, et patet ex illo ad Galatas (4, 29) : « *Qui secundum carnem natus fuerat, perequebatur eum, qui secundum spiritum.* » Quod autem justi etiam persequantur præter intentionem justos, etiam liquet ex historiis multorum Sanctorum, qui a viris sanctis persecutionem passi sunt, qui ex zelo contra eos invehebantur, ut accidit S. M. N. Theresiæ in principio suæ conversionis. Quod autem justi persequantur malos, ut eos ad salutem perducant, etiam liquet, ut patet ex illo Psalm. 100. « *Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar* ».

Dico 4. Omnes hujusmodi persecutiones, sive 269.
dictis compleantur vel factis, justi humilitate, patientia et mansuetudine superabunt, et in hoc purgationis exercitio possidebunt animas suas, immo gaudebunt in illis et Deum benedicent, si de manu Dei miserentis non ut flagella, sed ut imperfectionum purgamenta, dilectionis divinæ signa et privilegia eas susceperint, credentes, quod hæc casu non accidunt, sed suavi dispositione Dei, non in ruinam, sed in salutarem correptionem, et sciant, quod purgatione finita « *erubescent impii* » persequentes «, *et deducentur in infernum* », nisi corrigantur, et « *muta fient labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem in superbia et in abusione* » (Ps. 30.), et simul exclamabunt cum Propheta : « *Quam magna multitudo dulcedi-*

nis tuæ, quam abscondisti timentibus te ! Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum ». (ibidem).

SECTIO III

Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur rerum sensibilium jactura, privatione bonorum corporis et carentia bonorum animæ.

SUMMARIUM

270. Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando jactura bonorum fortunæ. 271. Hæc jactura bonorum, licet sit amara, si patienter suscipitur, dulcescit. 272. Purgatio passiva perficitur aliquando privatione bonorum corporis. 273. Purgatio passiva partis sensitivæ aliquando perficitur carentia bonorum animæ, ut per subtractionem gratiæ sensibilis.

270. *Dico 1.* Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando *jactura bonorum fortunæ*, ut sunt divitiæ, filii, consanguinei, affines, honores et dignitates. Cum enim affectus humanus naturæ corruptæ potius ad visibilia, quam ad invisibilia connaturaliter tendat, inde est, quod Deus ab inordinato harum rerum affectu dilectos suos abstrahat, ut ad se ipsum eos alliciat, ut fecit Abrahæ, ei præcipiendo, ut egrederetur de domo sua et de domo patris sui, et Job, eum filiis, divitiis, dignitatibus et honoribus privando. Licet tamen hæc purgatio per jacturam omnium bonorum sensibilium amara sit, si tamen patienter de manu Domini suscipiatur, dulcescet. Et qui eam sic sus-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

cipit, infallibiliter cum sanctissimo Job dicit : « *Nudus egressus sum de utere matris meæ, et nudus revertar illuc : Dominus dedit, Dominus abstulit ; sit nomen Domini benedictum* » (Job. 1, 21.). Dum enim homo his sensibilibus rebus adhæret, non perfecte Deum quærit. Difficile enim est, cœlum divitem ingredi, ut dixit Dominus (Matth. 19, 23) : « *Dives difficile intrabit in regnum cælorum* ». Econtra vero homo ab his rebus sensibilibus exutus facile Deo per amorem adhærebit, ut dixit Christus illi adolescenti (Mat. 19.) : « *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus* ». In quibus verbis, ut vides, in abstractione omnium rerum sensibilium posuit Dominus perfectionem.

Dico 2. Purgatio passiva partis sensitivæ perfi- 272.
citur etiam *privatione bonorum corporis*. Sæpe enim Deus electos suos affligit infirmitatibus, ut accidit Job et S. M. N. Theresiæ. Quæ purgatio, licet sit amarissima, maxime tamen retrahit hominem ab harum rerum sensibilium amore. Quo enim hæc bona sunt homini magis intrinseca, plus illorum jactura hominem ad Deum attrahit, si hæc patienter propter Deum sustineat. Unde videmus plures Sanctos harum rerum jactura purgatos, ut Tobiam cæcitate, Jobum ulcere pessimo ; alios etiam Sanctos, specialiter virgines, purgavit Deus per frontis deformitatem, per atrace bilis adventitium humorem, quo gravem tristitiam paterentur et maximis scrupulis agitarentur, de quibus vitæ sanctorum plenæ sunt. Quæ omnia maxime proficiunt ad purgationem justorum.

273. *Dico 3.* Purgatio passiva partis sensitivæ aliquando perficitur *carentia bonorum animæ*, ut per subtractionem gratiæ sensibilis vel alicujus solatii vel suavitatis spiritualis, cui incipientes inordinate adhærent, vel quia non puritatem spiritus, sed tantum sensibilem aliquam consolationem quærunt, vel quia plus rebus alias sanctis nimio addicuntur ; et ideo Christus dixit discipulis : « *Si ego non abiero, Paraclitus non veniet ad vos* » (Joa. 16, 7.), quia scilicet nimis affecti erant ad ejus humanitatem. Unde necessarium erat, eos purgari ab hoc affectu ad recipiendam gratiam invisibilem Spiritus Sancti, ut explicant Sancti Patres et Doctores.

DISPUTATIO VI

De purgatione passiva partis intellectivæ.

SECTIO I

Quid sit purgatio passiva partis intellectivæ.

SUMMARIUM

274. In quo consistat purgatio passiva partis intellectivæ declaratur. 275. Hæc purgatio passiva partis intellectivæ terribilior est, quam purgatio passiva partis sensitivæ. 276. Per purgationem passivam partis intellectivæ disponitur pars superior animæ, ut Deo uniatur. 277. In purgatione passiva partis intellectivæ intellectus tenebris obvolvitur et voluntas angustiis confunditur. 278. Hæc purgatio passiva partis intellectivæ dicitur nox tenebrosa et horrida. 279. In hac purgatione passiva partis intellectivæ taliter anima annihilatur, ut vix explicari possit.

274. *Dico 1.* Purgatio passiva partis intellectivæ consistit formaliter in luce clarissima contempla-

tionis, quæ intima cordis arcana et centrum animæ penetrans omnes ejus defectus quantumcumque latentes et minimos ei manifestat, mirabiliter animam cruciando et intellectum tenebris obvolvendo et voluntatem quadam abjectione et desperatione ad extremas angustias reducendo. Quorum ratio est, quia cum intellectus media illa luce in meditatione suorum defectuum detineatur et ad divina et cœlestia non possit elevari, tenebris obvolvitur et in tenebrosa suarum miseriarum caligine absorbetur. Voluntas vero extreme angustiatur, quia detectis tot tantisque miseriis propriis, non potest non horrere se ipsam velut causam ipsarum. Unde ex una parte abjecte de se ipsa sentit, ex alia vero de divina bonitate quodammodo desperat, cum eam tot modis se offendisse supponit.

Dico 2. Hæc purgatio passiva partis intellectivæ 275.
terribilior est, quam purgatio passiva partis sensitivæ. Et ratio est, quia purgatio passsiva partis sensitivæ formaliter consistit in subtractione gratiæ sensibilis, purgatio vero passiva partis intellectivæ consistit in radio divinæ lucis, qui intima cordis penetrat arcana et minimos etiam defectus detegit. Sed hæc clara cognitio propriarum miseriarum magis cruciat animam, quam subtractio gratiæ sensibilis, siquidem ex illa cognitione propriorum defectuum exsurgit sui ipsius odium et cordis angustia inexplicabilis. Subtractio vero gratiæ sensibilis, licet afferat aliquam afflictionem, non tamen affert odium ipsius, sed potius amorem, cum ex carentia consolationis divinæ affligatur :

ergo. Confirmatur : quia per purgationem passivam partis sensitivæ disponitur pars inferior, ut
276. superiori subordinetur. Per purgationem vero passivam partis intellectivæ disponitur pars superior animæ, ut Deo per cognitionem et affectum uniatur. Sed infinite major est distantia inter Deum et creaturam, quam inter partem inferiorem et superiorem ejusdem animæ. Ergo multo horribilior debet esse purgatio, quæ disponit partem inferiorem, ut obediat superiori. Patet consequentia, quia quanto magis subjectum est improportionatum bono, quod debet recipere, tanto major requiritur dispositio, qua proportionatum reddatur.

277. *Dico 3.* Si in purgatione passiva partis sensitivæ portio cognoscitiva replebatur obscuritatibus et portio affectiva exsiccabatur ariditatibus, ut supra diximus in purgatione passiva partis intellectivæ, intellectus tenebris obvolvitur et voluntas angustiis confunditur ; et si illa prima purgatio noctis obscuræ nomen obtinet, hæc posterior nox
278. omnino tenebrosa et horrida merito nuncupabitur. Et ratio horum omnium est, quia in hac
279. purgatione passiva partis intellectivæ taliter anima annihilatur, ut vix etiam ab expertis explicari possit, quantæ sint hujus noctis angustiæ, quantus horror et quam intima spiritus afflicti tribulatio. Unde anima in hac angustia posita dicit cum Propheta Ps. 17. : « *Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* » Et Ps. 68 : « *Veni in*

altitudinem maris, et tempestas demersit me.... Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. « Et Ps. 87. : « *Repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit... Posserunt me in lacu inferiori, in tenebrosis et in umbra mortis.* » Contemplans namque anima divina illa luce suam impuritatem et aliunde judicans se a Deo derelictam, credit se factam Deo horribilem et se in profundum malorum devenisse, quod pejus et infelicius inferni doloribus æstimat ob nimium amorem Dei, quem habet, ut fusius infra declarabitur.

SECTIO II

De causis purgationis passivæ in parte intellectiva.

SUMMARIUM

280. Quattuor dantur causæ purgationis passivæ in parte intellectiva. 281. Causa materialis est pars superior animæ, quæ ibi declaratur. 282. Causa formalis est lux clarissima contemplationis, prout ibi exponitur. 283. Causa efficiens est Deus benignus et misericors, prout ibi demonstratur. 284. Causa finalis est unio intima eum Deo, ad quam hæc purgatio passiva præparat, ut ibi indicatur.

Dico 1. Quatuor sunt causæ purgationis pas- 280.
sivæ partis intellectivæ, sicut diximus, dari quatuor causas purgationis passivæ partis sensitivæ. Duæ harum causarum sunt intrinsecæ, aliæ duæ extrinsecæ. Intrinsecæ sunt materialis et formalis; extrinsecæ sunt efficiens et finalis. *Causa mate-* 281.
rialis est pars superior animæ, scilicet anima

considerata cum suis propriis potentiis secundum se sumptis absque indigentia organi corporei. Propriæ autem potentiæ animæ rationalis sunt intellectus, memoria intellectiva, et voluntas. Memoria autem intellectiva non distinguitur realiter ab intellectu, licet in parte sensitiva memoria realiter distinguatur a phantasia seu imaginativa. Nam quæ in inferioribus sunt divisa ob eorum limitationem, in superioribus sunt unita ob illorum eminentiam. Intellectus habet pro objecto verum, abstrahendo a præterito, præsenti et futuro. Voluntas respicit bonum, ut sic universaliter et non sub diversa ratione, sicut illud respicit appetitus sensitivus, qui propterea dividitur in concupiscibilem et irascibilem. Concupiscibilis respicit bonum simpliciter, irascibilis bonum arduum. Anima ergo secundum has potentias pure spirituales est subjectum, in quo purgatio passiva partis intellectivæ exercetur modo statim explicando, et propterea dicitur causa materialis illius.

282. *Dico 2. Causa formalis* est lux clarissima contemplationis, quæ intima cordis arcana et centrum animæ penetrans, omnes ejus defectus, quantumcumque latentes et minimos manifestat, et adjunctis circumstantiis maxime personæ offendentis et offensæ mirabiliter animam cruciat, intellectum tenebris obvolvendo et voluntatem quadam abjectione et desperatione ad extremas angustias reducendo. Nam intellectus illa luce perfusus non potest proprios defectus non considerare et nullo modo potest ad alia, quæ recreare possent, se

divertere. Voluntas vero, detectis tot tantisque defectibus propriis non potest non horrere se ipsam velut causam et radicem illarum. Unde anima angustata et nimis afflicta gemit et clamat, quia multiplicata sunt peccata ejus supra numerum stellarum. Et cum tunc etiam compleatur purgatio passiva partis sensitivæ antea inchoatæ, undequaque se videt anima afflictam, siquidem ex una parte se videt destitutam gratia sensibili, ex alia vero se videt præ multitudine iniquitatis suæ adeo gravatam, ut non audeat aspicere cœlum, existimans, se divinam justitiam nimium habere iratam, ac per consequèns undequaque angustiatur et ad ultimum desperationis detruditur.

Dico 3. Causa efficiens est Deus benignus et misericors, qui purgando suorum electorum animas ad sui disponit unionem. Et licet hæc purgatio passiva terribilissima sit, in illa ostendit Deus maximum circa suos electos amorem; siquidem eam subsequitur unio cum Deo per affectum, copiosa gratia et multorum secretorum revelatio. Quapropter patienter toleranda est ab eis, scientes, quod brevis hæc amaritudo et momentaneum tribulationis supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in eis. 283.

Dico 4. Causa tandem *finalis* est unio intima cum Deo, ad quem hæc purgatio passiva partis intellectivæ præparatet disponit animam. Nam anima plena defectibus non est proportionata puritati divinæ. Undedebet ab omnibus imperfectionibus purgari, ut proportionata ei valeat conjungi. 284.

Proportionnatur autem per proprium despectum et humilitatem in conspectu tot miseriarum, se ipsam usque ad infimum taliter deprimendo, quod, nisi a Deo in mediis illis tenebris clara et delectabili luce aliquando irradiaretur, omnino desperaret. Sed Deus non eam omnino in hac totali annihilatione sui ipsius relinquit, sed eam sæpe intus visitat cœlesti luce, cui anima inhærere cupiens, solum illi attendit, non quærens, quæ sua sunt utpote vera charitate ordinata, sed Deum eam diligentem.

SECTIO III

De motivis, ob quæ Deus inducit purgationem passivam partis intellectivæ.

SUMMARIUM

285. Primum motivum, quod Deus habet in hac purgatione, est, defectus remanentes ex purgatione partis sensitivæ per hanc purgationem tollere. 286. Secundum motivum est, ut anima ab omnibus rebus creatis, sive terrenis, sive cœlestibus, separetur. 287. Tertium motivum est humilitas vera. 288. Quartum motivum est, ut speciales Dei filii Christo conformentur. 289. Quintum motivum est meritum copiosum inde resultans. 290. Sextum motivum est spes præmii vitæ æternæ. 291. Septimum motivum est collectio sive aggregatio plurium bonorum inde proveniens, quæ ibi declaratur.

285. *Dico 1.* Primum motivum, quod Deus habet ad hanc purgationem, est, ut imperfectiones et defectus tam actuales quam habituales in anima remanentes ex purgatione passiva partis sensitivæ per hanc purgationem tollantur. Pro quo scien

dum est, purgationem passivam partis sensitivæ non purgare omnes defectus,sed solum magis apparentes et sensibiles et qui sensu percipiebantur. At per hanc purgationem passivam partis intellectivæ purgantur defectus magis latentes. Hujusmodi autem defectus habituales ex parte intellectus sunt distractio, evagatio a Deo ad creaturas ; ex parte vero affectus innatus amor proprius et nimia ad gustus spirituales adhæsio. Actuales autem defectus ex parte intellectus sunt : decipi frequenter in visionibus et revelationibus et locutionibus et prophetiis, et vera judicare falsa et falsa vera. Ex parte vero affectus sunt : præsumptio, superbia, arrogantia et audacia, procedentes ex abusu divinarum consolationum, quæ ex propria natura potius inclinant ad humilitatem, amorem et timorem Dei filialem. Qui defectus ex eo sunt pejores, quam minus agnoscuntur, et quasi actus spirituales et recti judicantur. Sed intellectus divina luce perfusus in hac purgatione prædictos defectus advertit et de illis recte judicat.

Dico 2. Secundum motivum est, ut anima ab 286.
omnibus creatis, sive terrenis, sive cœlestibus separetur et intra se ipsam cum Deo colligatur. Cum enim in nulla re consolationem inveniat, naturali instinctu intra se ipsam se colligit, ut minus ab externis perturbetur solique Deo vacet.
Tertium motivum est humilitas, non falsa illa, 287.
quæ in desperationem inducit, sed vera, quæ proprios defectus videns et de propria virtute diffidens in sola bonitate divina confidit. Quar- 288.

tum est, ut speciales Dei filii Christo conformentur. Quos enim sic præscivit, prædestinavit conformes fieri imagini filii sui. Christus autem ob aliorum peccata amaram hanc purgationem passus est in sua passione, tum quando a Patre in cruce fuit derelictus, tum cum in horto summam tristitiam habuit, quando dixit : *Tristis est anima*
289. *mea usque ad mortem* ? (Marc. 14, 34). Quintum est meritum copiosum, quod ex tribulatione et voluntaria purgationis hujus tolerantia consur-
290. git. Sextum motivum est spes præmii vitæ æternæ, quod dictam purgationem consequitur, ut docet D. Bernardus (Serm. de Cant. Ezechiæ.)
291. *Dico 3.* Septimum tandem motivum est collectio sive aggregatio plurium bonorum, quæ Deus media purgatione passiva præter dicta causat in anima. Nam afflictio iram exstinguit, gratiam conciliat, hominem ducit ad meliorem vitam, servat a gravi ruina, præstat homini, ut se agnoscat, ut intra se ipsum se contineat, ut proximis fidem accomodet, conservat animam in humilitate, docet patientiam, tuetur castimoniam, æternæ beatitudinis affert coronam. Afflictio peccati affert sarcinam, minuit pœnas purgatorii, pellit tentationes, profligit vitia, spiritum renovat, veram confert fiduciam, mundam conscientiam atque animum stabilem et excelsum, animam sapientia imbuit redditque hominem exercitatum. Afflictio via est arcta, quæ ad ipsas usque cœli portas fortiter pertingit. Quæ si vera sunt de omni afflictione patienter tolerata, multo magis ve a sunt de afflictione, quam operatur purgatio

passiva partis intellectivæ, siquidem est ultima dispositio animæ ad divinam unionem, et ideo N. S. P. Joannes a Cruce pro laboribus postulabat pati et contemni pro Domino, et S. M. N. Theresia postulabat pati aut mori, quia uterque ad felicem illam Dei unionem adspirabat.

SECTIO IV

De effectibus purgationis passivæ partis intellectivæ.

SUMMARIUM

292. Primus effectus purgationis passivæ partis intellectivæ est clara sui cognitio cum humilitate et maxima sui afflictione. 293. Secundus effectus est omnimoda defectuum evacuatio et perfecta virtutum acquisitio. 294. Tertius effectus est continua Dei memoria et præsentia. 295. Quartus effectus est arduus quidam amor Dei. 296. Quintus effectus est : colligere animam et quietam reddere in se ipsa et ipsam fortificare. 297. Non potest anima in hac quiete interim a diabolo turbari.

Dico 1. Primus effectus hujus purgationis pas- 292.
sivæ est clara sui cognitio cum humilitate et maxima afflictione. Cujus ratio est, quia lux contemplationis infusæ, quæ est principium hujus purgationis, ex divina dispositione omnes imperfectiones manifestat, ut patet in luce materiali, quæ cum radio solis intensius aëri communicatur, minimos aëris atomos demonstrat, qui cum luce ordinaria erant imperceptibiles. Et ex hac cognitione sequitur, quod anima, videns in se tot defectus, humilietur et confundatur. Quod autem hoc fiat afflictione, etiam liquet. Nam sicut naturale est homini, appetere propriam perfectionem,

sic proprium est ei, dolere de propria imperfectione, tum quia hæc lux, quæ est radix hujus purgationis, est improportionata naturæ corruptæ et se habet sicut lux intensa respectu visus debilis, quæ propter excessum affligit potentiam, donec roboretur et ei proportionetur. Tum quia lux illa se habet sicut ignis purgatorii. Nam sicut ignis purgatorii purificat animas quamdiu in eis reperit impuritates, sic hæc lux animas impuras purgat, tunc affligendo, quæ postea purgatos purgabit recreando.

293. *Dico 2.* Secundus effectus est omnimoda defectuum evacuatio et perfecta virtutum acquisitio. Cujus ratio est, quia hæc purgatio ordinatur ad divinam unionem. Ergo debet a subjecto removere omne contrarium illi et introducere dispositiones necessarias ad hanc unionem. Sed quilibet defectus in anima est contrarius huic unioni et omnes virtutes sunt necessariæ ad illam. Ergo et debet excludere defectus et introducere virtutes sicut ignis, qui ut suam formam in ligno introducat, prius expellit ab illo humiditatem et frigiditatem contrarias igni et introducit siccitatem et alias dispositiones necessarias, et postea ei communicat formam ignis. Ubi nota, quod sicut lignum, cum ei hæ dispositiones introducuntur ad ignem, gemit et lacrimatur et exsiccatur, sic anima, cum est in hac purgatione, gemit et conturbatur ; sed postea sicut lignum dispositum igne illuminatur, incenditur et igni similis redditur, sic homo igne hujus purgationis veluti deificatur et Deo per affectum unitur.

Dico 3. Tertius effectus est continua Dei memo- 294
ria et præsentia. Cujus ratio est, quia Deus per hanc purgationem animam cognitione et affectu rerum creatarum evacuat. Ergo necesse est, ut illam sui cognitione et amore divino repleat. Nam sicut in ordine naturali non datur vacuum, ita nec in ordine gratiæ. Tum quia cum hæc clarissima lux propriam miseriam continuo animæ ostendat, necesse est, quod continuo ad Deum attendat. Nam miseria humana divinam reclamat misericordiam. Hæc tamen Dei cognitio est nimis obscura et sæpe imperceptibilis, et quando percipitur, est aliqua generalitate confusa. Distincta namque Dei cognitio et particularis contemplatio divinarum perfectionum pro statu unionis reservatur.

Dico 4. Quartus effectus est ardens quidam 295.
amor Dei et multo major illo, quo in purgatione partis sensitivæ vigebat. Cujus ratio est, quia eo ipso quod anima luce hac divina illustratur, de omnibus rebus, juxta proprium earum meritum recte judicat et cætera propter Deum despicit, in quibus manifestam advertit vanitatem cum Ecclesiaste dicente (Eccle. 1. 2) : « *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas,* » se ipsam odio et horrore prosequitur, cum se tot miseriis et impuritatibus plenam intueatur, et sic totam se in Deo diligendo colligit, et ipsum tota virtute simul unita fortiter, sed non suaviter amat, sicut lignum, quod postquam flamma ignis ob suam crassitatem et impuritatem fuit obscuratum et ejus activitate quodammodo afflictum, ut ex ejus

resistentis crepitu et quibusdam humoris expressis lacrimis percipitur, tandem siccitate, calore et raritate dispositum, totum ardet et in ignem transformatur. Sic anima illa claritate divina disposita tota in Dei amore ardet et inflammatur.

296. *Dico 5*. Quintus tandem effectus est : colligere animam in se ipsam, ipsam fortificare et quietam reddere. Cujus ratio est, quia cum anima illa divina claritate videat omnium rerum vanitatem, se intra se ipsam colligit et in sui consideratione se ipsam occupat, et cum ita sit interius occupata in summa serenitate, quieta existit. Quod autem hæc purgatio intellectiva fortificet animam, etiam liquet ex eo, quia in mediis illis tenebris minimis etiam imperfectionibus resistit et in tali deliberatione est, quod potius millies moreretur, quam Deum offenderet. Unde non solum a Deo roboratur, ut patienter angustias hujus purgationis toleret, sed etiam, ut in amore Dei contra dæmonum insultus et tentationes perseveret. Quod autem hac purgatione maxime quieta existat, patet, quia per illam eradicantur vitia, et passiones inordinatæ refrænantur, quæ sola possunt animam in se ipsa turbare.

297. *Dico 6*. Non potest anima in hac quiete interius a diabolo turbari, siquidem dæmon non potest ad intima conscientiæ secreta, in qua anima collecta et recondita est in hac obscura nocte, penetrare, nec quod Deus ibi operatur, valet videre, siquidem ejus cognitio in materiali sensitivæ partis operatione sistit. Unde solum quando communicatio spiritualis est adeo vehemens, ut redundet

in sensum propter naturalem partis intellectivæ cum sensitiva communicationem, vel ex conjecturis, e oquod videat potentias in illa quiete et silentio, potest diabolus colligere, animam in suo centro quiescere, et tunc horrores et timores in parte inferiori suscitat, ut eam turbet et a centro sui ad exteriora deducat. Hæc autem turbatio dæmonum, licet sit extrinseca, multum molestat animam, ut patet ex illo dicto sponsæ (Canticor. 6.) : « *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab* ». Deus autem hanc perturbationem ei permittit ad majorem illius meritum et ut purgationem perficiat, et ideo tunc anima magis intra se ipsam reconditur, ut ibi secura et quieta existat, et ibi ei uberius divina sapientia a Deo communicetur juxta illud : « *Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit* ». (Ant. Ecclesiast.)

SECTIO V

De signis demonstrantibus purgationem passivam partis intellectivæ.

SUMMARIUM

298. Hæc purgatio partis intellectivæ vel potest sumi ex parte Dei, vel ex parte animæ. 299. Si sumatur ex parte Dei, importat activam lucis supernaturalis infusionem. 300. Si sumatur ex parte animæ, importat passionem horroris afflictivi et angustiarum. 301. Hæc purgatio tam activa ex parte Dei, quam passiva ex parte animæ vel est pura vel pœnalis. 302. Purgatio pura non est pœna, sed tantum dispositio ad unionem divinam. 303. Dici-

tur pœnalis, quando causatur primario a Deo in pœnam peccatorum. 304. Primum signum purgationis intellectivæ puræ declaratur. 305. Ponitur secundum signum purgationis intellectivæ puræ. 306. Ponitur tertium signum purgationis puræ.

298. Pro majori intelligentia hujus sectionis notandum est, hanc purgationem partis intellectivæ dupliciter sumi posse, vel active ex parte Dei purgantis animam, vel passive ex parte animæ
299. purgatæ. Si sumatur active formaliter, importat activam lucis supernaturalis infusionem, quæ proprios animæ manifestat defectus, horrorem afflictivum et emundationem causat, et sic horror, afflictio et emundatio non sunt formaliter ipsa
300. purgatio, sed effectus illius. Si vero sumatur passive ex parte animæ purgatæ, purgatio hujusmodi formaliter importat passionem hujus horroris
301. afflictivi et angustiarum. Hæc autem purgatio tam activa, quam passiva vel est pura vel pœna-
302. lis. Dicitur pura, quando non est pœna peccatorum, sed tantum dispositio ad unionem divinam. Dici-
303. tur vero pœnalis, quando a Deo primario causatur in pœnam peccatorum, quamvis eumdem purificandi habeat effectum. Non est autem dubium, quod omnes effectus purgationis intellectivæ supra enumerati sint signa demonstrativa illius, si purgatio sumatur in sua generalitate, prout abstrahit a pura et pœnali. Sed in præsenti ad majorem animæ consolationem signa demonstrativa et infallibilia purgationis puræ apponentur, ut sciens, se pure in bonum et non in pœnam exerceri, non tantum patienter, sed etiam gloriose in sua purgatione usque in finem perseveret.

Dico igitur 1. Primum signum purgationis in- 304.
tellectivæ puræ et simplicis est, quod anima ex una parte non sit conscia alicujus culpæ denuo a se commissæ, vel alicujus imperfectionis, et ex alia se videat in horrore et tenebris et umbra mortis consepultam absque ulla consolatione ex illis, quas antea participabat. Cujus ratio est, quia quamvis nullus certitudine physica sciat, an odio vel amore dignus sit, potest tamen quis certitudine morali ex prædicto principio colligere, talem afflictionem non sibi dari in pœnam peccatorum. Nam cum videat, se contra Deum non deliquisse, et alias videat se affligi, potest suaderi, quod hæc purgatio potius sit pura, non in supplicium peccatorum denuo commissorum, sed ad salutem.

Dico 2. Secundum signum est, quod anima 305.
diutius a plene deliberatis peccatis etiam minimis abstineat et nullam habeat ad exteriora propensionem, sed tantum continuam cum lacrimis et amaritutudine suarum miseriarum intuitivam cognitionem et ardens perfectionis desiderium. Ratio est, quia ex primo concluditur, quod talis anima nullum peccatum denuo commisit, quo divina gratia fuerit privata. Nam ex D. Thoma moraliter est impossibile, quod qui divina privatus est gratia et charitate, diutius absque novo peccato persistat. Ex secundo autem concluditur, quod hæc purgatio est viri sancti et perfecti, et non peccatoris.

Dico 3. Tertium signum est continua Dei con- 306.
templatio et summa ejusdem dilectio. Et ratio

est, quia cum anima in mediis illis horroribus conservet Dei amorem et cognitionem, quamvis vix perceptibilem, propter confusionem intellectus et ariditatem voluntatis, signum tamen evidens est, non cruciari ob aliquem affectum inordinatum ad creaturas, sed ut disponatur ad divinam unionem. Unde dicitur in Ps. 38 : « *Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis* ». Hæc sunt certa et infallibilia hujus purgationis indicia, quæ qui in se fuerit expertus, confidere et sperare debet, quod peracta purgatione Deus faciet tenebras in lucem et prava in directa et aspera in vias planas.

SECTIO VI

Quomodo se gerere debeant, qui purgatione passiva partis intellectivæ exercentur.

SUMMARIUM

307 Ponitur primum documentum pro purgatione passiva partis intellectivæ. 308. Ponitur secundum documentum. 309. Ponitur tertium documentum. 310. Magna constantia debet homo tenebras hujus terribilissimæ noctis tolerare.

Dico 1. Documenta circa modum procedendi in purgatione passiva partis sensitivæ etiam pro purgatione passiva partis intellectivæ valde sunt
307. utilia et multo magis necessaria. *Primum documentum* pro hac purgatione est supposita confor-

mitate voluntatis nostræ cum divina, ipsum Deum humiliter et cum fiducia filiali de paterno ejus auxilio impetrando et perseveranter invocare, Sanctos adhibendo pro nobis apud Deum intercessores et eos præsertim, quos scimus, in hujusmodi purgationis angustiis desudasse. Nec cessandum est, quamvis preces nostræ videantur exosæ Deo et ipse tunc appareat judex implacabilis, puniens peccata. Sed debet quisque dicere cum Psalmista (Ps. 114.) : « *O Domine, libera animam meam, misericors Dominus et justus, et Deus noster miseretur* : vel cum eodem Psalmista (Ps. 22) : *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt* » ; vel dicat cum Job (17.) : « *Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me* ».

Dico 2. *Secundum documentum est*, ut qui in hu- 308.
jusmodi purgatione exercetur, sibi persuadeat, honestum et gloriosum esse, in hac mortali vita tentationibus et augustiis affligi, immo esse signum distinctivum filiorum Dei ad æternam beatitudinem electorum a reprobis filiis dæmonum, ut ait D. Paulus (2. Cor. 4.) : « *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur, sed non destituimur,... semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris* ». Hinc est quod D. Bernardus Judæos irridet (serm. 1. Paschat.) eo, quod illudentes dicebant Christo : « *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei* ». Nam potius debebant

contrariam consequentiam inferre : Si rex Israel est, non descendet de cruce, nam scriptum est : « *Dominus regnavit a ligno* (*) ». In nullo enim magis Christus ostendit, se esse filium Dei, quam patienter crucem et angustias illius tolerando. Unde et a centurione et aliis ut talis agnitus fuit, propterea percutientes pectora sua propter sacrilegium exsecrandum in ejus divinam personam commissum recesserunt, dicentes : « *Vere filius Dei erat iste* », quia crux et passiones sunt signa constitutiva filiorum Dei, et a filiis perditionis omnino distinctiva.

309. *Dico 3. Tertium documentum est* adhuc magis efficax, non quidem secundum se, sed tantum supposito amore concupiscentiæ, quo Deo propter retributionem deservimus, antequam perfecte per hanc purgationem ab imperfectionibus purificati ad divinum obsequium ex puro amore amicitiæ, sive ex solo motivo placendi divinæ majestati sublevemur. Hoc autem documentum est, considerare, quam arcta est via, quæ ducit ad cœlum, et quam pauci ambulant per eam, cum sit tribulationibus et angustiis horrida, spinis et scopulis infensa et penitus invia et inaquosa. Unde qui propriæ vacat utilitati et suæ salvationi, non tristetur, sed potius gaudeat, cum se in hujus purgationis processu constitutum videt, et dicat cum Job : « *Post tenebras spero lucem* ». Et non miretur videns se in tali tribulatione constitutum. Nam si oportuit Christum pati et ita intrare in glo-

(*) Sic legitur in versione Itala, Ps. 95, 10.

riam suam, quid mirum, quod alii cœlum per tribulos et spinas ingrediantur ? Magna igitur 310.
constantia debet homo tenebras hujus horribilis noctis tolerare, ut fecit Christus, cujus imagini voluit nos Deus fieri similes. Et si ille in gloriam suam per passionem intravit, necesse est, quod illi, qui ei debent per omnia assimilari, per vim cœlum ingrediantur. Ideo namque Matth. 11. dicitur : « *A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* ». Alia remedia plura dantur ad solatium et instructionem eorum, qui rigori hujus purgationis subjiciuntur. Sed hæc in communi dixisse sufficiat ; in particulari siquidem tradentur documenta sigillatim toto discursu sequenti, dum diversa ponuntur media, quibus hæc purgatio passiva partis intellectivæ perficitur.

DISPUTATIO VII

De variis mediis, quibus perficitur purgatio passiva partis intellectivæ.

SECTIO I

Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando tentatione contra fidem et timore reprobationis atque tentatione desperationis.

SUMMARIUM

311. Purgurtio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando tentatione causata a diabolo contra fidem. 312. Quid facere debeat, qui hac infidelitatis tentatione se viderit fatigatum? 313. Diabolus

nimium torquet animas positas in hac purgatione metu reprobationis. 314. Anima in hac tentatione posita debet a directore consolari et ad spem salutis æternæ erigi variis mediis, quæ ibi referuntur.

311. *Dico 1.* Cum fides sit lumen supernaturale divinitus infusum, quo creatus intellectus roboratus veritates a Deo revelatas attingit, et sit basis et fundamentum spiritualis ædificii, inde est, quod *diabolus totis viribus conatur, quod fides jam concepta destruatur* et maxime suam malitiam in hac materia exercet circa eos, qui violenta hac purgatione pressis ambulant in tenebris et umbra mortis, eis proponendo, quod dogmata christiana sunt falsa, ipsos miserrimos esse, cum nec in hac vita voluptatibus illius potiantur, sed potius tot tribulationes et angustias sustinuerint et in futurum nullo præmio potituri sint. Et quamvis diabolus prævideat fideles, veros Dei famulos, huic tentationi non consensuros, urget tamen, si non ut vincat, saltem ut inquietet et ab exercitio virtutum eos deterreat.

312. *Dico 2.* Qui hac tentatione infidelitatis se videt exagitatum, debet primo a Patre luminum fidei lumen implorare, dicendo cum Apostolis : « *Adauge nobis fidem.* » (Luc. 17, 5.) Deinde debet sumere scutum fidei, in quo possit tela nequissimi ignea exstinguere, diabolum irridendo et ei dicendo : « *Quomodo mihi suggeris, ut non credam, quod tumetipse credis et contremiscis evidentia signorum convictus!* » Deinde debet actus fidei multiplicare circa materiam, in qua tentatur, et omnibus contrariis suggestionibus respondere : « Magis credo

Deo veritates fidei revelanti, quam vobis mentientibus, et pro hac catholicæ fidei veritate sanguinem et vitam fundam, ut tot Martyres fecerunt, ut tot Doctores et viri sancti prædicaverunt et tot œcumenica concilia confirmarunt. »

Dico 3. Cum rari sint, qui amore puro amicitiæ Deo inserviant, et plures sint, qui ei deserviunt amore concupiscentiæ, inde est quod diabolus *nimis torquet animas fideles metu reprobationis et damnationis.* Quam tentationem Deus sæpe in hac purgatione permittit, ut tamquam aurum in fornace tribulationis probet eos, et ad hanc tribulationem maxime cooperatur clarissima contemplatio per lucem infusam, omnes simul imperfectiones proprias ipsis manifestantem. Non enim possunt se tam miseros intuendo nisi horrorem de se ipsis concipere et insuper judicare, quod oculis divinæ majestatis multo purioribus majori sint in horrore et odio, et propterea se velut reprobos arbitrantur et in desperationem devolvuntur, quod omnem alium doloris et afflictionis sensum supereminet. 313.

Dico 4. Qui hujusmodi tentatione in hac purgatione diutius exercentur, omni compassione digni sunt, et vere ambulant in tenebris et umbra mortis. Et anima in hac angustia posita debet a directore consolari et ad spem salutis æternæ rationibus erigi. Et licet se damnationem mereri propriis peccatis asserat, debet ei respondere, quod quamdiu vivimus, est locus veniæ. Et animæ sic afflictæ debet director plura exempla afferre eorum, qui de perditione erepti ad magnam 314.

sanctitatem pervenerunt. Proponat ei Saulum, bonum latronem et Mariam Magdalenam, quæ cum esset in civitate peccatrix, facta fuit Apostola discipulorum. Proponat ei, quod Deus non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur. Et quod præcipuum prædestinationis signum est,pati afflictiones, quia quos Deus amat, castigat, et quod Deus non punit bis inidipsum,et cum ipsum in hac vita pro peccatis semel afflixerit, parcet in alia.

SECTIO II

Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando totali subtractione consolationis.

SUMMARIUM

315. Aliquando Deus suos servos nullo pabulo consolationis recreat, sed continua purgatione exercet. 316. In hac desolatione non invenitur nisi tædium circa omnia bona, et anxietas. 317. Quid debeat facere anima tali purgatione vexata ?

315. *Dico. 1.* Aliquando Deus aliquos servos suos continua purgatione exercet et *nullo pabulo consolationum recreat*, sed semper in continuis tenebris ex parte intellectus et in assiduis ariditatibus et angustiis ex parte voluntatis vivunt,et quamvis sint in gratia, ita manet latens in centro animæ,
316. ut nec minimæ scintillæ prodeant ab ipsa. Hinc in virtutum actibus angustia,in orando tenebræ,in meditando fastidium circa omnia bona, tædium et anxietas, et ita aggravantur, ut possint merito dicere cum Psalmista (Psalm.142.): *Collocavit me*

in obscuris, sicut mortuos sæculi » ; vel cum Job (3,23) : «*Circumdedit me Deus tenebris* » ; et iterum cum Psalmista (Psalm. 21.) ; *Clamabo per diem, et non exaudies* » ; et cum Propheta (Thren. 3) : « *Conclusit vias meas lapidibus quadris* ». Hoc modo purgavit Deus S. M. N. Theresiam per duos et virginti annos, in quibus gravissimis morbis et variis tentationibus vexata constantissime meruit in castris christianæ pœnitentiæ, nullo refecta pabulo jearum consolationum, quibus solet etiam in terris sanctitas abundare, ut dicitur in lectionibus officii illius.

Dico 2. Anima tali purgatione vexata primo 317.
debet se conformare divinæ voluntati, nullam humanam consolationem admittendo præter eam, quam illi obedientia præscripserit, et hanc majori parcitate, quam potuerit. Secundo in mediis his angustiis debet se erigere contra naturæ recentis impetum cum contrariæ virtutis heroïcis actibus. Tertio debet Sanctos in auxilium suum implorare, ut apud Deum intercedant,et maxime Angelum suum custodem, cujus munus est animam sibi commissam custodire, dirigere, protegere ac Deum in ipsam iratum placare, et præcipue debet multoties dicere ad Dominum Jesum : « *Domine, salva nos ; perimus* ». Ipsum enim habemus advocatum apud Patrem,et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Debet etiam præcipue invocare Virginem sanctissimam Mariam in auxilium suum. Ipsa enim est vera mater misericordiæ.

SECTIO III

Purgatio passiva puriis intellectivæ perficitur pluribus aliis mediis.

SUMMARIUM

318. In hac purgatione aliquando permittit Deus, ut diabolus excitet spiritum blasphemiæ. 319. Anima in hoc statu, quid facere debeat, ostenditur. 320. Purgatio hæc aliquando perficitur timore deceptionis in præteritis favoribus. 321. Quid facere debeat, qui sic purgatur. 322. Purgatio aliquando perficitur desperatione remedii. 323. Quid hi facere debeant? 324. Hæc purgatio aliquando perficitur participatione divinæ passionis. 325. Quid sic purgati facere debeant? 325*a*) Hæc purgatio perficitur aliquando favoribus.

318. *Dico 1.* In hac purgatione aliquando permittit Deus, ut diabolus excitet *spiritum blasphemiæ*, qui singulis eorum conceptionibus immixtus ad horribiles contra Deum et Sanctos blasphemias quasi compellit interius in mente et exterius ad eos voce pronuntiandum. Quidquid sanctum tunc vident, quidquid pium audiunt, quidquid devotum legunt, illo blasphemiæ spiritu in deteriorem partem detorquent,et sic illis videntur computari, de quibus dicitur (Ps. 72): « *Posuerunt in cœlum os suum.* » Vix concipi potest, quales angustiæ in eorum anima generentur. Horrent se ipsos et inter reprobos reputant, cum se tam indigne de Deo et Sanctis ejus cogitare advertunt.

319. *Dico 2.* Anima in hoc statu posita, patientia et humilitate indiget sibique persuadere debet,quod servi fideles Domini « *in paucis vexati, in multis bene disponentur. Quoniam Deus tentavit eos et invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace*

Probavit illos, et in tempore erit respectus illorum. » (Sap. 3, 5, 6.) Credere etiam debent, quod hæc tentatio non est in illorum ruinam, sed in meritum, cum alias videant se paratos, millies potius mori, quam minimum quid contra Deum cogitare vel dicere.

Dico 3. Purgatio hæc aliquando perficitur *timore deceptionis in præteritis Dei favoribus.* Nam cum qui purgantur, videant se tot miseriis plenos, credunt, præcedentes Dei favores fuisse dæmonum illusiones, quas Deus permisit in pœnam peccatorum latentium. Et hoc modo fuit vexata N. M. S. Theresia, ut in vita ipsius legitur. Qui tamen sic purgantur, debent habere magnam fiduciam, quod nemo perit nisi volens, nemo decipitur a dæmone nisi consentiens, et quod, si fuerint humiles ac Domino fidentes, ipsæ dæmonum illusiones proderunt occasionaliter ad salutem. « *Omnia quippe cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* » (Rom. 8, 28.) Consulant directorem et ejus consiliis acquiescant. 320. 321.

Dico 4. Perficitur aliquando hæc purgatio *desperatione remedii*, quod est gravissimum animæ tormentum, cum diuturnum et perpetuum credatur et simile damnatorum miseriæ. Unde qui sic purgantur, credunt, nullum suis malis fore remedium, et credunt, se in hanc ariditatem et obscuritatem tenebrosam suis demeritis devenisse. His autem patientia opus est, nam vel tempestas cessabit, vel cum tempestate pleni meritorum divitiis ad portum æternitatis pervenient. 322. 323.

324. *Dico 5.* Perficitur aliquando hujusmodi purgatio *participatione Dominicæ passionis*, ut accidit N. S. Magdalenæ de Pazzis, quæ sæpius in anno patiebatur omnes dolores sacratissimæ Passionis, tam in anima quam in corpore. Et idem accidit D. Francisco, cum stigmata in ejus cor-
325. pore fuerunt impressa. His autem animo opus est, certi, quod post tempora passionis gloriam
325ª. spiritualis refectionis consequentur. Alii purgantur a Deo *favoribus* post commissas aliquas imperfectiones, quæ purgatio solum est proportionata animabus generosis, et eas maxime torquet, cum se videant loco supplicii pro imperfectionibus favoribus a Deo locupletari. His tantum opus est conteri de imperfectionibus ac vitam emendare.

SECTIO IV

De tentationibus occasione purgationis passivæ exsurgentibus et de earum remediis.

SUMMARIUM

326. In purgatione passiva frequens est tentatio cessandi a bonis operibus. 327. Quid debeant sic tentati facere? 328. Datur in hac purgatione etiam tentatio retrocedendi a via perfectionis. 329. Ponitur remedium contra hanc tentationem. 330. Aliqui in hac purgatione tentantur actibus impatientiæ et murmurationis contra Deum. 331. Qui hac tentatione premuntur, quid facere debeant, exponitur. 332. Aliquando tentantur positi in hac purgatione tentatione, quod Deus non sit justus. 333. Ponitur remedium contra hanc tentationem. 334. Diabolus aliquando persuadet positos in hac purgatione, Deum non habere providentiam de rebus humanis. 335. Quid facere debeant hac tentatione vexati? 336. Ponuntur modi, quibus resistendum est his omnibus tentationibus.

326. *Dico 1.* In purgatione passiva partis intellecti-

væ valde frequens *est tantatio cessandi a bonis operibus*. Hæc autem tentatio non tota simul, sed paulatim illabitur. Nam cum incipientes videant exhaustam affluentiam gratiæ sensibilis, corde deficiunt, et fiunt pusillanimes; cui pusillanimitati si non resistant, statim sequitur languor bene operandi, ut accidit in illis, qui volunt levare saxum magnum, quod cum non possint, affliguntur et incidunt in quamdam tristitiam et diffidentiam. Sic isti videntes difficultatem bene operandi, quidam horror terret eos et dicunt inter se : « Bona est victoria, sed dura pugna. » Ex hac autem difficultate bene operandi sequitur in eis, si similiter non resistant, fastidium bonorum operum. Isti autem pusillanimes debent dicere 327.
cum Apostolo (ad Philip. 4.) : « *Omnia possum in eo, qui me confortat.* » Deus namque præcipit (Isai. 35, 4.) : « *Dicite pusillanimis, confortamini, et nolite timere. Deus ipse veniet, et salvabit nos.* » Debent etiam orare et cum Propheta regio exspectare eum, « *qui salvum facit a pusillanimitate spiritus et tempestate.* » (Ps. 54, 9.)

Dico 2. Alia datur tentatio in hac purgatione 328.
retrocedendi scilicet a via perfectionis. Hoc autem accidit, quando quis relicto internæ contemplationis exercitio de mentis recessu ad practicæ vitæ tumultus et ad occupationes redit inutiles. In hujusmodi tentationis tempestate plurimi fluctuant et pauci navigant. Sæpe enim vir spiritualis eo quod ei deficiant consolationes gratiæ sensibilis, se occupationibus inutilibus involvit, relicta oratione mentali, ut accidit N. M. S.

Theresiæ in principio suæ vocationis. Sæpe autem id faciunt quadam falsa humilitate. Nam cum in se videant plures imperfectiones, retrahunt se ab oratione,dicentes se indignos esse talis orationis exercitio, imitantes Petrum, quando Christo dixit :« *Exi a me,quia homo peccator sum*
329. *Domine.*» (Luc.5,8.) Remedium autem contra hujusmodi tentationem est,in suo manere recessu, in oratione perseverare et recordare illius Apostoli sententiæ dicentis : « *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* » (2. Tim. 2, 4.)

330. *Dico 3.* Alia tentatio incipientium est, quando in hac purgatione exercentur aliqui non ita divinæ voluntati conformes, *ut in actus impatientiæ prorumpant* et contra Deum murmurent. Hæc tentatio impatientiæ aliquando tam valida est, quod quasi insanit homo et palpitat ex vehementi mœrore, quia in oratione non reperit solatium. Unde dicunt cum Job (30.) : « *Clamo ad te,et non exaudis me ; sto, et non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi.* » Et cum Habacuc (1.) : « *Usquequo,*
331. *Domine, clamabo, et non exaudies* ? Hæc autem tentatio non melius superatur, quam patienter tolerando et humiliter exspectando, donec Deus benignitatem vultus sui ostendat. Qui autem premuntur tentatione murmurationis contra Deum, debent maxime attendere, ne succumbentes murmurent contra Deum, filios Israel imitantes, qui contra Moysen et Deum murmurabant, et timeant, ne vel puniantur a Domino, vel saltem ab illo reprehendantur,ut successit Job, cui Dominus

dixit : *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis ?* » (Job. 38, 2.) Possunt tamen, qui hac purgatione diutius affliguntur, quærimonias filiales dicere ad Deum, sed prius per aliquod tempus sileant cum sancto Job, ut sic insipientiæ et murmurationis motus evitent et cautius ac humilius cum Deo se gerant.

Dico 4. Cum homo in purgatione passiva non 332.
advertat in se peccata, propter quæ judicet, se iram Dei promereri et videat aliunde, se tot tantisque tentationibus afflictum, subrepit *tentatio, quod Deus non sit justus*, quando quidem innocentem æque puniat ac impium. Hæc tentatio Sanctos etiam vexavit Prophetas, qui de rectissima Dei justitia nullatenus dubitabant. Nam Jerem. (cap. 12.) supponens Dei justitiam, sic Deo conqueritur : « *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum. Verumtamen justa loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui prævaricantur, et inique agunt ?* Et Job (cap. 9.) ait : « *Unum est, quod locutus sum, et impium et innocentem ipse consumit.* » Et David (Psalm. 72.) ait : *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* » Hæ autem quærimoniæ horum Prophetarum solum procedebant ex admiratione, eo quod non poterant investigare divinæ providentiæ mysterium. Con- 333.
venientissimum autem remedium contra hanc tentationem est : considerare, quod minimum peccatum contra Deum nulla secundum se pœna sufficienti possit expiari, cum sit malum superioris ordinis et injuria facta Deo. Quod maxime

verum est, si fuerit peccatum mortale. Sæpe autem Deus malos et iniquos non vult in hac vita punire et eis reservat punitionem pro futura vita. Justos autem in hac vita affligit, ut propriis purgati defectibus in alia vita pro bonis operibus statim coronentur.

334. *Dico* 5. Diabolus aliquando eis, qui purgatione passiva torquentur, suadet, *Deum non habere providentiam de rebus humanis.* Nam si de illis talem providentiam haberet, non permitteret innocentes tam acriter et tamdiu vexari. Hinc « *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* » (Ps.13,1.) Aliqui etiam sæviente malorum tempestate Deum velut dormientem considerant,ut dixit Psalmista (Ps.43.) : « *Exsurge. Quare obdormis, Domine ? Exsurge, et ne repellas in finem.* »

335. Procuret ergo, qui in statu purgationis exercetur, patienter has tentationes ferre et sibi persuadere, quod non in destructionem,sed in ædificationem, non in perditionem,sed in propriam perfectionem hæ et similes tentationes inducuntur, et speret post tenebras quietem et post purgativas dispositiones divinam illustrationem ac unionem fixam et aliquando indissolubilem.

336. *Dico 6.* Modus resistendi tentationibus est duplex. Primus declinando jacula tentationis. Secundus retorquendo jacula in tentatorem. Primus modus resistendi exercetur, quando tentatus advertens tentationem illam despicit et se ad alia divertit. Secundus procedit, quando facit actus contrarios tentationi. Uterque modus occurrendi tentationibus est bonus. Semper ta-

men adhibenda est humilis recognitio et conformatio omnimoda cum divina voluntate. Unde Taulerus (in medulla animæ, c. 11.) ait: « *Si impatientia a te moveri censeas, in adversis resiste, quantum potes, et sustine.* » Et S. Bernardus (serm. 16. in Psalm. Qui habitat) ait: *Omne gaudium existimemus, cum in tentationes varias inciderimus, fratres mei.* » Per multas namque tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, ut et Christus fecit: « *Nonne oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam?* » (Luc. 24,26.)

DISPUTATIO VIII

De medio, quo debeat fieri purgatio activa in parte sensitiva, quod est oratio, præsertim mentalis.

SECTIO I

Quid sit oratio et quotuplex?

SUMMARIUM

337. Variis modis sumitur oratio. 338. Pro unoquoque modo ponitur sua definitio. 339. Oratio secundum omnes suas partes, an pertineat ad intellectum, declaratur. 340. Oratio est actus religionis. 341. Oratio, si cum debitis circumstantiis, quæ ibi explicantur, fiat, est actus supernaturalis. 342. Oratio est necessaria pro adultis necessitate medii, tam ex natura rei, quam ex Dei ordinatione. 343. Oratio, quæ est actus religionis, cadit sub præcepto. 344. Quando obliget hoc præceptum, ostenditur. 345. Ponitur divisio orationis in mentalem et vocalem, et explicatur. 346. Utraque oratio essentialiter consistit in petitione. 347. Oratio mentis alia est naturalis et ordinaria et alia supernaturalis. 348. Ad orationem mentalem ordinariam requiritur auxilium divinæ gratiæ. 349. Est actus supernaturalis, sed posito divino auxilio potest acquiri proprio studio. 350. Oratio mentalis ordinaria, quas partes habeat, exponitur.

337. *Dico 1.* Quattuor modis sumitur oratio a D. Thoma (IV. Sent., dist. 15. q. 4. art. 1.) secundum quattuor conditiones, quæ habentur in ora-
338. tione. Primo oratio est bona cogitatio, qua homo excitat suam voluntatem ad opus bonum cujuscumque virtutis intra se, et in hac consideratione definitur : « *Est elevatio mentis in Deum* ». Secundo sumitur oratio pro operibus intellectus practici, quibus se movet homo ad petendum a Deo quidquid licitum, honestum et conveniens est ad obsequium Dei, et in hoc sensu definitur a D. Augustino (*lib. de verbis Domini) : *Est petitio quædam decentium a Deo.* Ita etiam Damascenus (lib. 3. de fide orthod., cap. 24.). Et D. Basilius* eam definit : « *Oratio est boni cujuspiam petitio* ». Tertio sumitur pro operibus intellectus practici, quibus excitatur voluntas ad amandum Deum, et in hoc sensu oratio est sancta cogitatio, qua excitamur ad amandum, et in hoc sensu oratio perfectior et elevatior est, quia idem est quod contemplatio. Unde in hoc sensu definitur a S. Laurentio Justiniano* : *Oratio est addidamentum gratiæ et amoris incentivum*, et a S. Augustino* : *Oratio est purus affectus mentis in Deum directus.* Quarto sumitur oratio pro quocumque bono desiderio et pro quocumque bono opere, et in hoc sensu definitur a S. Augustino (Serm. 230 de temp.) : *Est ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium*, et a D. Thoma (2.2. q. 33.) : *Est desiderii coram Deo explicatio, ut aliquid impetremus.*

Dico 2. Ad orationem necessario requiruntur 339.
tres actus. Primus est humilis cognitio indigentiæ, quam quis habet illius rei, quam vult a Deo postulare, et potentiæ ad illam concedendam. Secundus est desiderium, quo vult, quod Deus rem illam sibi vel aliis concedat. Tertius est actus, quo quis practice Deo manifestat, hoc suum desiderium cum prædicta humili recognitione, ut inde moveatur Deus ad concedendum beneficium. Secundum duos actus primos certum est, orationem pertinere ad intellectum. In hoc conveniunt D D. cum D. Thoma (2.2. q. 83.). An autem oratio sumpta pro tertio actu, in quo pro formali ipsa consistit, pertineat ad intellectum vel ad voluntatem, quæstio est speculativa, et variant D D. Nam N. Philip. a Trinit. (Tr. 1. discurs. 3. art. 1.) et Vallgorner. (q. 2. disp. 5. art. 1. n. 216.) dicunt, pertinere ad intellectum. Alii probabilius dicunt, pertinere ad voluntatem. Ita Suarez, Palaus, Tancredi, quos ego ipse retuli et secutus fui in Directorio confessariorum (p. 3. tr. 3. disp. 1. sect. 1. n. 12.). Sed quia hoc parum interest ad em præsentem, et magis pertinet ad speculationem, vide, quæ ibi dixi, utraque enim sententia probabilissima est.

Dico 3. Oratio est actus religionis. Ita D. Tho- 340.
mas (2.2. q. 83. art. 3.) et cum Suarez, Lessio, Cajetano et aliis communiter Tancredi (*de Religione, tr. 3. lib. 1. quæst. 2. n. 8.) Ratio est, quia ad religionem pertinet, reverentiam et honorem exhibere. Sed per orationem exhibetur reverentia et honor Deo, in quantum se homo Deo subjicit,

et profitetur orando, se illo indigere. Siquidem homo non orat, ut Deo manifestetur, quod prius erat incognitum, nec ut novam habeat voluntatem. Ergo oratio est actus elicitus a religione.

341. *Dico 4.* Si cum debitis circumstantiis fiat, scilicet si fundetur in fide firma et spe certa et divina providentia, est actus supernaturalis. Ita cum D. Hilario Tancredi (*supra,q. 3.). Ratio est, quia de fide est, ad talem orationem necessarium esse auxilium gratiæ supernaturalis : ergo. Major sumitur ex D. Paulo ad Romanos 8: « *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* ». Adverte tamen, quod licet homo non sit in gratia habituali, non peccat orando, ut cum communi sententia docet Tancredi (*supra, n. 13.).

342. *Dico 5.* Oratio est necessaria adultis necessitate medii, tam ex natura rei quam ex ordinatione divina. Ex natura rei attendendo ad nostram necessitatem et excellentiam bonorum spiritualium, quæ a solo Deo dantur. Et ratio est, quia ex natura rei necessarium est,quod in his, in quibus indigemus recurramus ad eos, qui possunt dare. Sed solus Deus potest dare salutem æternam et bona spiritualia. Ergo necesse est, quod quamdiu indigemus,in illis recurramus ad Deum: ergo. Quod autem oratio sit necessaria necessitate medii ex ordinatione divina, etiam patet, quia Deus sua providentia ordinavit orationem tamquam medium ad obtinenda bona, præsertim spiritualia, ut patet ex illo Lucæ 18 : « *Oportet semper orare* ». Et Matth. 26 : « *Orate, ut non intretis in tentationem* ». Et Jacobi 5 : « *Orate pro*

invicem, ut salvemini », ubi communiter S S. Patres necessitatem orationis ad salutem reducunt.

Dico 6. Oratio, quæ est actus religionis, cadit 343.
sub præcepto divino naturali : Ita D. Thomas (2. 2. q. 83, art. 3.) et cum Suarez, Navarr. et alliis communiter Tancredi (*supra,q.2). Ratio est,quia media necessaria ad salutem, sunt nobis jure divino naturali præcepta, ut est commune axioma. Sed oratio est ad salutem necessaria, ut supra diximus : ergo.Quando autem obliget hoc præcep- 344.
tum, respondeo,tum saltem urgere, quando indigeo ob necessitatem propriam divino auxilio, ut in vincenda aliqua tentatione, vel in necessitate gravi proximi, ut si aliquos videam, ad duellum ire et aliter succurrere non possum, quod tamen raro accidit. Ita cum Lessio, D. Thoma, Navarra et aliis Tancredi (*supra,q. 4. n. 15.). Adverte tamen, quod in his et aliis casibus excusatur homo ob inadvertentiam. Ita cum Suarez, Tancredi (*supra, n. 18.).

Dico 7. Oratio dividitur ex parte actus in *men-* 345.
talem et vocalem. Mentalis interno mentis actu perficitur. Vocalis externa voce exprimitur. Utra- 346.
que consistit essentialiter in petione. Oratio men- 347.
talis alia est *naturalis et ordinaria*, alia vero *supernaturalis et extraordinaria*. De supernaturali et extraordinaria secundum diversos ejus gradus, tamquam propria proficientium et perfectorum agetur Tract. 3 et 4. hujus operis, cum sit perfecte illuminativa et unitiva mentis cum Deo. Unde solum restat hic agere de naturali et ordinaria. Adverte tamen, me hanc orationem vocare

348. naturalem, non quia ad eam non requiratur auxilium divinæ gratiæ, neque quia ipsa in se non sit actus supernaturalis, sed quia supposito divino
349. auxilio potest desiderari et acquiri proprio studio et communiter exerceri; cum tamen illa, quam dicimus supernaturalem, debeat supernaturaliter infundi, et gratuito infunditur ei, cui Deus voluit misericorditer communicari. Quamvis enim anima ad eam recipiendam se disponat, ad ejus tamen infusionem active non concurrit.

350. *Dico 8.* Oratio mentalis ordinaria sex habet partes, id est sex actus ad illam vel præcipue vel simultanee concurrentes, videlicet: *præparationem*, *lectionem*, *meditationem*, *gratiarum actionem*, *oblationem et petitionem*, ad quam velut ad essentiam orationis cæteri actus præmittuntur. Licet autem Deus statim a principio donum orationis et contemplationis, immo et divinæ unionis, interdum speciali privilegio concedat aliquibus, tunc tamen eos via ducit extraordinaria. Hic autem ordinariam et tritam demonstrabimus.

SECTIO II

De præparatione ad orationem mentalem.

SUMMARIUM

351. Duplex est præparatio ad orationem mentalem, alia proxima, alia remota. 352. In quo consistat præparatio remota, explicatur. 353. In quo consistat præparatio proxima, explicatur.

351. *Dico 1.* Duplex est præparatio ad orationem
352. mentalem, alia remota, proxima altera. *Remota*

consistit primo in fuga distractionum. Nam si homo non fugiat distractiones, sine dubio tempore orationis animæ ipsis assuetæ facile occurrent et eam ad usitatam sui considerationem sensim allicient. Unde D. Bernardus chorum intrans externis occupationibus præcipiebat, ut ipsum ante chorum redeuntem exspectarent. Secundo existit in exercitio continuato præsentiæ Dei. Nam oratio mentalis est mentis ad Deum elevatio. Sed non potest anima facile elevari ad Deum nisi repetitis frequenter actibus talem acquirat facilitatem ac consuetudinem. Ergo cum hæc multiplicatio actuum consistat in continuato exercitio præsentiæ Dei, necessario est continuata præsentia Dei, et ideo sponsa dicebat (Cant. 5, 2.) : « *Ego dormio, et cor meum vigilat* », quia etiam tempore somni in Deo cogitabat. Tertio consistit in puritate vitæ et munditia cordis. Ratio est, quia, ut ait Scriptura (Matth. 5, 8.) : « *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* » Solum enim, qui mundo sunt corde, Deum videre possunt, quia Deus, qui est summa puritas, totum illis se communicat, qui puritate vitæ sunt dispositi. Et ideo Joseph Corpus Christi in sindone munda involvit, quia Deus solum mundis corde in hac vita communicatur. Unde Paulus ad Hebræos (10,22) ait : « *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei* », id est cum vero intellectu sine errore et culpa.

353. *Dico 2. Præparatio proxima* consistit in consideratione divinæ Majestatis et propriæ vilitatis. Unde debet homo se disponere cum affectibus reverentiæ et amoris circa divinam majestatem, et

cum affectibus humilitatis apud se ipsum, et hoc affectu debet incipere suam orationem,ut fecit Publicanus, cujus oratio tantum Deo placuit. Debet igitur homo accedens ad orationem considerare, quid sit Deus,et quid sit ipse,et dicere cum Apostolo (1. Cor. 15, 10.) : « *Gratia Dei sum id quod sum* », et sæpe repetere : « *Domine, quis sum ego, et quis es tu ? Tu vere bonus, ego malus. Ego impius, tu sanctus. Tu justus,et ego injustus. Tu lux, et ego cæcus. Tu vita, et ego mortuus. Tu summa veritas, et ego universa vanitas. Heu, quid igitur, Creator, dicam? Audi, o Creator, creatura sum ; opus manuum tuarum, Domine, ne despicias. En ad te clamo, en ad te suspiro. Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. Parce mihi colloquenti tibi !* » Facta hac sui ipsius humili confessione doleat de culpis, quas forte commisit, et suppliciter Dei veniam postulet et confidenter accedat, postulans divinum auxilium, ut in hac devota actione possit inculpabiliter perseverare ad Dei gloriam et sui utilitatem, ut in ea mentem et affectum dirigat : mentem, ad cognoscendum Deum, affectum autem ad amandum ipsum super omnia, et non ut aliquam delectationem percipiat.

SECTIO III

De lectione in ordine ad orationem mentalem.

SUMMARIUM

354. Secunda pars orationis mentalis est lectio. 355. Liber legendus talis debet esse, ut præbeat materiam meditationis ex parte intel-

lectus, et quod moveat voluntatem. 356. Lectio debet esse attenta et lenta, et debet lector eligere puncta efficacia ad meditationem et ad movendam voluntatem. 357. Dum quis orationem mentalem private facit, debet lectionem iterare, si patiatur difficultatem in meditando.

Dico 1. Secunda pars orationis mentalis ponitur lectio. Primum igitur, quod circa hanc orationis partem occurrit, observandus est delectus alicujus libri pii, qui materiam meditationis ex parte intellectus et motum devotionis ex parte voluntatis præbeat. Multi autem sunt hujusmodi libri, qui materiam pro singulis diebus mane et vespere afferunt, quales sunt libri S. Petri de Alcantara et V. P. Ludovici Granatensis. Alii sunt libri, qui licet non afferant materiam meditationis ita dispositam, facile tamen mentem colligent, ut libri N. M. S. Theresiæ, N. S. P. Joannis a Cruce, et super omnes sacra Biblia : est enim verbum Dei et sermo ipsius verus et efficax. 354. 355.

Dico 2. Lectio, ut mentem colligat, debet esse attenta, et ut imprimatur memoriæ, debet esse lenta. Debet etiam lector seligere puncta efficaciora ad meditationem et ad movendam voluntatem. Aliquando bonum erit, lectionem iterare, dum quis orationem mentalem privatim facit et difficultatem in meditando patitur. Eo tamen ipso quod aliquid invenit, in quo mens colligitur et affectus excitatur, ibi debet sistere et non plura argumenta mente et cogitatione pro oratione præparare. Anima enim, quæ multum secum loquitur, parum Deo attendit, ut cum V. P. N. Joanne a Jesu Maria notavit Fr. Philip. a Trinit. (De Theologia mystica, p. 1. tract. 1. discurs. 3. art. 3). 356. 357.

SECTIO IV

De gratiarum actione et oblatione.

SUMMARIUM

358. Gratiarum actio est primus actus partis affectivæ in oratione mentali ex meditatione emanans. 359. In quo consistat formaliter gratiarum actio, exponitur. 360. Quid si ex meditatione non nascatur statim affectus dandi gratias Deo? 361. In quo consistat oblatio, quæ est pars orationis mentalis?

358. *Dico 1.* Gratiarum actio est primus in oratione mentali affectivæ partis actus ex ipsa meditatione connaturaliter ante quoscumque alios emanans.

359. Consistit autem gratiarum actio primo affectibus gratitudinis erga Deum benefactorem summum propter recepta ab eo tot tantaque beneficia in ipsa meditatione formaliter aut virtualiter perpensa. Secundo in eliciendis actibus amoris et laudis erga ipsum Dominum intuitu beneficiorum ipsius. Et ratio est, quia ex eo quod homo meditatus est in morte et passione Christi, statim consurgit affectus ei dandi gratias pro tanto beneficio. Et idem accidit, quando considerat sua peccata et proprias miserias, et videt, quod pro eis passus sit Christus. Et idem, quando considerat pœnas inferni et rigorem Dei judicii, a quo

360. sperat liberari ob merita Christi. Advertere tamen debet vir contemplativus, quod si ex meditatione non statim nascatur affectus dandi gratias Deo, ut connaturaliter accidit, sed videat animam affectam ad alios actus, puta oblationis sui ipsius, aut petitionis, debet ductum Spiritus

Sancti libenter sequi, quia melius est aliquando in alios virtutum actus motione divina prorumpere, quam in istos violenter inniti.

Dico 2. Oblatio, quæ est pars mentalis oratio- 361.
nis, in his consistit præcipue : primo, ut meditans se totum omnipotenti Deo consecret ; secundo, ut cor suum ad amandum Deum et os ad ipsum laudandum offerat ; tertio, ut decernat propter Deum excellentes actus virtutum exercere, præsertim earum, quas Deo magis placituras sibique magis necessarias judicaverit, tum operando tum patiendo, et insuper statuere firmiter ad majorem cordis puritatem passiones moderari, tentationes superare et appetitum mortificare. Plurimum tamen advertendum est, ne hæc solum oretenus fiant, sed quod ab intimo cordis procedant, ne forte dicatur offerenti, quod Deum labiis honorat, cor autem ejus longe est a Deo. Signum autem veræ oblationis est, si quis postmodum oblatis occasionibus propter Deum virtutem promissam exerceat. Quomodo enim potest credi, quod vere mori propter Deum desiderat, qui nec minimum verbum propter ipsum ferre potest? Qui enim parva aut facilia non agit propter Deum, difficile est, ut magna et difficilia agat et patiatur.

SECTIO V

De petitione.

SUMMARIUM

362. In quo consistat petitio, quæ est pars orationis mentalis? 363. Conditiones bonæ et legitimæ petitionis proponuntur. 364.

Qui observatis conditionibus bonæ petitionis postulat, absque dubio impetrabit. 365. Quæ bona debeant peti in petitione a Deo?

362. *Dico 1.* Petitio, quæ est ultima pars orationis mentalis generaliter sumpta, ut dicitur elevatio mentis in Deum, consistit primo in eo, quod orans postulet totum bonum homini conveniens; secundo, quod postulet victoriam tentationum et vitiorum, quæ magis incitant; tertio in postulanda virtute, quæ pro tunc sibi magis necessaria est; quarto in eo, quod postulet proximis, quæ illis magis convenientia et necessaria sunt; quinto, quod postulet hæc cum magna fide propter Jesum Christum Dominum nostrum. Ratio harum rerum est, quia, qui allocuturus est aliquem principem, quanto magis divinam Majestatem, debet se antea præparare et considerare, quæ sit persona, cum qua tractare vult, et quis sit ipse, qui cum æloqui desiderat, et ad hoc deservit præparatio. Deinde debet secum cogitare, quanam de re acturus sit, et ad hunc finem adhibetur lectio, quæ orationis materiam suppeditat. Necesse quoque est, ut ipsa materia, de qua agendum est, ante serio ponderetur, et ad hoc deservit meditatio, quæ hanc materiam excutit. Deinde sequitur affectus applicatio, quæ ex meditatione oritur, et ad hoc deservit gratiarum actio. Deinde necesse est, quod anima grata suo benefactori, reciproco beneficio studeat correspondere, et ad hoc confert oblatio, in qua homo se totum ex hoc gratitudinis affectu offert, et virtutum opera propter Dominum Jesum facere proponit. Sed quia supposita catholica veritate non potest homo sine

auxilio Dei debitum hoc persolvere, ratio ipsa postulat, ut ultima orationis pars sit ea, qua ad ipsum per petitionem recurrimus, illius opem ad hoc debitum persolvendum postulamus, ad peccati onera deponenda, ad virtutes comparandas et denique ad omne id, quod vel necessarium vel conveniens est, quo ad finem vitæ perveniatur, acquirendum.

Dico 2. Conditiones bonæ et legitimæ petitio- 363.
nis sunt, ut cum fide, seu fiducia, pie, perseveranter, et de pertinentibus ad salutem fiat. Primam conditionem S. Jacobus indicat in sua Epist. cap. 1. dicens : » *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo : postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur.* » Secunda se ipsa est evidens, nisi enim petitio sit pia, Deo non placebit. Unde suum non consequetur effectum. Propterea idem S. Jacob. (Cap. 4. suæ Epist.) ait : « *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis.* » Tertia docetur a Christo, Lucae 11, ubi amicus, qui ab alio tres panes postulavit, propter importunam perseverantiam eos obtinuit. Quarta etiam est certa. « *Nam quando petitur aliquid alienum a salute, non petitur in nomine Salvatoris,* » ut ait D. Augustinus*. Qui petit igitur his conditionibus, absque dubio impetrabit juxta fidelem Christi promissionem (Joann, 16, 24.) : « *Petite et accipietis.* »

An autem possit orans petere bona temporalia ? 364.
Respondeo, quod bona supernaturalia, quibus beatificamur, et quibus beatitudinem meremur,

absolute petenda sunt tam sibi quam aliis juxta illud Matth. 6, 33.): « *Quærite igitur primum regnum Dei*;» temporalia verum solum sub conditione saltem tacita, si sint profutura ad beatitudinem æternam, ut recte cum Augustino docet D. Thomas (2.2.q. 83. art.6.) et patet ex oratione Dominica, in qua inter alia Christus Dominus jubet petere pa-
365. nem quotidianum. Debet autem quilibet orare pro se ipso et pro aliis viatoribus tempore necessitatis, immo et pro inimicis. Generaliter autem orandum est pro Ecclesiæ necessitatibus, pro dilatatione fidei, pro conversione peccatorum, pro rege et pro animabus purgatorii et aliis communibus necessitatibus, de quibus vide late Tancredi (*supra), N. P. Philip.a Ss. Trinitate (p. 1. Theologiæ mysticæ, tract. 1. discurs. 3. art. 7.) et alios.

SECTIO VI

De meditatione.

SUMMARIUM

366. Quid sit meditatio, explicatur. 367. Necessaria est meditatio homini volenti contemplari. 368. Causa devotionis ex parte nostra est meditatio. 369. Finis meditationis unus est intrinsecus, et alius extrinsecus. 370. Quid sit finis intrinsecus, exponitur. 371. Quid sit finis extrinsecus, declaratur. 372. Meditatio non debet esse multa.

Pro hujus sectionis explicatione notandum est, quod licet meditatio statim subsequatur lectioni, quia tamen plures involvit difficultates,

ideo ad hunc locum illam retulimus, ut expeditius resolvantur.

Dico 1. Meditatio est mentalis discursus, quo 366.
intellectus circa materiam aliquam piam de una consideratione in aliam transit. Nam cum humanus intellectus non statim attingat veritatem, inde est quod paulatim ex principiis naturaliter aut facile notis, multas deducit conclusiones, ac plures invenit veritates, quas postea contemplatur; contemplatio siquidem est terminus meditationis. Hinc fit, necessariam esse homini volenti 367.
contemplari meditationem. Et ratio est, quia, ut ait D. Thom. (2. 2. q. 82. art. 3.), causa devotionis ex parte nostra est meditatio seu contemplatio. Nam cum devotio sit actus voluntatis et omnis actus voluntatis ex aliqua consideratione procedat, eo quod bonum intellectum est objectum voluntatis, sequitur, quod voluntas oritur ex intelligentia, et ideo necesse est, quod meditatio fit devotionis causa, in quantum scilicet homo 368.
per meditationem concipit, quod se tradat divino obsequio juxta illud Psalm. 18 : « *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*, » et juxta illud Psalm. 72 : « *Mihi autem adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam.* » Et hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa.

Dico 2. Finis meditationis unus est intrinsecus, 369.
alius extrinsecus. Primus est contemplatio, ut ait 370.
D. Angustin. De scala Paradisi (*) : « *Lectio inqui-*

(*) Hoc opusculum fertur inter scripta D. Bernardi; quamquam nec illius videtur esse, tantum abest, ut sit D. Augustini.

rit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat. Quærite legendo et invenietis meditando» juxta illud «*Quærite, et invenietis, pulsate, et aperie-*
371. *tur vobis.*» Secundus finis est operatio voluntatis. Ex meditatione quippe concipitur amor, juxta illud: « *In meditatione mea exardescet ignis,* » divini
372. scilicet amoris. Debet autem hic adverti, quod meditatio non debet esse multa. Nam ut ait Augustinus[x] : « *Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio. Negotium namque hoc plus gemitibus, quam sermonibus agitur.* » Licet autem meditatio non debeat esse superflua, sic non debet esse diminuta, sed debet quis meditationi insistere, donec veritas inventa moveat affectum.

SECTIO VII

Meditatio est primus gradus ad ascendendum ad vitam contemplativam, tam secundum doctrinam Sanctorum Patrum et gravium Doctorum, quam secundum bonam philosophiam.

SUMMARIUM

373. Primus gradus vitæ contemplativæ est meditatio imaginaria. 374. Probatur authoritate Sanctorum Patrum et gravium Doctorum. 375. Probatur multiplici ratione. 376. Ut quis ascendat ad contemplationem, prius debet in meditatione rerum corporalium exerceri. 377. Contrarium est omni bonæ philosophiæ, velle ascendere ad divinam contemplationem sine meditatione. 378. Probatur authoritate. 379. Probatur ratione. 380. Confirmatur a simili. 381. Incipientes non debent sistere in meditatione, sed debent aspirare ad contemplationem supernaturalem.

373. *Dico 1.* Primus gradus vitæ contemplativæ est

meditatio imaginaria. Ita Dionys. (De divinis nominibus, C. 1. § 4): *Modo autem, ut valemus, ad divina capienda signis utimur, quibus scilicet ad simplicem et unicam illam intelligibilium spectaculorum veritatem pro captu nostro adducimur.* Idem etiam multis in locis affirmat N. M. S. Theresia a Deo edocta, præcipue in sua vita cap. 12., ubi loquens de meditatione alicujus mysterii passionis Christi, quod incipientes debent considerare, si volunt ordinate ascendere ad contemplationem, concludit: « *Est hæc optima ad bene et quam celerrime proficiendum ratio.* » Et l. c. cap. 13. ait: « *Hoc orationis genus est, a quo omnes incipere, per quod progredi et in quo consummare debent.* Idem affirmant D. Thom. (2. 2. q. 82. art. 3.), S. Gregorius (lib. 22. moralium), S. Augustinus (tom. 10. serm. 112. de tempore), Hugo de S. Victore (de modo dicendi et meditandi) et ex modernis Vallgornera (de Theologia mystica, q. 11. disp. 6. art. 2. n. 295), Planes (in concordantia mystica, lib. 1. cap. 1. n. 1.) contra nonnullos falsos magistros spiritus hujus temporis. 374.

Ratio fundamentalis est, quia ordo præscriptus a natura est, ut ab imperfectioribus ad perfectiora ascendamus. Sed res pure spirituales sunt res perfectiores corporalibus. Ergo ut recte ascendamus, ad cognitionem rerum spiritualium, prius debet natura esse assuefacta in meditationibus rerum corporalium et sensibilium. 375.

Confirmatur, quia illa contemplatio est melior incipientibus, quæ est magis clara et notoria et magis manifesta. Sed meditatio rerum sensibi-

lium et per species sensibiles est incipientibus magis clara, nota et manifesta. Ergo meditatio rerum sensibilium est melior incipientibus. *Confirmatur secundo*, quia tanto res magis amantur, quanto magis cognoscuntur et repræsentantur præsentes. Ergo pro hoc statu meditatio rerum corporalium et per species sensibiles in principio vitæ spiritualis est magis conformis et connaturalis. Antecedens patet,quia ideo magis amamus res temporales quam spirituales, quia videmus res temporales, non vero spirituales ; tum quia res spirituales considerantur absentes, temporales vero præsentes. *Confirmatur tandem*, quia ne-
376. mo repente fit summus. Ergo ut quis ascendat ad contemplationem, prius debet in meditatione rerum corporalium exerceri. Ordo enim naturalis postulat, ut ab imperfectioribus ad perfectiora ascendamus. Hinc fit, quod dicit Propheta (Ps. 38, 4.) : « *Et in meditatione mea exardeset ignis* », quia sine meditatione ordinarie non accenditur ignis contemplationis,bene tamen posita meditatione.

377. *Dico 2*. Contrarium est omni bonæ philosophiæ, velle ascendere ad divinam contemplatio-
378. nem sine meditatione. Ita Vallgornera (supra, art. 3.), Planes (supra, cap. 12.), sumiturque ex vita N. S. M. Theresiæ (c. 8.) ubi loquens S. Mater de statu imperfecto incipientium ait : « *Anima, quam Deus eatenus tantum evexit, consulto aget, si ulterius et sublimius ascendere non conitatur. Quod imprimis notandum est : nam præterquam sui ipsius damnum et exitium nihil*

inde referet ». Ratio autem est, quia omnia agen- 379.
tia naturalia operantur cum majori vi et efficacia cum rebus, quæ sibi sunt magis connaturales et cum quibus habent majorem similitudinem. Sed meditatio corporalium et per species corporales et sensibiles majorem connaturalitatem et similitudinem habet cum viris incipientibus et qui sunt in via purgativa, quam cum contemplatione simplici. Ergo incipientes facilius ascendent ad contemplationem per meditationem, quam sine illa. Major patet in animalibus, nam ut habetur in Ecclesiastico 13 : « *Omne animal diligit simile sibi.* » Et quanto magis sunt similia, magis amantur, et ignis majori vi imprimit suam virtutem in stuppa, quam in ligno, quia stuppa est ei magis similis et connaturalis propter majorem siccitatem et raritatem. Minor vero etiam liquet, quia objectum nostri intellectus pro hoc statu est ens concretum, ut ait D. Thomas multis in locis. Ergo meditatio imaginaria et per species sensibiles magis connaturalis et similis est incipientibus pro hoc statu, quam intellectualis contemplatio.

Confirmatur ; quia sicut illuminatio Angelorum 380.
superiorum non potest percipi ab Angelis inferioribus, nisi transeat per mediam hierarchiam, ita ut intellectus ascendat ad lucem puræ intelligentiæ, quæ est purissima et universalissima et quæ Deum intuetur absque alio medio quam lumine fidei, necesse est, ut transeat per lucem imaginationis et rationis et quod se exerceat in meditatione et speculatione rerum divinarum per imagines, antequam simpliciter et abstracte eas con-

templetur. A parte enim sensibili transcenditur ad intellectualem. Hanc necessitatem agnocens Psalmista dixit : « *Beati, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum ;* » et alibi : « *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam et custodiam illam in toto corde meo* ». Et iterum « *Lex tua meditatio mea est* ». Unde Hugo de S. Victore* ait, orationem esse non posse perfectam, nisi meditatio præcedat aut comitetur. Ergo secundum bonam philosophiam et rationem meditatio imaginaria in incipientibus debet præcedere contemplationem.

381. *Dico 3.* Incipientes non debent sistere in meditatione, sed debent aspirare ad contemplationem supernaturalem. Ratio est, quia omnis homo debet aspirare ad bonum honestum, utile et delectabile. Sed contemplatio supernaturalis hanc triplicem rationem boni habet. Ergo omnis homo tenetur ad illam aspirare. Major est certa, minor vero probatur, quia contemplatio ex parte objecti habet Deum pro objecto, ex parte principii habet Spiritum Sanctum per sua dona influentem. Ergo est bonum honestum. Quod autem sit utile, etiam liquet, siquidem conducit, ut anima plura acquirat merita, quibus gloriam consequatur. Quod autem sit delectabile, etiam liquet, quia nihil dulcius est, quam motio Spiritus Sancti, a quo oritur contemplatio, nihil delectabilius ejus objecto, quod est Deus summum bonum, nihil delectabilius ejus fine, cum in intima unione animæ cum Deo consistat. Ergo omnes debent aspirare ad illam.

SECTIO VIII

Quomodo debeat exerceri meditatio figurarum absque detrimento salutis cum utilitate meditantis.

SUMMARIUM

382. Meditatio imaginaria debet exerceri cum mediocritate, suavitate et moderatione. 383. Probatur authoritate Sanctorum Patrum. 384. Omnis virtus, quæ utitur organis corporeis sine circumspectione et modo, illa infirmat. 385. Meditatio debet sumi cum discretione. 386. Si desit ordo in rebus, deficiet honestas in opere. 387. Ut meditatio imaginaria debite exerceatur, aliquæ circumstantiæ debent in exercitio illius observari. 388. Referuntur circumstantiæ, quæ in illa debent observari.

Dico 1. Meditatio imaginaria debet exerceri cum mediocritate, suavitate et moderatione. In hoc conveniunt Doctores, præcipue N. M. S. Theresia (in Castello animæ, mansione 2., cap. unico in fine) ubi ait : *Jam alias vobis scripsi,.. quomodo prima sui recollectio non violenter, verum leniter et cum suavitate quadam potius inducenda sit quo magis continua ac diuturnior hæc esse queat* ». Idem docet S. Bonaventura (de prof. religios. lib. II. c. 60. edit. Vivès 1868, tom. XII.) Gerson (de meditat. consid. 7 et 8.), Vallgorn. (q. 2. de mystica Theolog., disp. 6., art. 5.), Planes (*de concordia mystica, lib. 5. cap. 4.). Ratio est, quia omnis virtus, quæ utitur organis corporeis sine circumspectione et modo, infirmat illa, si est cum operatione continua, ut ait D. Thom. Ergo licet meditatio figurarum sit utilis ad contemplationem, si fiat sine discretione, erit saluti nociva. Nam sicut vinum, licet sit bonum ad salutem, si immo- 382. 383. 384.

derate sumatur, nocet, ita, licet meditatio sit bona ad contemplationem, si immoderate sumatur, causabit phrenesim et delirium, ut sæpe pluribus successit.

385. *Dico 2.* Meditatio debet sumi cum discretione. Nam discretio, quæ ad prudentiam pertinet, est genitrix et custos et moderatrix virtutum, ut ait D. Thom. (III. Sent. dist. 33. q. 2. art. 5.) Hinc Paulus (1. ad Corinth. 14.). dixit : « *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis* ». Si
386. enim desit ordo in rebus, deficiet honestas in
387. opere. Hinc fit, quod ut meditatio imaginaria debite exerceatur, aliquæ circumstantiæ debeant
388. in exercitio illius observari. Primo, quod actus non sint nimis frequentes nec prolongati, quia assiduus labor debilitat naturam, et hoc intelligendum est non solum de actibus apprehensionis, sed etiam de affectivis cum violentia, præsertim appetitus sensitivi. Unde meditatio imaginaria solum debet sumi ut gradus ad ascendendum ad contemplationem simplicem boni ultimi universalis, quod est Deus, ut infra dicemus. Secunda circumstantia est, quod isti actus exerceantur cum desiderio, juxta illud Psalmistæ : « *Desiderium cordis ejus tribuisti ei* ». (Psalm. 20, 3.). Tertia circumstantia est, quod fiant eum devotione. Devotio namque non exercitatur viribus corporalibus, sed humilitate et suavitate. Et hoc debet homo observare in actibus activis, ne noceant saluti.

SECTIO IX

Ex discursu imaginario nos debemus transferre ad ponderationem rei meditatæ.

SUMMARIUM

389. In repræsentatione humana et invenitur repræsentatio rerum per imagines et ponderatio rei repræsentatæ. 390. Ponderatio rei repræsentatæ est principale et perfectivum cognitionis. 391. Ponitur discrimen, quod datur inter rationem speculativam et practicam. 392. Duplex datur ponderatio. 393. Una pertinet ad contemplationem, quæ ibi explicatur. 394. Secunda ponderatio fit circa meditiationem, quæ etiam explicatur. 395. Licet ponderatio circa meditationem sit perfectiva cognitionis, non debet anima sistere in illa. 396. Debet anima ordinare suum affectum et desiderium ad Deum.

Dico 1. In repræsentatione humana duo inve- 389.
niuntur, et repræsentatio rerum per imagines et
judicium et ponderatio rei repræsentatæ, et hoc 390.
est principale et perfectivum cognitionis. Hoc 391.
tamen est discrimen inter rationem speculativam et practicam,quod ratio speculativa est solum apprehensiva rerum, ratio vero practica non solum est apprehensiva, sed etiam causativa. Unde ad rationem speculativam solum pertinet inquirere rationes, quæ debent deservire meditationi, ad practicam vero perficere cognitionem cum judicio et pondere ad movendam voluntatem Ut igitur meditatio moveat voluntatem, quod est finis, ad quem oratio ordinatur, est necessarium, quod discursus inquisitionis cesset et quietem quamdam habeat, et cessando ratio speculativa communicet animæ substantiam speculationis Et hoc fit, quan-

do cessat discursus et intellectus est in quiete et in uniformitate notitiæ acquisitæ per discursum, ut fiat practicum judicium et ponderatio.

392. *Dico 2.* Duplex datur ponderatio : una, quæ
393. pertinet ad contemplationem et hæc exercetur circa ea, quæ proponuntur per fidem, et ad istam ponderationem se habet intellectus veluti passive, quia ad illam recipit donum sapientiæ, quo dono illustratus intellectus penetrat veritates per fidem propositas in quodam simplicissimo actu, et secundo etiam simplicissimo actu format judicium et ponderationem illarum, et de hac ponderatione
394. sectione sequente dicemus. Alia est ponderatio, quæ fit circa meditationem et ista fit circa res repræsentatas in imaginibus sensibilibus et virtute luminis naturalis, et in ista ponderatione se habet intellectus active, et hæc est veluti quædam ruminatio, nam ut ait author Imperfecti (*homil. 41. in Matth.) : « *Cum audimus verbum, necesse est, ipsum meditari in ore senius et quasi quibusdam dentibus, id est quasi tractatibus molere et videre, quid est hoc, quod dicit, aut unde dicit, aut propter quam rem dicit.* » Nam quemadmodum qualemcumque cibum, nisi masticaverimus dentibus, non sentimus saporem ejus, ita et verbum, quod audimus, nisi masticaverimus ipsum tractantes, in nobis non possumus intelligere virtutem verbi illius. Hoc fit mediante prædicta ponderatione.

395. *Dico 3.* Quamvis ista ponderatio circa meditationem sit perfectiva cognitionis, non debet anima sistere in illa. Nam si sisteret in illa, sequeretur,

quod solum secum loqueretur, et non cum Deo, ut notavit D. Thom. (1. p. q. 107. art. 1). Sed 396.
debet anima ordinare suum desiderium et conceptum ad Deum, et in quadam quiete offerre illi suum affectum et desiderium. Et in hoc sensu dixit S. Bernardus (de scala claustrali, c. 7.), quod ut meditatio sit fructuosa, debet eam comitari devotio orationis. Unde Sancti isti non vocant meditationem orationem. Si sumatur meditatio secundum se, et prout ponderatio, anima desit secum loqui et loquitur cum Deo et operatur actus intellectus et voluntatis. Et ideo N. M. S. Theresia (in vita sua cap. 13. in fine) ait : « *Non se defatiget, semper hæc omnia inquirendo, sed cum Christo ibi maneat, intellectum in silentio detinendo. Occupet igitur ipsum, si possit, considerando, quod a Christo videatur, apud eum maneat, aliquid ab eo petat, humiliet se coram ipso, cum ipso delicietur, memineritque, se dignum non esse, qui apud ipsum maneat.* »

SECTIO X

Aliquando debet homo transire a ponderatione quieta rei meditatæ ad puritatem intellectivam comtemplationis.

SUMMARIUM

397. Proficientes debent transire a ponderatione quieta ad puritatem intellectivam. 398. Ad hoc requiritur, ut cesset nostra operatio activa. 399. Duplex datur quies, quæ ibi explicatur. 400. Post-

quam homo quievit in ponderatione rei meditatæ, debet aliquantulum vacare mente Deo et quiescere in simplici contemplatione divinitatis.

397. *Dico. 1.* Postquam anima fecit judicium et ponderationem de rebus meditatis, et actus intellectus et voluntatis direxit ad Deum modo sectione antecedenti dicto, debet disponi, ut lux divina imprimat melius judicium. Et sicut incipientes transeunt a discursu ad ponderationem quietam, ita proficientes debent transire a ponderatione quieta ad puritatem intellectivam. Ad hoc
398. autem requiritur, ut cesset nostra operatio activa
399. et quiescat. Est autem duplex quies, una in ponderatione rei meditatæ, altera in contemplatione simplici divinitatis. Prima est incipientium et fit cessando ab exterioribus et passionibus. Secunda est proficientium et fit cessando a ponderatione rei meditatæ.

400. *Dico 2.* Postquam homo quievit in ponderatione rei meditatæ, debet aliquantulum vacare mente Deo et quiescere in simplici contemplatione divinitatis. Nam ut actus operationis activæ illustretur, debet denudari a repræsentationibus rerum sensibilium et materialium et cessare ab activis operationibus, præsentando se Deo in sola simplici cognitione et universali ipsius, et tunc forsan illuminabitur luce extraordinaria supernaturali juxta illud Ps. 35. : « *Et in lumine tuo videbimus lumen* ». Qui locus non solum intelligitur de lumine creato, scilicet de Christi humanitate, sed etiam de lumine divino, quo Deus lucet, et de lumine gratiæ, quo illuminat intellectum et ejus

operationes, et de donis supernaturalibus, quibus illuminantur operationes creaturæ rationalis tam intellectus quam voluntatis.

SECTIO XI

Mysteria humanitatis Christi sunt principalis materia, circa quam debet versari meditatio.

SUMMARIUM

401. Materia, circa quam exercitanda est nostra meditatio, sunt mysteria humanitatis Christi. 402. Probatur multiplici Sanctorum Patrum authoritate. 403. Probatur ratione. 404. Confirmatur primo et secundo. 405. Confirmatur tertio. 406. Confirmatur quarto.

Dico 1. Materia, circa quam convenientius exercitanda est nostra meditatio, sunt mysteria humanitatis Christi. Ita D. Bonaventura (*de mystica Theologia, c. 3. part. 1.), Dionysius (de divinis nominibus, c. 4, §. Omnibus, Migne, 122, 1134), S. Laurentius Justinianus (*de perfect. monastic. c. 8.), N. M. S. Theresia (mans. 6. c. 7.), ubi ait: « *Quid absurdius et magis noxium, ultro et de industria sequestrare nos velle ab unico bono et remedio nostro, sacratissima inquam Salvatoris nostri Jesu Christi humanitate ?... Nam Dominus ipse asserit et testatur, se viam esse et lucem, neque quemquam ad Patrem, nisi per se, venire posse.* » Ratio autem sumitur ex verbis N. M. S. Theresiæ. Nam noster intellectus indiget manuductione et adjutorio sensibili, quod ducatur ad Dei cognitionem, ut voluntas Deum amet super omnia. Sed hæc manuductio nulla potest

401. 402. 403.

dari melior, quam humanitas Christi Domini, tam ad cognitionem, quam ad amorem. Ergo mysteria humanitatis Christi debent esse materia, circa quam exerceatur nostra meditatio.

404. *Confirmatur primo*, quia licet ea, quæ sunt divinitatis sint secundum se maxime excitantia dilectionem et devotionem, quia Deus est super omnia diligendus, tamen ex debilitate mentis humanæ est, quod sicut ad cognitionem divinorum indiget homo manuductione, ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota debemus adduci. Sed ad hoc præcipuum est humanitas Christi secundum illud, quod canit Ecclesia : « *Ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.* » Ergo ea, quæ pertinent ad Christi humanitatem, a nobis adhibenda sunt per modum cujusdam manuductionis ad excitandam devotionem et divinitatis amorem. *Confirmatur secundo*, quia quanto magis aliquid appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii, ut notavit Dionysius (c. 4. de cœlesti Hierarchia). Sed Christus est principium gratiæ secundum divinitatem authoritative, et secundum humanitatem instrumentaliter, ut patet ex illo Joan. 1. : « *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* » Ergo qui magis accedit ad primum principium nostræ salutis, quæ est passio Christi, per meditationem, recipit majorem fructum, majorem perfectionem et majorem abundantiam bonorum spiritualium.

405. *Confirmatur tertio*, quia Christus in cruce fuit exemplum omnis virtutis. Ergo nullius rei me-

ditatio potest esse magis proficua hominibus, quam meditatio mysteriorum passionis Christi. Consequentia est D. Gregorii*, qui ait : « *Si passio Christi ad memoriam revocetur, nihil a Deo durum est, quod æquanimiter non toleretur.* » Isaias enim dicit (cap. 40) : « *Current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.* » Et Paulus (ad Hebræos 12.) ait : « *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* » Antecedens vero probatur : Quia in cruce est obedientia ad Deum (Philipp. 2.) : « *Humiliavit semetipsum, factus obediens* ; » est pietas erga Parentes (Joan. 19.) : « *Mulier, ecce filius tuus*; » est patientia et humilitas in adversis (Psalm. 38.) : « *Obmutui, et humiliatus sum* ; » est finalis perseverantia, siquidem usque ad mortem perseveravit (Luc. 23.) : « *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.* » Ergo nulla meditatio salubrior potest dari hominibus, quam recogitatio mysteriorum passionis Christi.

406. *Confirmatur quarto.* Quia Christus ideo pro nobis passus est, ut nos redimeret et excitaret ad suum amorem. Ergo magna erit nota ingratitudinis, oblivisci illorum, quæ pro nobis passus est. Antecedens patet ex illo Apostoli (ad Ephesios 5.) : « *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis,* » et ex illo 1. Joan. 2 : « *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* » Consequentia vero liquet, quia non potest dari major ingratitudo, quam oblivisci illorum, quæ Christus pro nobis passus est. Unde

Christus positus in cruce per Isaiam dixit: « *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte,si est dolor sicut dolor meus.* » Ubi nota,quod solum provocat ad considerationem suorum dolorum transeuntes per viam, et quia magis hos vocat quam alios, quia isti solum transeunter videbant, non vero considerabant et meditabantur suos dolores. Si enim considerarent,dicerent cum centurione, qui ex adverso stabat videns, quia sic clamans exspirasset: « *Vere filius Dei erat iste*, » et glorificarent Deum, ut fecit omnis turba eorum, qui aderant ad spectaculum istud, percutientes pectora sua, ut ait Luc. 23. et Matth. 27.

SECTIO XII

Meditatio debet ordinari ad mortificationem passionum et imitationem virtutum Christi Domini.

SUMMARIUM

407. Cum quis incipit, tractare de oratione, debet simul tractare de mortificatione passionum. 408. Probatur primo ratione. 409. Probatur authoritate Nostræ Matris Sanctæ Theresiæ. 410. Probatur alia ratione. 411. Quamdiu homo non pervenit ad perfectionem in vita activa, patitur difficultatem in actibus virtutum moralium. 412. Ille, qui tractat de reformatione suarum passionum, debet attendere ad vitam et exempla Christi. 413. Debet se habere ut pictor, qui volens picturam imitari, attendit ad prototypum.

407. *Dico 1.* Eo ipso quod quis incipit, tractare de oratione, debet simul tractare de mortificatione passionum, ut ædificium spirituale habeat fixum fundamentum ; et ad mensuram profectus, quem

habuerit in mortificatione passionum, ita erit profectus in oratione et vita spirituali. Et ratio 408.
est, quia oratio mentalis est quædam visio spiritualis perfectissimorum et divinorum mysteriorum: ergo sicut ad bene videndum res corporales requiritur, quod oculi corporales sint puri et lucidi, sic ad videndum oculis animæ res divinas necesse est habere animam purissimam. Unde N. M. S. 409.
Theresia loquens de modo, quo anima in oratione Deo se uniat (Mansione 5, c. 2.) ait : « *Eja igitur, carissimæ, proprium amorem et voluntatem vestram omnemque erga quaslibet res terrenas affectum excutite et econtra pœnitentiæ, orationis, mortificationis, obedientiæ et quæcumque alia opera scitis, exercete* ». Et ratio est, quia virtus, 410.
quam mortificationem dicimus, applicans cæteras virtutes suis actibus, impedit actus contrariorum vitiorum, et radicans in anima habitus continuatione actuum virtutum purificat animam a vitiis. Et ideo D. Thom. (2. 2. q. 180. art. 2) dicit, quod quamvis virtutes morales non pertineant ad essentiam vitæ contemplativæ, cohibere tamen debent passiones et illarum vehementiam, ut non afferant animam ad res sensibiles et eam retrahant a rebus intellectualibus et sic impediant actum contemplationis, in quo consistit vita contemplativa.

Quorum omnium ratio est, quia quamdiu 411.
homo non pervenit ad perfectionem in via activa, patitur difficultatem in actibus virtutum moralium ac per consequens retrahitur ab studio contemplationis. E contra vero quando jam vita ac-

tiva perfecta est, operationes virtutum moralium in promptu habet et eis non impeditus libere contemplationi vacat. Ergo ne retrahatur ab studio contemplationis oportet, quod tota sollicitudine ad virtutes morales intendat ; juxta enim mensuram, quo magis vel minus perfectus fuerit in vita activa circa plura vel panciora occupatus, poterit magis vel minus attendere vitæ contemplativæ.

412. *Dico 2.* Regula, quam debet habere ille, qui tractat de reformatione suarum passionum, est, attendere ad vitam et exempla, quæ Dei filius nobis exhibuit in sua sacrata humanitate ; qui enim meditatur illud, quod dicit Christus (Joan. 13.) : « *Exemplum dedi vobis,ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* », et illud 1. Petri 2. : « *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* », non potest non currere ad perfectionem virtutum juxta illud Pauli (ad Hebr. 12.) : « *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen adspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum,qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta* ». Nam sicut ille, quod incepit, perfecit, et sicut ille propter propositum sibi gaudium sustinuit crucem, mortemque contempsit, ita et nos propter gaudium æternum, quod speramus, immo et propter gaudium placendi Deo, quem unice amamus, ad bona opera præstanda et ad labores et pressuras sustinenda festinabimus.

413. Debet igitur ille, qui vult ascendere ad perfec-

tionem,pictorem imitari,qui quando vult aliquam picturam imitari, primum, quod efficit, est, illius prototypum attente adspicere, facturam, colores et modum illius contemplari, ut postea illius figuram perfecte depingat. Sic ille, qui ad perfectionem aspirat, debet Christum aspicere et illius virtutes in anima sua imprimere,ita ut in interiori et exteriori eumdem prototypum Christum repræsentet cum eadem pulchritudine et odore, ita ut possit dicere cum Apostolo (2.Cor.15.) : « *Christi bonus odor sumus* ». Et quamvis hæc perfectio pertineat ad proficientes vel perfectos,cum minore perfectione pertinet etiam ad incipientes. Nam ut ait Dionysius (*de ecclesiastica Hierarchia,cap.3.): « *Incipientes debent instaurari a suis imperfectionibus, ut fiant participantes virtutum Christi, quas in ejus humanitate contemplati sint, cum quo participabunt scientiam perfectivam illorum, qui sunt illustrati et perfecti* ».

SECTIO XIII

Lux, quæ deservit meditationi naturali, ut perfecta sit, debet illustrari a supernaturali.

SUMMARIUM

414. Ut meditatio sit perfecta, debet illustrari a luce supernaturali. 415. Licet in meditatione potentiæ exerceant suas operationes, aliquando tamen debent cessare ab illis et dare locum Deo. 416. Probatur ratione. 417. Ponitur quædam confirmatio. 418. Confirmatur secundo ratione et sanctorum Patrum authoritate.

Dico 1. Ut meditatio sit perfecta, debet habere 414.

causam supernaturalem et illustrari ab ipsa, quod insinuavit Paulus (2. Corinth. 3.) : « *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra a meo est* ». Quod explicans D. Thomas* ait : « *In quolibet processu operis primo est assensus, qui fit cogitando, deinde collatio per verbum et postmodum impletio per opus* ». Unde fit, ut sic nec cogitare quis a se habeat, sed a Deo. Et ratio est, quia effectus proprius et immediatus nostræ meditationis oportet, quod proportionetur suæ causæ. Ergo si meditatio exerceatur solo lumine naturali, solum efficiet effectus naturales, quia effectus proportionatur suæ causæ, ut ait D. Thomas. Ergo ut meditatio sit perfecta, bebet habere causam supernaturalem et illustrari ab ipsa.

415. *Dico 2.* Licet necessarium sit, quod in meditatione præsertim incipientium potentiæ exerceant suas operationes activas, debent tamen cessare ab illis, et dare locum Deo, ut ipse operetur. Locutus est homo Deo, sed auditurus etiam est, quid loqua-
416. tur illi Deus. Ratio autem est quia licet verum sit, quod quando ratio naturalis illustratur lumine fidei, possit se extendere in suis meditationibus ad veritates supernaturales, impedit tamen aliam illustrationem ejusdem fidei in sua puritate et donorum infusorum, quæ ipsam comitantur. Nam ratio naturalis (etiam quando exercitatur in mysteriis fidei), quærit supernaturalia per objecta sensibilia, mediante luce naturali. Sed intellectus harum rerum similitudinibus occupatur et veluti obnubilatur, et pro tunc impedit, ne recipiat for-

mam supernaturalem puram et simplicem illuminationis divinæ. Ergo ut illuminationem divinam recipiat, quod fit mediante dono intellectus, necesse est, ut cesset ab operationibus activis, et audiat, quid loquatur ei Deus.

Confirmatur primo, quia nihil prodest homini 417.
videre per meditationem, quæ agenda sunt, nisi auxilio divino et Dei gratia ad ea obtinenda convalescat, sed dum occupatur operatione activa, non potest recipere Dei illuminationem,siquidem illa operatio est obstaculum divinæ illuminationi, ut ait D. Gregorius (Homil. 17. in Ezechielem.); et est veluti quædam obnubilatio intellectus, ut ait D. Thomas (de veritate, q. 12. art. 12.). Ergo ut homo hanc divinam illuminationem recipiat, necesse est, ut intellectus cesset a sua operatione et auscultetur, quid loquatur ei Deus. *Confirmatur secundo*, quia ut ait Jacob. 1. : « *Omne datum* 418.
optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum », sine quo nihil possumus facere, sed ipse in nobis facit opera, non tamen omnino sine nobis, *cooperatores enim Dei sumus*, sicut dicit Apostolus (2. ad. Corinth. 5) (*). Ergo ut homo hoc lumen recipiat, debet disponi. Sed hoc fit cessando ab operatione activa, exspectando, ut ei loquatur Deus. Ergo ut homo recipiat hanc Dei illuminationem, debet cessare a sua operatione et exspectare radium divinæ lucis et pluris æstimare id, quod Deus ei loquitur,

(*) 2. Cor. 5, 20: Pro Christo ergo legatione fungimur,tamquam Deo exhortante per nos.

quando anima quiescit a sua operatione activa, quam omne illud, quod sua operatione acquisivit. Nam allocutio divina meditationem humanam perficit et consummat, ut docet N. M. S. Theresia (super Cantica, c. 7. n. 4.) ubi ait : « *Cum anima hoc in statu versatur, semper operatur ; et Martha ac Maria pene junctim incedunt* » ; hoc est, quando homo in oratione operatur meditando ut Martha et exspectat illuminationem divinam cessando ab operatione, ut faciebat Maria sedens secus pedes Domini, tunc oratio est optima et perfecta, quod etiam ante docuerat Dionysius (cap. 1. de ecclesiastica Hierarchia), ubi ait : « *Bona naturalia perficiuntur per supernaturalia.* »

SECTIO XIV

In meditatione multoties aperiendum est ostium intellectus luci divinæ ad veram ponderationem rei meditatæ.

SUMMARIUM

419. Illis, qui in meditatione naturali se exercent, non est facta ulla promissio, quod a Deo illuminentur. 420 Si aliquis fecerit, quod in se est, ex misericordia Dei auxiliabitur et illuminabitur. 421. Intellectus in meditatione naturali habet duo impedimenta, quæ impediunt divinam illustrationem. 422. Explicantur prædicta impedimenta. 423. Ab his impedimentis debet intellectus denudari, ut illustretur lumine divino. 424. Qui ad statum contemplationis supernaturalis pervenire desiderat, debet cessare ab operatione activa et recolligere mentem ab exterioribus.

419. *Dico 1.* Licet illis, qui in meditatione naturali se exercent, nulla a Deo facta sit promissio, quod

a Deo illuminentur, ut possint aperire ostium luci divinæ, ex misericordia tamen Dei præsumen- 420.
dum est, quod si aliquis faciet, quod in se est ex viribus naturæ, auxiliabitur et illuminabitur a Deo ad aperiendum ostium luci divinæ. Nam ut ait D. Thomas, loquens de puero perveniente ad usum rationis, si convertatur ad bonum honestum, misericorditer illuminabitur ; id enim maxime decet bonitati divinæ, ut ait D. Anselmus (*in Monologio.). Si igitur homo se disponat auferendo impedimenta, quæ impediunt divinam illuminationem, absque dubio a Deo illustrabitur.

Dico 2. Intellectus in meditatione naturali ha- 421.
bet duo impedimenta, quæ impediunt illustra-
tionem divinam. Primum est forma et re- 422.
præsentatio rerum naturalium et sensibilium. Secundum est operatio activa intellectus. Ab his ergo duobus debet intellectus denudari, ut illustretur lumine divino, quia ista solum sunt dispositiones remotæ ad illustrationem. Unde D. Grego- 423.
rius (lib. 23. Moralium C. 13.) (*) loquendo de anima contemplativa dicit : « *Anima perfecte compuncta omnes imaginationes corporeas insolenter sibi obviantes discutit et cordis oculum figere in ipso radio incircumscriptæ lucis intendit. Has quippe figurarum corporalium species ad se intus ex infirmitate corporis traxit. Sed perfecte compuncta hoc sumpopere invigilat, ne, cum veritatem quærit, eam imaginatio circumscriptæ visionis il-*

(*) Ed. Migne, C. XX. N. 42.

ludat cunctasque sibi obriantes imagines respicit, » ut perfecte illustretur.

424 Et Dionysius Carthusianus (*de fonte luminis, cap. 9.) dicit : « *Ille, qui ad statum contemplationis supernaturalis pervenire desiderat, abstineat mentem suam ab exterioribus et a sensibilibus eam recolligat, ejus dispersiones et evagationes abjiciendo et cesset ab operatione activa, quæ sunt impedimenta contemplationis, et tunc Deus sublimis, qui sapientiæ dux est et princeps totius illuminationis, videns diligentiam hominis fidelem ac pium ejus conatum, manum applicabit ac corriget adjutricem, mentem per donum sapientiæ illustrando, prout Isaias* (58, 11.) *ait* : « *Requiem tibi dabit Dominus semper et implebits splendoribus animam tuam.* »

SECTIO XV.

Quomodo debeat conformari intellectus illustrationi per fidem, ut lux divina possit illustrare meditationem.

SUMMARIUM

425. Post meditationem sensibilem figurarum debemus nos conjungere Deo per fidem. 426. Quando conjungatur homo Deo per fidem, declaratur. 427. Ostenditur hæc virtus ratione. 428. Confirmatur primo.429. Confirmatur secundo.

425. *Dico.* Post meditationem sensibilem figurarum
426. debemus nos conjungere Deo per fidem. Tunc autem conjungimur Deo per fidem, quando intellectus per lumen fidei cognoscit ineffabilem Dei-

tatem et cessat ab omnibus operationibus activis naturalibus. Nam tunc vere disponitur ad divinam illuminationem, quia non habet formas naturales et cessat ab operatione activa naturali. Ita Dionysius (de divinis nominibus, c. 1.), D. Thomas et alii. Ratio autem est, quia mens nostra duo habet 427.
ad intelligibilia cognoscenda. Primo habet virtutem naturalem, per quam intelligere potest intelligibilia sibi proportionata ; secundo habet quamdam unitionem ad res divinas per gratiam, quæ excedit naturam mentis nostræ, per quam unitionem conjunguntur homines per fidem ad ea, quæ sunt super virtutem naturalem mentis nostræ. Ergo ut intelligamus divina secundum hanc unitionem, non debemus trahere divina ad ea, quæ sunt secundum nos, sed accommodare nos supra nos in Deum, abstrahendo nos ab omni activa operatione naturali, exspectando in illa quiete divinam illuminationem

Confirmatur. Quia in homine est duplex prin- 428.
cipium movens, unum interius, quod est ratio, et aliud exterius, quod est Deus. Sed omne, quod movetur, debet proportionari motori, ut ab eo moveatur. Ergo ut intellectus moveatur a Deo, debet ei proportionari. Sed ei non proportionatur nisi per fidem supernaturalem. Ergo ut homo moveatur a Deo illa motione divina debet disponi et ei proportionari per fidem cessando ab omni alia activa operatione naturali. *Confirma-* 429.
tur secundo. Quia sicut homo per naturalem inclinationem ordinatur ad finem naturalem, ita per virtutes supernaturales ordinatur ad finem su-

pernaturalem. Sed fides,quæ ordinat intellectum, est fundamentum totius vitæ spiritualis,per quam homo cognoscit, Deum esse summum bonum, sapientissimum, omnipotentem,æternum, incomprehensibilem. Ergo quando ita cognoscit Deum per fidem et unitur ipsi et cessat ab operationibus activis naturalibus, tunc vere disponitur ad divinas illuminationes.

Si tamen quæras, quomodo Deus illuminet intellectum, respondeo, illum illuminare, vel illum confortando, ut possit melius penetrare et ponderare veritates deductas ex meditatione naturali, vel illustrando species intelligibiles harum veritatum, quas deduxit ex repræsentationibus phantasiæ, ut clarius ei repræsententur. Et hoc modo, sicut antea anima erat mota a sua propria cognitione, postea fit mota ab operatione Dei. Ita N. P. Josephus a Jesu Maria (*lib. 1. de ascensu animæ ad Deum, c. 5.).

SECTIO XVI

Autores mystici cum proprietate vocant operationem passivam, quæ movetur ab illuminatione activa et ab influentia divina.

SUMMARIUM

430. Cum proprietate loquuntur autores mystici, quando dicunt, operationes animæ motas a Deo esse operationes passivas. 431. Probatur ratione. 432. Confirmatur. 433. Intellectus illustratus luce divina concurrit ad intellectionem illustratam ut causa principalis. 434. Intellectus, licet respectu lucis dicatur pati,

quando illustratur, non concurrit tamen ad suos actus ut pure motus. 435. Lux illa tantum se habet ut conditio ad operationem intellectus, et non ut tota ratio operandi.

Dico 1. Cum proprietate loquuntur Doctores 430.
mystici, quando dicunt, operationes animæ mo-
tas a Deo esse operationes passivas. Et ratio est, 431.
quia ut aliquis dicatur pati, sufficit, quod recipiat illud, ad quod erat in potentia. Sed noster intellectus est in potentia ad recipiendam illuminationem divinam. Ergo quando eam recipit, dicitur pati, et illius receptio dicitur passio. *Confirmatur.* 432.
Quia nomen passionis pro qualibet receptione accipitur, ut ait Philosophus (*3.de anima.). Unde intelligere est quoddam pati et in cognitione naturali intellectus possibilis patitur ex lumine intellectus agentis et intellectus respectu luminis gloriæ dicitur pati, quia movetur. Ergo quando noster intellectus luce divina illustratur, cum proprietate dicitur pati, quia a Deo movetur. Ita D. Thomas (2. 2. q. 171. art. 2. ad 1.) et cum eo Doctores mystici communiter.

Dico 2. Intellectus illustratus a luce divina, 433.
quando actu concurrit ad intellectionem illam illustratam, non concurrit instrumentaliter, sed concurrit ut causa principalis. Ratio est, quia ad rationem instrumenti non sufficit, quod aliquid per elevationem et virtutem superadditam operetur, sed ultra requiritur, ut instrumentum operetur ut pure motum ab alio, ita ut tota ratio operandi sit motio, non vero motio se habeat ut conditio requisita. Secundo requiritur, quod actus seu effectus procedens ab instrumento non

assimiletur ipsi, sed agenti principali, cui deservit, sicut serra non producit serram, sed scamnum
434. simile ideæ artificis. Sed intellectus, quamvis in oratione illuminetur a Deo et respectu lucis dicatur pati, non concurrit tamen ad suos actus ut
435. pure motus ab alio, et lux illa tantum ad illius operationem se habet ut conditio et non ut tota ratio operandi, et actus seu effectus productus assimilatur ipsi, siquidem est vera intellectio. Ergo, licet homo recipiendo divina, puta gratiam et charitatem et dona supernaturalia se habeat passive in ordine ad illa et vere dicatur pati, tamen potentiæ respectu suorum actuum non se habent ut instrumentum, sed ut causæ principales, sicut intellectus respectu luminis gloriæ in visione beatifica.

SECTIO XVII

De exercitio practico trium graduum, quibus fructuosa meditatio debet ad Deum ascendere.

SUMMARIUM

436. In oratione dantur tres gradus, per quos ascendimus ad Deum. 437. In unoquoque gradu perficitur animæ operatio et magis appropinquat Deo. 438. Explicantur prædicti gradus. 439. Formatur discursus practicus circa prædictos gradus.

436. *Dico*. Dionysius (c. 1. et 5. de cœlesti hierarchia) ponit pro fundamento nostræ orationis, qua mediante ascendimus ad Deum, tres gra-
437. dus, et in unoquoque perfectionatur animæ operatio et magis appropinquat Deo : primus,

per discursum imaginarium figurarum : secun- 438.
dus per ponderationem rei figuratæ ; tertius, quando in quiete sine operatione activa attendit Deo et passive se habet ad illuminationem et influentiam divinam ; et eosdem gradus ponit D. Thomas (in 3. dist. 55. q. 1. art. 2. q. 3. et 2. 2. q. 180. art. 4). et D. Bonaventura (itinerar. ment. c. 1-3.).

Formemus modo discursum practicum. Primus 439.
gradus est meditatio per similitudines. Est igitur hæc meditatio, cum unum aliquod invenimus, ex quo aliud vel convenientiam vel proportionem cum eo habens, cognoscimus, et cum ex similitudine regis terreni regnum Christi æternum et quomodo eum sequi debemus, perscrutamur post discursum figurarum. Sequitur secundus gradus, qui est ponderatio rei meditatæ, quando scilicet rem, quam ad meditationem adducimus, ponderamus et trutina considerationis expandimus, ut si materia meditationis fuit passio Christi, quando relinquendo similitudines imaginarias convertimur ad similitudines intellectuales abstractas a materia sensibili, et ponderamus majestatem Christi Domini, ejus naturam, bonitatem et amorem, quem ostendit in nostra redemptione. Tertius gradus est, quando jam voluntatem sentimus excitatam et relinquimus hos duos modos, quibus nobis ipsis loquebamur, et convertimur ad Deum, ut ipse loquatur nobis juxta illud Prophetæ : « *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* » (Psalm. 84, 9.) mediis sanctis inspirationibus, quibus illumina-

tur anima a Deo, convertens meditationem in contemplationem, qui est finis ad quem omnis meditatio tendit.

SECTIO XVIII

Meditatio ut sit recta et conformis naturæ et vocationi Dei, debemus obedire Patri spirituali docto et experto.

SUMMARIUM

440. Gratia Dei non excludit ob nostram imbecillitatem virorum spiritualium regulas et actionum ordinem. 441. Primus magister, quem habere debemus, est Christus Dominus. 442. In secundo loco sunt Doctores. 443. Pater spiritualis non solum debet habere scientiam sed etiam experientiam divinorum. 444. Debent magistri spirituales invigilare ad cognoscendam complexionem filiorum spiritualium. 445. Viri spirituales non solum in fuga mali sed etiam in exercitatione debent obedire magistris.

440. *Dico 1*. Licet gratia Dei, quæ artifex est sanctitatis, ab humanis regulis et ab intentione ordinis non dependeat, eo tamen ipso, quod hominis imbecillitati se accommodat, virorum spiritualium regulas et actionum ordinem non excludit.

441. Primus igitur magister spiritualis, quem habere debemus, est Christus, juxta illud Psalm 84, 9. : « *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* » et Matth. 23 : « *Unus est enim Magister vester*. »

442. In secundo loco sunt Doctores, juxta illud Cant. 3. : « *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem.* » Vigiles autem sunt Doctores, qui civitatem, id est sanctam Ecclesiam et animam sanctam custodiunt et ab insidiis spiritualium hostium

ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

defendunt. Eamdem doctrinam tenent omnes sancti Patres, ut B. Vincentius Ferreira (Tract. de vita spirituali), D. Thomas (In Cantic. 3.) S. Bernardus. (Serm. 77. in Cantica), N. M. S. Theresia (in vita sua, c. 13.),ubi ait : « *Incipiens monendus est, ut, e qua materia magis proficit, eam notet. Ad hoc autem opus imprimis est, directorem et magistrum bene hac in re versatum habere.* »

Dico 2. Pater spiritualis non solum debet 443.
habere scientiam, sed experientiam divinorum. Nam si non habuerit experientiam, ei succedet illud, quod ait Christus (Matth. 15.) : « *Cæcus autem, si cœcæ ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* » Unde D. Laurentius Justinianus* ait : « *Eligatur ille, qui discretione sit providus et experientia probatus.* » Et D. Paulus (ad Galat 6.) ait : « *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Et N. M. S. Theresia (in vita sua, cap. 34.), loquens de necessitate magistri spiritualis, ait : « *Nisi experientiam habeat et maximam humilitatem, qua sibi persuadeat, se nihil hic intelligere,... et ipse valde parum lucrabitur, et etiam faciet, ut is, quem dirigendum habet, minus proficiat.* Et cap. 13. ejusdem vitæ suæ ait : « *Nisi enim experientiam habeat, graviter errare potest, et animam reget ac conducet, eam non intelligendo, neve etiam permittendo, ut se ipsa intelligat.* » Et ibi subjungit : « *Incidi aliquando in animas, quæ, quod qui eas dirigebat, experientia careret, ita angustiatæ et afflictæ*

erant, ut me ipsarum misereret. Idem ait D. Thomas (super cap. 6. ad Galat.) et alii communiter Doctores.

444. *Dico 3.* Debent magistri spirituales invigilare ad cognoscendam complexionem filiorum spiritualium. Ita Gerson (in Theologia mystica, industria 2.). Ratio autem est, quia animæ sequuntur corpus secundum inclinationem, sed ad has operationes vel illas maxime juvat inclinatio naturalis, sicut e contra inclinatio dissonans tantum obest, ut vix libertas animi, vix disciplinatio, vix conatus assuefactionis sufficiat minuere. Ergo primum, quod magistri spirituales debent attendere in animabus, quas dirigunt, sunt illarum naturales inclinationes. Aliqui enim sunt naturæ adeo inquietæ et variæ, ut ostium contemplationis velle non possint, sed molestissime ferunt ; alii vero naturæ adeo tranquillioris, ut ad contemplationem sint aptissimi ; et primi ad actionem, secundi ad contemplationem mittendi sunt.

445. *Dico 4.* Viri spirituales non solum in fuga mali, sed etiam in exercitatione debent obedire magistris. Unde sine consilio magistri non debent ascendere a meditatione ad contemplationem, sed omnia hæc debent ductu spirituali fieri. Magister vero spiritualis non debet velle dirigere animas secundum suam inclinationem, siquidem ipse non est artifex principalis hujus operis, sed Deus, qui sibi hoc officium reservat ; sed debet se accommodare operi, quod Deus in his animabus operatur ducendo eas per viam, per quam a Deo vocantur per inspirationes divinas. Debet etiam suis dis-

cipulis spatium orationis metiri, jejunia et vigilias moderari et flagella temperare ; quare discipuli magistro nesciente et multo minus contradicente aut prohibente nihil exerceant, ne diabolus illis aut minus sapientibus aut proprio amore obcæcatis illudat.

TRACTATUS III

DE VIA ILLUMINATIVA ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ, PROPRIA PROFICIENTIUM

DISPUTATIO I

De illuminatione activa partis cognoscitivæ per contemplationem.

SECTIO I

De proficientibus in via spirituali.

SUMMARIUM

1. Lux naturalis aliquando participat divinæ lucis splendores. 2. Qui ad vitam illuminativam volunt ascendere, debent abstrahere intellectum a figuris et similitudinibus sensibilibus. 3. Figuræ et similitudines sensibiles sunt, quæ impediunt divinam illuminationem.

Dico 1. Usque nunc de rebus pertinentibus ad viam purgativam et ad incipientes in vita contemplativa et in statu meditationis locuti sumus. Nunc agendum nobis est de rebus pertinentibus ad viam illuminativam de statu scilicet eorum, qui proficiunt in statu contemplationis. Nam licet in primo Tractatu aliqua attigerimus de contemplatione, id transeunter fuit, et quatenus necessarium fuit, ut meditatio esset proficua, et ut lux naturalis, in qua incipientes exercitantur, participarent lucis 1.

divinæ splendores, quæ illam illustrarent. Ita etiam de incipientibus docet Dionysius (de cœlesti Hierarchia, cap. 3. § 3.), ubi ait : « *Oportet igitur (ut arbitror) eos qui purgantur, puros effici omnino atque omni dissimulitudinis commistione liberari*».

2. *Dico 2.* Qui ad vitam illuminativam volunt ascendere, debent se reducere ad Deum, abstrahendo intellectum a figuris et similitudinibus sensibilibus. Ita docet Dionysius loc. cit., ubi ait : « *Eos vero qui illuminantur, divino lumine repleri (oportet) ad contemplativum statum atque virtutem castissimis mentis oculis evehendos*», hoc est oculis puris a figuris et similitudinibus sensibilibus.

3. Hæc enim sunt, quæ impediunt divinam illuminationem, ut explicat D. Thomas (in Dionysium, de divinis nominibus, cap. 1. lect. 1.)

SECTIO II

Quid sit contemplatio in communi ?

SUMMARIUM

4. Contemplatio est simplex intuitus veritatis. 5. Declaratur hæc definitio. 6. Hæc definitio convenit contemplationi generaliter sumptæ. 7. Quamvis unico actu vita contemplativa perficiatur, variis tamen animi operibus homines ad eam ascendunt.

4. *Dico 1.* Contemplatio est simplex intuitus veritatis. Ita D. Thomas (2.2. q. 180. art. 3.). Dici-

5. tur intuitus, et non additur intellectualis, quia satis ex se constat, contemplationem veritatis non esse materialem oculorum intuitum. Veritas namque objectum est intellectus et non oculorum. Di-

citur, quod ille intuitus sit simplex ad differentiam aliorum actuum intellectus, qui, si sunt intuitus simplices, non sunt intuitus veritatis in se ipsa perfectæ, ut contingit in prima mentis operatione, in qua non est perfecta veritas, quasi in cognoscente. Si vero sunt intuitus veritatis, non sunt simplices intuitus, ut contingit tam in secunda quam in tertia mentis operatione, scilicet in compositione, divisione et intellectione, in quibus est meditatio. Prædictæ namque operationes non sunt simplices actus veritatis perfectæ et cognitæ. Et sic per hanc definitionem adæquate sumptam perfectissime declaratur et ab omnibus aliis actibus intellectus distinguitur. Convenit autem hæc definitio con- 6.
templationi generaliter sumptæ, scilicet tam christianorum quam Philosophorum, tam acquisitæ quam infusæ, tam naturali quam supernaturali, de quibus omnibus infra sigillatim dicemus.

Dico 2. Quamvis unico actu vita contemplativa 7.
perficiatur, variis tamen animi operibus ad eam homines ascendunt, ut auditione, lectione, oratione meditatione, consideratione, cogitatione, supposita differentia, quæ inter hominem et Angelum invenitur, quod Angelus simplici appprehensione veritatem intuetur, homo autem quodam processu ex multis pertingit ad intuitum simplicis veritatis. Ex quo principio concluditur, quod vita contemplativa unum quidem actum habet, in quo formaliter perficitur, scilicet contemplationem veritatis, a quo habet unitatem ; habet tamen multos actus, quibus pervenit ad hunc actum finalem, quorum quidam pertinent ad acceptatio-

nem principiorum, ex quibus procedit ad contemplationem veritatis. Alii autem pertinent ad deductionem principiorum in veritatem ejus, cujus cognitio inquiritur. Ultimus autem contemplativus actus est ipsa contemplatio veritatis. Et quamvis vita contemplativa proprie consistat in contemplatione Dei, ad eam tamen movet charitas, in quantum aliquis ex charitate ad Dei contemplationem excitatur.

SECTIO III

Quænam dispositiones in subjecto requirantur ad vitam contemplativam?

SUMMARIUM

8. Aliquæ dispositiones requiruntur in subjecto ad vitam contemplativam. Prima dispositio est cognitio saltem confusa et generalis ipsius. 9. Secunda est animus fortis. 10. Tertia dispositio est, quod, qui ad vitam contemplativam aggreditur, jam appetitum mortificaverit et tam partem cognoscitivam omni notitia inutili, quam partem affectivam omni deordinato purgaverit affectu. 11. Quarta dispositio est, quod vir contemplativus virtutes morales acquisierit et se earum exercitio semper occupet. 12. Quinta dispositio est continua mortificatio et austeritas vitæ. 13. Sexta dispositio est silentium. 14. Ad facile contemplationem acquirendam requiritur, ut qui ad eam aspirat, studio comparandæ præsentiæ Dei sedulo vacet.

8. *Dico 1.* Aliquæ dispositiones requiruntur in subjecto ad vitam contemplativam. Prima est *cognitio saltem confusa et generalis ipsius.* Ita D. Thomas (2. 2. q. 180. art. 3.). Et ratio est, quia nihil volitum, quin præcognitum. Ergo ut quis libenter aggrediatur contemplationem, debet

agnoscere contemplationis naturam, ejus proprietates et effectus mirabiles, ut media ad eam proportionata possit asssumere. Tum quia cognita ejus excellentia, utilitate et necessitate difficultates in ejus assecutione passim occurentes fortiter superabit. Natura namque nostra corrupta et ad bonum sensibile suo pondere declinans virtutis austeritate deterretur et vitæ contemplativæ difficultates horret, nisi multiplicatis rationibus convincatur.

Dico 2. Secunda dispositio est *animus fortis.* 9. Ita D. Thomas (2.2. q. 180. art. 7.). Et ratio est, quia cum hæc vita sit admodum secura, et per eam breviter ad perfectionem accedatur, in ea multæ dæmonum tentationes occurrunt, multa pericula formidantur, multi labores tolerantur, siquidem dæmones incipientes ab ea deterrere non desistunt, et ideo Job (7,1.) dixit : « *Militia est vita hominis super terram.* » Hanc dispositionem experta N.M.S. Theresia requirit. Sæpe namque in suis libris repetit, necessarium esse animum fortem ei, qui vitam contemplativam exercet. Plus enim laborat diabolus, ut similem ab incepta via deterreat, aut decipiat, et plus gaudet de ejus ruina, quam si mille alios decipiendo perdat. Siquidem quando unus talis misere cadit, alii timore correpti viam virtutis et contemplationis derelinquunt quasi periculosam et noxiam.

Dico 3. Tertia dispositio est, quod qui ad vi- 10. tam contemplativam aggreditur, jam *appetitum mortificaverit*, et tam partem cognoscitivam omni notitia inutili, quam partem affectivam omni deor-

dinato purgavarit affectu. Ita D. Thomas (2.2.q.180. art. 2.). Et ratio est, quia ut homo per contemplationem Deo suaviter adhæreat, oportet, quod prius in vita purgativa præcesserit totalis exclusio cujuscumque notitiæ, quæ non est Dei, vel ad Deum ordinata. Et insuper requiritur, quod facta fuerit omnimoda peccatorum evacuatio, completa vitiorum eradicatio et perfecta passionum moderatio per rigorosam appetitus mortificationem, quæ semper debet perdurare, ut statim dicemus.

11. *Dico 4.* Quarta dispositio est, quod vir contemplativus *virtutes morales acquisierit* et se earum exercitio semper occupet. Ita D. Thomas (2. 2. q. 180. art. 2.). Et ratio est, quia virtutes morales, licet essentialiter non pertineant ad vitam contemplativam, cum finis vitæ contemplativæ tantum sit consideratio veritatis, ad quam considerationem virtutes morales parvam potestatem habent, pertinent tamen dispositive ad vitam contemplativam, quatenus virtutes morales impediunt vehementiam passionum et sedant exteriorum occupationum tumultus, qui perturbant et impediunt actus contemplationis, in quo essentialiter consistit vita contemplativa. Adverte tamen, quod ad hanc dispositionem non sufficiunt virtutes per se infusæ, quia licet in se perfectiores sint acquisitis, non tamen habent æqualem ad moderandas passiones efficaciam. Nam acquisitæ per proprios actus, quibus fuerunt per continuationem acquisitæ, appetitum circa passiones melius refrenant.

12. *Dico 5.* Quinta dispositio est *continua mortificatio et austeritas vitæ*, tam in victu quam in ves-

titu. Unde contemplatio et mortificatio quasi duæ sunt sorores se mutuo comitantes. Experientia enim constat, quod nullus vere est contemplativus, qui rigidam non colat mortificationem, nec ullus rigidam colit mortificationem, qui se contemplationi exercendæ dispositum non censeat. Cujus ratio est, quia pars superior non est sui perfecte compos ac divinis mysteriis contemplandis libera, nisi partem inferiorem sibi perfecte subjectam habeat. Sed hoc non fit nisi media mortificatione appetituum et passionum Ergo hæc mortificatio optima dispositio est ad contemplationem.

Dico 6. Sexta dispositio est *silentium et recessus*. Et ratio est, quia difficile potest anima se ipsam interius colligere, si se turbis hominum miscens negotiis sæcularibus implicet. Sed ad contemplationem interna collectio mentis necessario requiritur, ut sic ab omnibus aliis libera soli Deo contemplando vacet. Ergo silentium et recessus ab hominibus est optima dispositio ad contemplationem. Hinc Christus ad nostrum exemplum quoties volebat contemplationi vacare, recedebat in cacumina montium et turbas dimittebat et sæpe a discipulis recedebat, ut fecit in horto Gethsemani, quod non ex necessitate, sed ad exemplum nostrum faciebat. 13.

Dico 7. Suppositis his dispositionibus ad facile ac breviter acquirendam contemplationem opus est, ut qui ad eam aspirat, studio comparandæ *præsentiæ Dei* sedulo vacet quibusdam adhibitis exterioribus signis, quæ ad hujusmodi considerationem in die sæpius habendam excitent, ali- 14.

quando etiam jaculatoriis orationibus Dominum præsentem mentaliter salutet et amplectatur. Hæc enim præsentia Dei teste experientia taliter hominem colligit, ut noverim multos religiosos in nostra religione, qui mediante illa facillime ad intimam contemplationem et Dei unionem ascenderint.

SECTIO IV

De proprietatibus et effectibus contemplationis.

SUMMARIUM

15. Prima proprietas contemplationis est, quod sit diuturna tam ex parte objecti quam subjecti simpliciter loquendo. 16. Secunda proprietas est, quod causet homini maximam delectationem. 17. Primus effectus contemplationis est pax et tranquillitas animæ. 18. Secundus effectus est contemptus temporalium. 19. Tertius effectus est desiderium æternorum. 20. Quartus effectus est tolerantia laborum. 21. Quintus est libertas spiritus. 22. Sextus est mira suavitas, qua viri contemplativis fruuntur. 23. Septimus effectus est amor Dei. 24. Octavus est beatitudo inchoata.

15. *Dico 1.* Prima proprietas contemplationis est, quod sit *diuturna* tam ex parte objecti quam ex parte subjecti simpliciter loquendo. Ex parte objecti, quia versatur circa incommutabilia. Objectum enim contemplationis sunt virtutes divinæ. Ex parte vero subjecti, quia convenit homini secundum actionem incorruptibilis partis animæ, scilicet secundum intellectum. Unde post hanc mortalem vitam perseverat, immo perficitur, ut ait D. Gregorius (homil. 14. in Ezechielem). Verum quidem est, quod contemplatio in suo summo non potest diu durare pro hoc statu mortalis

vitæ, quia præsentis vitæ necessitates mentem inquietant et ab intimo sui recessu ad exteriora revocant. Unde ad summum potest durare per horam in suo perfecto actu, ut notavit Dionysius (cap.3. de cœlesti Hierarchia), bene tamen quoad alios actus.

Dico 2. Secunda proprietas contemplationis est, 16.
quod causet homini *maximam delectationem*. Ita D. Thomas (2.2. q. 180. art.7.). Ratio est, quia delectatio spiritualis summe excedit omnem delectationem carnalem. Sed contemplatio Dei maximam affert homini delectationem spiritualem tum ex parte sui,tum ex parte objecti,tum ratione actus dilectionis Dei eam comitantis. Ergo contemplatio maximam affert homini delectationem. Major est certa, minor probatur. Quia contemplatio ratione sui est operatio conveniens homini secundum propriam ipsius naturam rationalem. Sed operatio naturalis valde est delectabilis : ergo. Ex parte vero objecti etiam constat, quia objectum contemplationis est Deus. Ex parte vero actus dilectionis contemplationem comitantis etiam liquet, quia dilectio magnam diligenti suavitatem affert, præcipue si est dilectio Dei, juxta illud : « *O quam suavis es, Domine, diligentibus te !* » (*) Ergo delectatio maxima est proprietas contemplationis.

Dico 3. Plures habet contemplatio effectus. 17.
Primus est *pax et tranquillitas animæ*. Ita D. Thomas (2. 2. q. 180. art. 2. ad 2.), juxta

(*) « *O quam suavis est Domine spiritus tuus in omnibus !* » (Sap. 12, 1.)

illud Psalmi 147 : « *Qui posuit fines tuos pacem.* »
18. Secundus effectus contemplationis est *contemptus temporalium.* Qui enim contemplationis suavitate fruitur, mentem ab omnibus temporalibus bonis,
19. tamquam inferioribus et indignis avertit. Tertius contemplationis effectus est *desiderium æternorum*, ut habetur Eccle. 24 : « *Qui edunt*
20. *me, adhuc esurient.* » Quartus effectus est mira *laborum et omnium afflictionum hujus vitæ tolerantia.* » Qui enim per contemplationem novit, hæc omnia brevi fore transitura, et generosi ac fortis esse animi, hæc patienter tolerare. vix eorum occursu movetur. Sed hunc effectum principaliter habet contemplatio christiana, quæ non solum percipit, hæc breviter transitura, sed etiam novit, esse media ad æternam beatitudinem
21. consequendam : ergo. Quintus effectus est *libertas spiritus.* Cum enim per contemplationem homo super omnia temporalia sublimetur, ab
22. earum captivitate liberatur. Sextus effectus est *mira suavitas*, qua viri contemplativi perfruun-
23. tur. Septimus effectus est *amor Dei* juxta condi-
24. tionem contemplationis ipsius. Octavus est *beatitudo,* quæ inchoatur in hac vita et complebitur in patria.

SECTIO V

Contemplatio dividitur in eam, quæ est catholicorum, et in eam, quæ est Philosophorum gentilium.

SUMMARIUM

25. In quo differat contemplatio fidelium a contemplatione gentilium, explicatur. 26. In quo conveniant hæ duæ contemplatio-

nes, exponitur. 27. Hæ duæ contemplationes conveniunt etiam in medio contemplationis. 28 Differunt hæ duæ contemplationes tum in fine, tum in aliis annexis in principio physice movente. 29. Differunt etiam in pluribus aliis, quæ ibi explicantur.

Dico 1. Contemplatio fidelium in hoc differt a contemplatione gentilium, quia contemplatio Philosophorum est propter perfectionem contemplantis et ideo sistit in intellectu, et finis eorum est cognitio intellectus. Contemplatio vero Catholicorum est propter Dei amorem. Idcirco non habet pro ultimo fine cognitionem intellectus, sed transit ad effectum per amorem. Unde licet vita contemplativa essentialiter in operatione intellectus consistat, quæ est Dei contemplatio, principium tamen habet in affectu in quantum aliquis ex charitate ad Dei contemplationem excitatur, ut ait D. Thomas (2. 2. q. 180. art. 1.) et D. Gregorius (homil. 14. in Ezechiel). Ordinatur vero ad dilectionem Dei. Nam ideo quis Deum contemplatur, ut majorem ipsius Dei contemplati concipiat amorem. Habet etiam concomitantem delectationem, quia unusquisque delectatur, cum adeptus fuerit id, quod amat. 25.

Conveniunt igitur hæ duæ species contemplationis ex parte objecti, quia tam philosophus, quam fidelis in sua contemplatione Deum speculatur, non tamen æqualiter. Nam fideles Deum præcipue ut objectum principale contemplantur ac deinde ad ejus opera, effectus ac promissa contemplanda descendunt ; gentiles autem philosophi ad omnia generaliter contemplanda se 26.

totos occupabant et solum aliqui sapientiores in Dei contemplatione versabantur, ut fuit Socrates, Plato, Aristoteles et Pythagoras ; ceteri vero solum veritates creatas contemplabantur et Deum ipsum ignorabant juxta illud Sapientiæ 13.: « *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex.* »

27. Conveniunt etiam aliqualiter in medio contemplationis, quia tam fideles quam pholosophi ex consideratione creaturarum ad Dei contemplationem pervenerunt, juxta illud Ps. 18.: « *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* » Sed in hoc differunt, quod philosophi ex solis creaturis cognitionem Dei colligebant, et cum solo lumine rationis ducti procederent, difficulter, raro et cum errorum admistione divinas aliquas veritates inveniebant. Fideles autem non tantum ex creaturis, sed etiam ex sacris literis per Dei revelationem ipsas et alias multas colligunt veritates simpliciter supernaturales, quales sunt mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis et alias veritates catholicæ fidei.

28. Differunt etiam tum in principio, tum in fine, tum in aliis annexis. In principio physice movente, quia contemplatio fidelium incipit a vero puroque bonitatis divinæ amore, ad quem augendum et conservandum etiam terminatur. Contemplatio vero philosophorum incipiebat a superbia,

nec eis revelavit Deus mysteria gratiæ. In fine vero differunt, quia contemplatio philosophorum habebat pro fine vanam curiositatem, unde tantum fuit speculativa. Contemplatio vero fidelium non appetitur propter se ipsam tantum, sed propter charitatis et cæterarum virtutum exercitium et augmentum. Unde simul est speculativa et practica, essentialiter quidem et formaliter speculativa, virtualiter vero practica, quasi dirigens ad opera virtutum.

Differunt etiam in pluribus aliis. Nam con- 29.
templatio fidelium habet mirabiles effectus supra explicatos, quos non habet contemplatio gentilium. Deinde contemplatio fidelium supponit altissimam fidei divinæ cognitionem et in ea fundatur. Supponit etiam spem æternæ beatitudinis. Unde hæc contemplatio manet in æternum, est enim visionis Dei participatio, sicut fides est participatio luminis gloriæ ; propterea est beatitudo hic inchoata, in cœlis perficienda. Deinde philosophi in sola contemplatione auctoris naturæ versabantur, contemplantes solum in eo perfectiones, quæ in creaturis relucebant. Catholici vero non solum eas perfectiones creatas in Deo contemplantur, sed etiam alias divinas perfectiones, ut Deum esse auctorem gratiæ, ejus sapientiam, misericordiam, justitiam, omnipotentiam cæterasque ejus perfectiones. Dimissa igitur vana philosophorum contemplatione accedamus ad amplius explicandam veram et piam fidelium contemplationem, quæ etiam multiplex est et multis modis solet exerceri.

SECTIO VI

Dividitur contemplatio fidelium in acquisitam et infusam.

SUMMARIUM

30. Contemplatio fidelium dividitur in acquisitam et infusam. 31. Acquisita est naturalis, infusa est supernaturalis. 32. Acquisita est, quæ industria et exercitatione propria cum operatione gratiæ acquiritur. 33. Infusa est, quæ sola gratia sive inspiratione divina promanat. 34. Ponitur ratio hujus divisionis et explicatur. 35. In contemplatione infusa mens humana angelico modo se habet.

30. *Dico 1.* Contemplatio fidelium, quæ fidem præsupponit, dividitur in duas species, scilicet in
31. acquisitam et infusam. Illa est naturalis, ista supernaturalis. Sicut enim virtus est genus ad virtutem acquisitam et infusam, ita etiam contemplatio Christiana non immerito in acquisitam et
32. infusam distribuitur. Acquisitam eam nuncupamus, quam industria et exercitatione propria, non tamen sine divina operatione et gratia acquirimus;
33. infusam vero, quæ ex sola gratia sive inspiratione divina promanat et quam Deus in nobis sine nobis operatur, ut ex Augustino docet D. Thomas.
34. Ratio autem hujus divisionis est, quia licet contemplatio acquisita supponat fidem ut illius fundamentum et alias virtutes supernaturales, quia tamen ratio humana etiam virtutibus theologicis informata humano modo movetur, nempe per discursum ac propria industria innixa, quamvis omnino supernaturaliter et in ordine ad finem supernaturalem moveatur; tamen quantum ad

nostrum attinet propositum, non dicitur contemplatio supernaturalis et infusa, quia non sufficit ea motio rationis virtutibus infusis adhuc adjuncta ad hoc ut supra modum humanum et divino modo quis dicatur operari, nisi desuper adsit instinctus et motio Spiritus Sancti, ut accidit in contemplatione infusa, quæ procedit ab aliquo supernaturali lumine, puta intellectus vel sapientiæ, quæ sunt dona Spiritus Sancti, vel ex alio excellentiori, ut infra dicetur. Operatio enim Spiritus Sancti, quæ mediis donis contingit, ita est divina et supernaturalis, ut humana ratio etiam gratia et charitate prædita ad eam pertingere non valeat Modus enim operandi donorum diversus est a modo operandi, etiam virtutum supernaturalium. Virtutes enim infusæ modo humano operantur, dona vero supra modum humanum, ut ait D. Thomas (3. sent. dist. 34. q. 1. art. 2.) Unde in hac contemplatione infusa mens humana 35. angelico modo se habet, veritatem conspiciens simplici apprehensione et intuitu sine rationis discursu. Cum enim ipsa creatrix sapientia, cujus potestas est infinita, veritatem docet, nulla est in addiscendo mora, nec opus est rationis discursu.

SECTIO VII

Quid sit contemplatio acquisita?

SUMMARIUM

36. Ponitur definitio contemplationis acquisitæ. 37. Explicatur prædicta definitio. 38. Actus contemplationis acquisitæ et christianæ ut plurimum est actus elicitus a virtute fidei vel deductus ex prin-

Dei amore promanans tamquam causa ad ipsum perfectius amandum quasi aureo circulo facto re-
43. vertitur. Conveniunt etiam partim in medio, quia tam contemplatio acquisita, quam infusa tum in creaturis, tum in sacris literis prædictas veritates
44. intuetur. Sed in objecto et in medio etiam plurimum differunt, quia contemplatio infusa præter has virtutes in creaturis relucentes plures alias attingit.

45. *Dico 2.* Hæ duæ contemplationes differunt primo ex parte principii. Nam contemplatio acquisita naturam ipsam pro principio immediato et Deum ut auctorem naturæ pro principio proximo cognoscit. Contemplatio autem infusa Deum et auctorem gratiæ pro suo immediato principio cognoscit. Continetur enim in ordine gratiæ. Prima vero in entitate sua est naturalis, quamvis ad ejus exercitium auxilia divinæ gratiæ actualis requirantur. Nam ad bona quæcumque ardua, etiam ordinis naturalis, propter nostræ naturæ corruptæ debilitatem auxilium divinæ gratiæ requiritur. Secunda vero est in sua entitate supernaturalis ; propterea dicitur infusa, nec ad illam causa secunda concurrit, nisi prius elevata lumine supernaturali, ut statim dicemus.

46. *Dico 3.* Differunt secundo ex parte luminis. Nam acquisita dimanat ex naturali lumine rationis, licet ad ejus perfectionem lumen fidei cooperetur. Infusa vero procedit a lumine supernaturali, puta intellectus vel sapientiæ, quæ sunt dona Spiritus Sancti, vel ex alio excellentiori ut supra
47. (n. 34.) diximus. Differunt tertio ex parte specie-

rum intelligibilium. Nam acquisita species, in quibus objectum suum contemplatur, habet omnino naturales tam in entitate, quam in modo, propria scilicet industria a phantasmatibus abstractas, et connaturali usu ad contemplandum applicatas. Contemplatio vero infusa habet species saltem in modo et quantum ad usum supernaturales. Differunt quarto in modo tendendi in Deum, 48.
quia infusa sapientiæ vel intellectus dono magis expedite, promptius et suavius procedit, quam acquisita, quæ ab habitu fidei vel ab alia virtute morali seu theologica dimanat. Quapropter contemplatio naturalis potius speculatio, quam contemplatio nominatur.

Dico 4. Differunt quinto, quia subjectum 49.
acquisitæ vere dicitur agens, quatenus per proprios actus et cum omnimoda electione ac perfecto dominio veritates inventas considerat. Subjectum vero infusæ potius dicitur divina patiens, non quia non agat, nam contemplari est vitaliter agere, sed quia tam suaviter et pacifice agit, ut potius actus recipere, quam dicere videatur. Diffe- 50.
runt sexto, quia acquisita non est tam simplex intuitus divinæ veritatis, quam infusæ. Nam in acquisita imaginatio per conversionem ad phantasmata simul operans operationem intellectus contemplantis non sæpe distrahit et inquietat ; in contemplatione vero infusa manet anima sic elevata et a sensibilibus abstracta, quod quieta et quodammodo absorpta parte inferiori soli Deo intime unita immobiliter adhæreat, ut optime explicat Dionysius (de cœlesti Hierarchia, cap. 1.).

51. *Dico 5.* Differunt septimo, quod, etsi duæ species eosdem effectus producant et easdem veritates divinas cognoscant, contemplatio tamen infusa tam in modo cognoscendi et penetrandi divina, quam in effectibus lucis, amoris et suavitatis est plenior et eminentior quam sit acquisita. Cujus ratio est, quia contemplatio infusa procedit a dono sapientiæ vel intellectus. Ergo procedit fortius et suavius et cum majore luce, amore et suavitate, quam acquisita, quæ tantum procedit
52. a lumine naturali adjuto lumine fidei. Differunt octavo, quia quando Deus per contemplationem infusam illabitur animæ extra se raptæ, quando redit ad se ipsam, nullatenus dubitare potest, quod rapta fuerit a Deo. Ita N. M. S. Theresia (cap. 18. vitæ suæ.).

SECTIO IX

De contemplatione acquisita mediante lumine fidei.

SUMMARIUM

53. Ad contemplationem debemus ascendere sine discursu, mediante lumine fidei. 54. Primus effectus fidei in nobis est, purificare corda. 55. Ut intellectus per fidem perfecte repræsentet Deum, debet habere qualitates speculi. 56. Quæ sint qualitates speculi, explicatur. 57. Intellectus illustratus lumine fidei debet simplici intuitu Deum contemplari non extra, sed in anima sua. 58. Debemus Deum contemplari in conceptu universali, et non per partes. 59. Noster intellectus habet capacitatem et potentiam passivam respectu omnis entis intelligibilis sub quocumque modo finito. 60. Idem dicendum est de voluntate respectu boni universalis.

53. *Dico 1.* Ad contemplationem debemus ascendere sine discursu et sine aliqua ratione naturali,

sed lumine fidei. Ita Dionysius (in Epist. ad Timoth.) Ratio vero est, quia contemplatio est simplex intuitus veritatis, ut supra diximus. Sed non possumus habere simplicem intuitum veritatis, nisi denudemur ab omnibus operibus sensuum externorum et ab omnibus similitudinibus intellectualibus et ab omni re creata. Ergo ut possimus ascendere ad contemplationem, ab omnibus his debemus denudari et solum inniti in lumine divinarum tenebrarum, quod est lumen fidei. Et ideo D. Thomas (2. 2. q. 16. art. 1. ad. 1.) dicit, fidem esse necessariam « tamquam principium spiritualis vitæ, » et fundamentum illius et habitus, quo inchoatur vita æterna.

Dico 2. Primus effectus fidei in nobis est purificare corda, ut patet ex illo Actorum 15 : « *Fide purificans corda eorum.* » Impuritas autem hominum consistit in eo, quod rebus vilioribus immiscentur. Nam cum homo dignior sit rebus omnibus temporalibus, ideo impurus redditur ex eo, quod temporalibus se subjiciat per amorem. Ab hac autem impuritate purificatur per contrarium motum, dum scilicet tendit in id, quod est supra se, scilicet Deum; in quo quidem motu primum principium est fides, ut ait Paulus (ad Hebr. 11.) : « *Credere enim oportet accedentem ad Deum.* » Hæc autem fides,si perficiatur per charitatem formatam, perfectam purificationem causat. 54.

Dico 3. Ut intellectus per fidem perfecte repræsentet Deum, debet habere qualitates spe- 55.

56. culi. Qualitates autem speculi sunt tres : prima, quod sit terminatum, secunda, quod sit stabile, tertia, quod sit tersum. Primam qualitatem observat intellectus per attentionem ad Deum, per quam determinatur, sicut per plumbum speculum, et non sinit vagare intellectum, quo vult, sed per attentionem in lumine fidei ea mediante proportionatur cum Deo et fit ordinis divini, ut probat D. Thomas (1. p. q. 12. art. 5.). Secundam qualitatem habet reprimendo operateones activas et motivum Dei exspectando. Tertiam qualitatem habet, quando nullam habet maculam. Nam si intellectus habet maculam, non potest Deum repræsentare, ut dixit Christus: « *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* » (Matth. 5, 8.)

57. *Dico 4.* Facta hac purgatione et dispositione intellectus illustratus lumine fidei simplici intuitu debet Deum contemplari non extra se, sed in anima sua. Nam ut ait Apostolus (2. Cor. 6.), nos sumus templum Dei, et Deus tamquam in sede
58. est in anima justi. Debemus autem Deum contemplari non per partes et particulares rationes attributorum, sed in communi et in conceptu universali. Non enim noster intellectus satiatur in cognitione unius attributi, sed desiderat Deum
59. videre secundum se totum. Habet enim noster intellectus capacitatem et potentiam passivam respectu omnis entis intelligibilis sub quocumque modo finito. Unde licet cognoscat Deum finito modo, desiderat cognoscere eum secundum se
60. totum. Et idem dicendum est de voluntate, quæ

extenditur ad bonum universale, sicut intellectus ad ens universale. Quodlibet autem bonum creatum est quoddam particulare bonum, solus autem Deus est bonum universale, sicut est ens universale. Unde ipse solus implet intellectum et voluntatem et sufficienter movet ut objectum utriusque potentiæ.

SECTIO X

Contemplatio acquisita dividitur in eam, quæ est per affirmationem, et in eam, quæ est per negationem.

SUMMARIUM

61. Contemplatio acquisita dividitur in eam, quæ est per affirmationem, et in eam, quæ est per negationem. 62. Quid sit contemplatio per affirmationem, explicatur. 63. Quid sit contemplatio per negationem, exponitur. 64. Aliqui Sancti contemplantur Deum conjungendo affirmationem negationi. 65. Alii contemplantur Deum per excellentiam, per excursum, per eminentiam. 66. Hic modus est quasi medius inter utrumque jam dictum. 67. Ratio horum omnium proponitur. 68. Perfectiones aliæ sunt simpliciter simplices, aliæ secundum quid. 69. Perfectiones simpliciter simplices formaliter attribuuntur Deo. 70. Perfectiones secundum quid attribuuntur Deo tantum eminenter.

Dico 1. Contemplatio acquisita dividitur in 61.
eam, quæ est per affirmationem, et in eam, quæ
est per negationem. Contemplatio per affirmatio- 62.
nem est, quando ex esse creaturæ ascendimus ad
esse Dei tamquam ab effectu ad causam, et
quando ex vita creaturæ affirmamus, Deum vi-
vere, et ex intelligere creaturæ affirmamus, Deum
esse intelligentem. Unde ex perfectionibus crea-
turarum ascendimus ad perfectionem Dei. Con- 63.

templatio per negationem est, quando negamus Deo ea, quæ videmus et intelligimus, scilicet eo modo, quo in creaturis intelligimus, et hoc modo negamus de Deo substantiam, sapientiam cæteraque omnia, eo inquam modo, quo in creaturis ea esse intelligimus et pro hoc statu concipimus. Ita Dionysius (cap. 1. Theologiæ mysticæ.), D. Thomas (2. 2. q. 8. art. 7. et in 3. distinct. 35. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. sol. 2.), Boethius (*lib. de Trinit.) et alii Sancti Patres et Doctores mystici.

64. *Dico* 2. Alio modo contemplantur aliqui Sancti Deum, conjungendo affirmationem negationi. Ita de Deo loquitur S. Angustinus (lib. 5. de Trinit. cap. 1.), ubi ait : « *Intelligamus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine intelligentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facien-*
65. *tem nihilque patientem.* » Alii vero assignant tertium modum contemplandi Deum per excellentiam, per excessum, per eminentiam, aut quid
66. simile. Et hic modus est quasi medius inter utrumque jam dictum et de utroque participans, ut cum dicitur : « Deus non est quid sensibile, sed supersensibile, nec imaginabile, sed superimaginabile, nec intelligibile, sed superintelligibile, nec existens hoc vel hoc, sed super omne ens. » Et tunc veritatis aspectus fertur in mentis caliginem et altius elevatur et profundius aggreditur, pro eo, quod excedit se et omne creatum.

Ita Bonaventura (*lib. de parvo bono, p. 3.) et N. Philippus a Trinitate (p. 2. de via illuminativa, tract. 1. art. 3.).

Ratio autem horum omnium est, quia quid- 67.
quid perfectionis est in effectu, debet præexistere in sua causa efficienti, vel eodem modo, si sit causa univoca, vel superiori modo, si sit causa æquivoca. Sed Deus est prima causa effectiva rerum omnium. Ergo perfectiones omnium rerum in eo eminenter continentur. Confirmatur, quia Deus est per se subsistens. Sed esse per se subsistens habet omnem rationem essendi. Ergo Deus continet perfectiones omnium. Adverto tamen, perfectiones, alias esse simpliciter simpli- 68.
ces, et alias secundum quid. Perfectiones simpliciter simplices, quæ scilicet nullam includunt in suo conceptu formali imperfectionem, ut sunt 69.
justitia, misericordia etc., formaliter attribuuntur Deo. Perfectiones vero secundum quid, ut sunt 70.
omnes specificæ rationes creaturarum, attribuuntur Deo tamquam eminenter.

Unde Deus simpliciter et in sensu formali dicitur sapiens, justus, misericors, non tamen dicitur in sensu formali leo, petra et similia, sed tantum virtualiter et per quamdam proprietatem et potius de eo simpliciter et in sensu formali tales debent negari propositiones ; immo loquendo etiam de perfectionibus simpliciter simplicibus, cum non possint consequi in sua puritate, sed prout sunt creaturis plurimis imperfectionibus involutæ ; quapropter non univoce, sed analogice de Deo prædicantur. Inde est, quod

melius tales propositiones de Deo negamus et solum illas cum excellentia de Deo affirmamus, ut si dicamus: supersapiens, supersubstantialis, superintelligibilis etc., ne putemus esse in Deo ut in creaturis.

SECTIO XI

Dividitur contemplatio acquisita in eam, quæ est per ascensum, et eam, quæ est per descensum.

SUMMARIUM

71. Quid sit contemplatio per ascensum, explicatur. 72. Quid sit contemplatio per descensum, exponitur. 73. Contemplatio per ascensum est per se et principaliter per modum ultimi finis intenta. 74. Contemplatio per descensum est minus principalis. 75. Per creaturas ascendimus ad Deum per sex gradus, qui ibi explicantur. 76. Quid facere debeat contemplator, postquam ex creata ratione ad Dei contemplationem ascendit?

71. *Dico 1.* Contemplatio per ascensum fit, quando quibusdam quasi gradibus a cognitione creaturarum ad creatoris cognitionem ascendimus, juxta illud Pauli (ad Romanos 1,20.): « *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* »

72. Fit contemplatio per descensum quando ex creatoris Dei contemplatione per quamdam redundantiam ad contemplandas creaturas tamquam ad objectum secundarium contemplationis descendimus. Utriusque contemplationis fundamentum est, quia sicut causa relucet in propriis effectibus tamquam in vestigio suo, sic effectus relucet in propria causa tamquam in exemplari et principio. Unde et cognitio effectuum

ad contemplationem causæ et vice versa cognitio causæ ad contemplationem effectuum manuducit. Est autem contemplatio per ascensum principaliter et per se intenta per modum ultimi finis, ut ait Augustinus (lib. 1.de Trinit., cap. 8.), ubi ait: « *Contemplatio Dei promittitur nobis actionum omnium finis.* » Contemplatio vero per descensum est minus principalis. 73. 74.

Dico 2. Per creaturas ascendimus ad Dei contemplationem per sex gradus. In primo gradu ponitur perceptio sensibilium. In secundo gradu ponitur progressus a sensibilibus ad intelligibilia. In tertio ponitur dijudicatio sensibilium secundum intelligibilia. In quarto ponitur absoluta contemplatio intelligibilium, in quæ per sensibilia pervenitur. In quinto ponitur contemplatio intelligibilium, quæ per sensibilia inveniri non possunt, sed per rationem capi possunt. In sexto ponitur consideratio intelligibilium, quæ ratio nec invenire nec capere potest, quæ scilicet pertinent ad sublimem contemplationem divinæ veritatis, in qua finaliter contemplatio finitur. Ita ex Richardo de S. Victore D. Thomas (2. 2. q. 180. art. 4. ad 3.) 75.

Dico 3. Postquam quis ex creaturarum cognitione ad Dei contemplationem ascendit, debet in caliginem ignorantiæ intrare et credere, quod Deus non est id quod in ascensu novit, sed est super illud omne, eique sic cognito per affectum intime ac suaviter adhærere. Ita D. Bonaventura (itinerar. ment. cap. 4. circa finem.). Non tamen per hoc intelligitur, quod in hoc sublimis con- 76.

templationis statu nulla penitus de Deo habeatur notitia, ut ipsa videntur indicare verba, sed tantum sequitur, quod non habeatur distincta Dei notitia, quantum ad *quid est;* nam quantum ad *quia est*, sive ad ejus existentiam, habetur perfectissima. Nam qui sic ad Deum per creaturas ascendit, debet omnes cognitas in creaturis rationes ac perfectiones a Dei conceptu removere, prout scilicet in creaturis limitatæ ac imperfectionibus admixtæ videntur, et judicare, quod Deus est quid perfectissimum super omnia intellecta aliquo modo eis simile, sed tamen per infinitum, per excellens. Et in hoc confuso conceptu Deum contemplari debet, ut optime declarat Dionysius Carthusianus (in paraphrasi, cap. 1. de mystica Theologia).

SECTIO XII

Contemplatio acquisita dividitur per tres motus, circularem, rectum et obliquum.

SUMMARIUM

77. Motus in præsenti sumitur illo modo, quo omnis operatio motus dicitur. 78. Intelligere est quidam motus. 79. Tribus modis movetur anima in Deum. 80. Explicatur primus motus, quo movetur anima in Deum et vocatur rectus. 81. Explicatur secundus motus, qui dicitur obliquus. 82. Explicatur tertius motus, qui dicitur circularis. 83. Cur primus motus dicatur rectus, explicatur. 84. Cur secundus motus dicatur obliquus, explicatur ; ubi etiam dicitur, cur tertius motus dicatur circularis.

77. Pro hujus sectionis intelligentia notandum est, quod motus in præsenti non sumitur pro transitu

de uno ad aliud, sed illo modo, quo omnis operatio motus dicitur. Unde intelligere est quidam motus. Nam cum per sensibilia ad cognitionem intelligibilium deveniamus et operationes sensibiles sine motu non fiant, inde est, quod etiam operationes intelligibiles etiam motus vocamus, et secundum similitudinem diversorum motuum earum differentiam assignamus. 78.

Dico 1. Tribus modis movetur anima in Deum. 79.
Primo ascendendo ab imperfecto ad perfectum, 80.
et hic motus vocatur rectus. Nam per eum recte ascendit anima suo modo a creaturis ad creatorem. Secundus est, quando anima ex Dei contemplatione ad contemplandos effectus aut ad alia ejus opera in ordine ad creaturas divertitur, et iterum ad ipsum Deum contemplandum redit, et hic dicitur obliquus. 81. Tertius est, quando anima dimissa sua ratione cum sola fide tendit ad Deum non limitate, ut in creaturis, sed illimitate et in sua incomprehensibilitate, et quando relinquendo species creatas quiescit in illa infinita bonitate tamquam in centro et ibi præ admiratione et amore deficit et defluit a se ipsa et dulciter absorbetur, obdormit et quiescit in superdilectissimo Deo et creatore suo. Et hic motus dicitur circularis. 82.

Dico 2. Primus motus dicitur rectus, quia est proprium animæ rationalis, dum est in corpore, tendere ad Deum mediante cognitione sensibilium et creaturarum et discursu rationis. Et hic motus reperitur in contemplatione per ascensum superius descripta. Et hic motus est proprius incipien- 83.

tium et eorum, qui sunt in via purgativa: (cf. Dionysium, cap. 3. § 3., de cœlesti Hierarchia.).

84. Secundus motus dicitur obliquus, quia cum intellectus attenderet ad suum proprium objectum, quod est essentia universalis Dei, in qua habebat totum sui conplementum, reflectitur ad considerandа alia objecta particularia et limitata, sive sint divina attributa, sive res creatæ, et postea iterum redit ad simplicem actum contemplationis divinæ bonitatis. Et hic motus est proprius illorum, qui sunt in via illuminativa et contemplationis, quibus proprium est attendere ad Deum ut abstractum a rebus particularibus in illo conceptu universali summæ Deitatis. Tertius motus dicitur circularis, qui est figura perfecta sine fine nec principio, quia per eum intellectus remotus a creaturis in sola fide essentiam Dei contemplatur. Et hic motus invenitur præsertim in contemplatione supernaturali, quæ in statu unionis intimæ conceditur. Ita Dionysius (de divinis nominibus, cap. 4. § 9.) et ibi D. Thomas (Lect. 1.).

DISPUTATIO II

De illuminatione activa partis affectivæ per virtutum acquisitionem.

SECTIO I

Virtutes sunt necessariæ ad acquirendam contemplationem.

SUMMARIUM

85. Virtutes morales sunt necessariæ hominibus ad acquirendam contemplationem. 86. Probatur multiplici ratione. 87. Contemplatio impeditur per vehementiam passionum et exteriores tumultus. 88. Virtutes impediunt vehementiam passionum et exteriores tumultus.

Dico. Virtutes morales sunt necessariæ hominibus ad acquirendam contemplationem. Ita D. Thomas (2. 2. q. 180. art. 2.). Ratio est, quia ut diximus (disp. I. hujus tract., sect. III.) virtutes morales et earum exercitium sunt dispositio ad acquirendam contemplationem. Patet consequentia, quia nulla res acquiri potest deficiente sua necessaria dispositione in subjecto. 85. 86.

Confirmatur primo, quia actus contemplationis impeditur per vehementiam passionum et exteriores tumultus abstrahendo animam ab intelligibilibus ad sensibilia. Sed virtutes hæc omnia impediunt et cohibent. Ergo virtutes sunt necessariæ ad disponendum homines ad contemplationem. 87. 88.

Confirmatur secundo, quia virtus est habitus

operativus disponens potentiam ad actus excedentes virtutem ipsius potentiæ vel per se difficiles. Sed potentiæ hominis sunt improportionatæ tum ad actus supernaturales, qualis est contemplatio supernaturalis, tum ad actus difficiles, qualis est contemplatio naturalis. Ergo virtutes morales sunt necessariæ dispositiones ad contemplationem.

SECTIO II

Quid sit virtus ?

SUMMARIUM

89. Ponitur definitio virtutis et declaratur. 90. Virtute nullus male utitur formaliter. 91. Bene potest quis male uti virtutibus intellectualibus materialiter, excepta prudentia. 92. Non potest quis male uti spe et charitate et aliis virtutibus moralibus, etiam materialiter, et cur ? 93. Virtus, alia est infusa, alia acquisita,et quid utraque importet ?

89. *Dico 1.* Omissis aliquibus definitionibus virtutis, quæ ab aliquibus circumferuntur, virtus sic communiter a Theologis definitur : *Est bona qualitas, seu habitus mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Ita Magister (II. Sent., dist. 27.) et cum D. Thoma (1. 2. q. 55. art. 4.) alii communiter. Qualitas, seu habitus ponitur loco generis, cætera loco differentiæ, quia virtus per illa simul sumpta distinguitur ab omnibus aliis qualitatibus et habitibus. Nam per hoc quod dicitur : « bona », distinguitur a pravis qualitatibus ; per hoc quod dicitur : « mentis », distinguitur a qualitatibus cor-

poreis, per hoc quod dicitur : « qua recte vivitur », distinguitur ab habitibus vitiosis, qui ad male vivendum inclinant ; per hoc quod dicitur : « qua nullus male utitur », distinguitur ab habitibus, qui quandoque se habent ad malum, quandoque ad bonum, qualis est opinio, quæ se habet ad verum et falsum.

Adverte tamen, quod licet nullus possit male 90.
uti virtute formaliter, potest tamen uti male materialiter virtutibus intellectualibus, excepta prudentia. Et ratio est, quia hæ virtutes intellectuales perficiunt tantum intellectum in ordine ad verum, et non in ordine ad bonum sub ratione boni. Ergo 91.
potest quis male uti virtutibus intellectualibus, excepta prudentia, utendo intelligentia, sapientia, scientia et arte, immo et fide propter vanam gloriam. Unde in hoc casu actus virtutum intellectualium sunt physice boni per hoc, quod verum attingant, et moraliter mali propter pravam intentionem. Dixi : excepta prudentia, quia prudentia determinat bonum usum actus. Et idem 92.
dicendum est de virtutibus moralibus et de charitate et spe. Nam hæ virtutes habent pro objecto bonum sub ratione boni honesti, et non solum respiciunt actum ex se bonum, sed bonum usum. Unde non possunt dicere actum ex aliquo capite moraliter malum, cum idem actus non possit esse simul bonus et malus moraliter.

Dico 2. Virtus, alia est infusa, alia acquisita. 93.
Virtutem infusam Deus operatur in nobis sine nobis operantibus; non autem sine nobis cooperantibus. Virtutem autem acquisitam propriis

actibus ac industria nostra nobis acquirimus, quod sic declaratur. Nam licet Deus tam prævie quam simultanee concurrat ad acquisitionem virtutis, nobiscum tamen concurrit, et ita Deus non operatur in nobis sine nobis virtutem acquisitam, sed eam operatur ut prima et universalis causa, nos autem operamur ut causa proxima. At virtutem infusam Deus in nobis sine nobis operatur. Nam licet auxilio divino nos ad ejus infusionem disponamus, propter quod dicimur cooperari ad hujusmodi infusionem, non tamen ad illam efficienter concurrimus. Nam simul cum gratia sanctificante cunctæ virtutes infusæ tamquam ejus proprietates immediate a solo Deo producuntur.

SECTIO III

De virtutum proprietatibus.

SUMMARIUM

94. Virtus habet quattuor proprietates, scilicet est honesta, utilis, delectabilis et pulchra. 95. Declaratur prima proprietas virtutis, quod sit honesta. 96. Declaratur secunda proprietas, quod sit utilis. 97. Declaratur tertia proprietas, quod sit delectabilis. 98. Declaratur quarta proprietas, quod sit pulchra.

94. *Dico.* Virtus aliquas habet proprietates, scilicet *honestatem*, *utilitatem*, *delectationem et pulchritudinem*. Ratio est, quia virtus est maximum bonum, ut ait S. Augustinus (lib. 2. de libero arbitrio, cap. 19), ubi ait : « *Virtutes*, *quibus recte vivitur*, *magna bona sunt.* » Sed bonum dividitur in honestum, utile et delectabile et pulchrum. Er-

go has omnes proprietates virtus habet. Patet consequentia ; discurrendo per omnes et in primis quod sit *honesta*, patet, quia virtus est consentanea legi divinæ, est conformis naturæ rationali, in se ipsa appetibilis et Deo grata. Sed illud quod est consentaneum legi divinæ, conforme naturæ rationali, in se appetibile et Deo gratum, non potest non esse honestum. Ergo virtus est bonum honestum. 95.

Quod autem sit *utilis*, probatur, quia bonum utile est illud, quod conducit ad consecutionem finis intenti. Finis autem, quem homo intendit principaliter, est placere Deo, et minus principaliter æterna gloria. Sed hic finis sine virtutibus adipisci non potest. Nam, ut ait Apostolus : « *Sine fide* », quæ una virtutum est, « *impossibile est, placere Deo*, » et sine virtutibus gloria non potest adipisci, ut ait Psalmista (Psalm. 23.) : « *Quis ascendet in montem Domini ?... Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.* » Ergo virtus est utilis. 96.

Quod autem sit *delectabilis*, probatur, tum quia instinctus naturæ rationalis in operibus moraliter bonis sibique proportionatis maxime delectatur, tum quia credere, quod in exercitio virtutum Deo placemus, est maxime delectabile. Sed hoc est de fide. Ergo. Tum quia id testificatur testimonium conscientiæ recte facti, quod Sapiens (Proverb. 15, 15.) dicit juge convivium. 97.

Quod autem virtus sit *pulchra*, etiam liquet, quia virtus, ut diximus, est bona, honesta, utilis 98.

et delectabilis. Ergo est pulcherrima. Unde in canticis canticorum (6) ait Sponsus sponsæ virtutibus ornatæ : « *Pulcha es amica mea, suavis et decora, sicut Jerusalem.* » Ergo virtus maxime pulchra est.

SECTIO IV

De distinctione virtutum.

SUMMARIUM

99. Virtus generaliter sumpta dividitur in theologicam, intellectualem et moralem. 100. Theologica subdividitur in fidem, spem et charitatem. 101. Intellectualis subdividitur in eam, quæ versatur circa universalia, et in eam, quæ versatur circa particularia. 102. Virtus, quæ versatur circa universalia, subdividitur in intellectum, sapientiam et scientiam. 103. Sapientia, alia est infusa, alia acquisita. 104. Scientia, alia abstrahit ab omni materia sensibili, non tamen intelligibili, ut geometrica et arithmetica, alia abstrahit ab omni materia etiam intelligibili, ut metaphysica et dialectica. 105. Virtus intellectualis, quæ versatur circa particularia, subdividitur in prudentiam et artem. 106. Numerantur partes subjectivæ prudentiæ. 107. Numerantur partes potentiales prudentiæ. 108. Virtus moralis dividitur in justitiam, fortitudinem et temperantiam. 109. Justitia subdivitur in generalem et particularem. 110. Generalis subdivitur in legalem et epicheam. 111. Particularis in distributivam et commutativam. 112. Numerantur partes potentiales justitiæ. 113. Numerantur partes potentiales fortitudinis. 114. Numerantur partes subjectivæ et potentiales temperantiæ. 115. Virtus moralis dividitur in acquisitam et infusam.

99. *Dico 1.* Virtus generaliter sumpta dividitur in
100. *theologicam, intellectualem et moralem. Theologica* sic dicta, quia Deum immediate attendit,
101. subdividitur in fidem, spem et charitatem. Intellectualis sic dicta, quia residet in intellectu, dividitur in eam, quæ versatur circa universalia, et

in eam, quæ versatur circa particularia. Virtus, 102.
quæ versatur circa universalia, subdividitur in intellectum, sapientiam et scientiam. Sub intellectu continetur intelligentia, quæ est de primis principiis speculationis et synderesis, quæ est de primis principiis practicis. Sapientia, quæ est 103.
habitus inclinans ad cognitionem rei per altissimas causas, alia est infusa, alia acquisita. Scientia, 104.
quæ est habitus inclinans ad cognitionem rei per suas causas, alia abstrahit ab omni materia sensibili, non tamen intelligibili, qualis est tam arithmetica quam geometrica. Alia abstrahit ab omni materia etiam intelligibili, qualis est metaphysica et dialectica.

Dico 2. Virtus intellectualis, quæ versatur circa 105.
particularia, subdividitur in *prudentiam et artem*. *Prudentia*, quæ dicitur recta ratio agibilium, habet partes subjectivas et potentiales. Partes 106.
subjectivæ sunt : monastica, politica, regnativa, œconomica, militaris. Regnativa triplex est : monarchica, aristocratica, democratica. Partes potentiales prudentiæ sunt : eubulia, synesis, gnome. 107.
Ars, quæ dicitur recta ratio factibilium, iterum subdividitur in liberalem et servilem ; liberalis habet species continentes in hoc versu hexametro : « *Lingua*, *tropus*, *ratio*, *numerus*, *tonus*, *angulus*, *astra ;* » artis vero servilis species continentur in hoc versu pentametro :
« *Rus*, *nemus*, *arma*, *rates*, *vulnera*, *lana*, *faber*. »

Et de his satis, quia vix ad nostrum attinent institutum. Hic enim tantum agimus de virtutibus, quæ faciunt hominem habentem illas sim-

pliciter bonum et opus ejus absolute perfectum, qualis est tam virtus theologica quam moralis.

108. *Dico 3. Virtus moralis* sic dicta, quia versatur circa mores, dividitur in *justitiam*, *fortitudinem et*
109. *temperantiam*. *Justitia* subdividitur in generalem et particularem tamquam in partes subjectivas.
110. Generalis subdividitur in legalem et epicheam ;
111. particularis in distributivam et commutativam.
112. Partes potentiales justitiæ sunt : religio, pœnitentia, pietas, humilitas ad alterum, observantia, gratitudo, vindicatio, veritas, amicitia, liberalitas, magnificentia ad alterum. Sub observantia generali continentur : observantia specialis, dulia, hyperdulia, obedientia. *Fortitudo* non habet par-
113. tes subjectivas, sed tantum potentiales, quæ sunt magnanimitas, magnificentia, patientia, perseve-
114. rantia. *Temperantia* habet tam partes subjectivas, quam potentiales. Subjectivæ sunt abstinentia, sobrietas, castitas, pudicitia. Castitas, alia est communis, scilicet conjugalis et vidualis, alia est specialis, scilicet virginitas. Partes potentiales sunt continentia, mansuetudo, clementia, humilitas.

115. *Dico 4.* Virtus moralis dividitur in *acquisitam et infusam*. Est autem differentia inter virtutes morales acquisitas et infusas. Nam virtutes *acquisitæ* non statim a principio, sed successive acquiruntur. Cum enim non requirantur ad simpliciter, sed ad facile operandum, possunt ex vi principiorum naturalium mediis actibus acquiri. *Infusæ* tamen cum sunt tota virtus agendi proxima, debent statim a principio ustificationis infundi

Unde virtutes morales infusæ a solo Deo possunt produci tamquam a causa principali, et ita non possunt actibus nostris acquiri ut virtutes acquisitæ, ut diximus sect. II.

SECTIO V

De virtutibus theologicis.

SUMMARIUM

116. Virtus theologica dividitur in fidem, spem et charitatem. 117. Ponitur fidei definitio et ejus explicatio. 118. Fides est necessaria ad salutem. 119. Quæ dona correspondeant virtuti. 120. Dono intellectus, quæ beatitudo correspondeat ? 121. Ponitur spei definitio, et explicatur. 122. Quid est objectum spei, exponitur. 123. Quod donum correspondeat spei, demonstratur. 124. Quæ beatitudo dono correspondenti spei pertineat, exponitur. 125. Ponitur charitatis definitio, et exponitur. 126. Virtus charitatis est omnium perfectissima. 127. Quod sit objectum charitatis ? 128. Quod sit subjectum charitatis ? 129. Quod donum correspondeat charitati ? 130. Quæ beatitudo illi correspondeat ?

Dico 1. Virtus theologica sic dicta, quia Deum immediate attingit, dividitur in fidem, spem et charitatem. Ratio est, quia Deus solum potest attingi immediate sub ratione primi veri et summi boni. Sub ratione primi veri attingitur per fidem, qua credimus quæcumque ab ipso revelata sunt, primario quidem de ipso, secundario de aliis sub ratione primi boni dupliciter attingitur, vel summi boni nostri, scilicet a nobis consequibilis per auxilia divinæ gratiæ, et sic attingitur per spem, vel summi boni in se ipso, quod est summe diligibile, et sic attingitur per charitatem, 116.

quæ ipsum primario respicit, proximum autem secundario, quatenus in ipso bonitas divina relucet.

117. *Dico 2. Fides* definitur ab Apostolo (ad Hebr. 11.), quod sit « *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* », seu est habitus supernaturalis, quo illustratus intellectus creatus assentitur iis, quæ divinitus revelata sunt, ita ut ratio talibus assentiendi sit sola divina revelatio obscura nobis authentice per Ecclesiæ propositionem infallibilem intimata. Et quia hujusmodi revelatio obscura non causat evidentiam rei revelatæ in se ipsa, inde est, quod intellectus per eam non convincitur. Unde necessaria simpliciter est ad credendum pia affectio erga Deum revelantem et res revelatas, quæ ex habitu charitatis vel ex auxilio divinæ gratiæ procedit.

118. *Dico 3.* Fides est necessaria ad salutem. « *Sine fide autem*, ut ait Apostolus (ad Hebr. 11.), « *impossibile est, placere Deo* ». Quando est conjuncta gratiæ et charitati, dicitur fides viva et formata ; quando est a prædictis separata, dicitur fides mortua et informis ; charitas namque est forma illius. Dicitur autem fides fundamentum spiritualis ædificii, quia oportet credere, antequam quis moveatur ad sperandum et diligendum. Objectum fidei est veritas obscura, a Deo revelata, prima quidem veritas objectum principale, alia vero quæcumque objectum minus principale. Subjectum *quod* illius est intellectualis creatura. Subjectum *quo* est intellectus. Duplex est actus illius : interior, qui est assensus intellectus Deo

revelanti tamquam primæ veritati in dicendo præstitus, et exterior, qui dicitur confessio fidei.

Dico 4. Virtuti fidei correspondent duo dona 119.
Spiritus Sancti, *donum* scilicet *intellectus et donum scientiæ*. Primum reddit intellectum facile mobilem a Spiritu Sancto ad assentiendum firmiter secundum regulas superiores primis veritatibus Divinitatis, quæ sunt quasi prima principia credendorum. Donum scientiæ reddit intellectum facile mobilem a Spiritu Sancto ad assentiendum aliis credendis per causas inferiores, quasi conclusionibus, secundum quod *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* et creditu digna judicantur. Dono intellectus correspondet 120.
sexta beatitudo : « *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* ». Dono scientiæ correspondet tertia beatitudo : « *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* ». Ex fructibus autem Spiritus Sancti correspondet dono intellectus ille, quem Apostolus vocat *fidem*, consistens in speciali quadam certitudine de revelatis a Deo per hoc donum acquisita, quæ perficit assensum virtutis fidei.

Dico 5. Spes, secunda virtus theologia, est ha- 121.
bitus supernaturalis, quo voluntas firmata tendit in Deum et in summum bonum suum, seu objectum suæ beatitudinis arduum quidem, sed tamen possibile consequi per auxilia divinæ gratiæ. Firmitas spei fundatur tam in divina promissione, quam in efficacibus auxiliis divinæ gratiæ. Spes, gratiæ sanctificanti et charitati conjuncta, dicitur viva et perfecta; separata vero ab eis, dicitur mortua et informis et imperfecta, quia, ut dictum est,

charitas est forma et perfectio cunctarum virtu-
122. tum. Objectum spei est bonum divinum, ut objectum beatitudinis, quatenus arduum et futurum. Subjectum *quod* spei est creatura rationalis. Subjectum *quo* est voluntas, quæ tale bonum respicit, quasi centrum suæ quietis, quæ solo adepto satiari potest. Actus spei est, divinum bonum ex prædictis auxiliis sperare.

123. *Dico 6.* Virtuti spei correspondet *donum timoris*, quod simul cum spe subjectatur in voluntate, et sic voluntatem disponit et modificat, quod non transeat ad præsumptionem, dum ad effectum spei conatur. Timor, qui est donum Spiritus Sancti, est timor filialis, sive castus et reverentialis et nullo modo servilis. Dicitur in principio ini-
124. tialis, deinde perfectus. Huic dono correspondet prima beatitudo : « *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* » Et ex fructibus Spritus Sancti correspondet, *modestia*, *continentia*, *castitas*.

125. *Dico 7. Charitas*, tertia virtus theologica, est habitus supernaturalis inclinans ad amandum amore amicitiæ Deum super omnia propter se ipsum, et proximum propter ipsum Deum. Dixi : amore amicitiæ, nam aliquid potest dupliciter amari, vel amore amicitiæ, vel concupiscentiæ. Tunc amatur amore amicitiæ, quando amatur propter se ipsum et est mutuus amor, sicut est, inter creaturam rationalem et Deum, juxta Proverb. 8. « *Ego diligentes me diligo.* » Tunc autem amatur amore concupiscentiæ, quando amatur non propter se ipsum, sed propter amantem, ita

ut amans potius illo amore quærat potius bonum suum, quam bonum amati.

Dico 8. Hæc virtus inter omnes alias, tam theologicas quam morales, est perfectissima, ut ait Apostolus : « *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas.* » (1. Cor. 13, 13.). Objectum charitatis est bonum divinum vel in se ipso consideratum vel ut ab aliis participatum. Ut in se ipso consideratum, est objectum primarium ; ut autem a creatura capaci fruitionis Dei participatum, est objectum secundarium. Unde idem est objectum et ultimus finis in charitate, quæ proinde ex sua ratione habet omnes virtutes dirigere, quia dum eas dirigit in ultimum earum finem, dirigit in suum ipsius objectum.Sub objecto primario charitatis comprehenditur totum,quod est formaliter Deus, sive sit absolutum, sive relativum. Sub objecto materiali comprehenduntur omnia, quæ sunt aliquid Dei et sunt beatitudinis æternæ, ut est proximus, qui vel jam fruitur tali beatitudine, vel potest illa frui, et etiam ipsemet, qui charitate fruitur, quamvis propria dilectio deficiat a ratione amicitiæ tendentis in alterum. 126. 127.

Dico 9. Subjectum charitatis est voluntas ; etsi sit una ob indivisibilitatem objecti formalis,dividitur secundum ejus statum in incipientem, proficientem et perfectam. Incipiens habetur in via purgativa, proficiens in via illuminativa et perfecta in unitiva. Virtuti charitatis correspondet *donum sapientiæ*, cujus est judicare de rebus divinis per altissimas causas, per quod differt a 128. 129.

dono scientiæ, quod judicat de rebus per causas inferiores. Hoc autem judicium sapientiæ est sine discursu ex quadam unione et connaturalitate ad Deum per charitatem ac ex gustu et sapore inde profecto. Nam judicium, quod fit cum discursu de rebus divinis, pertinet ad Theologiam scholasticam, quæ est virtus intellectualis. Hujus doni actus est, contemplari et attendere rebus divinis ut conspiciendis et consulendis. Ipsi cor-
130. respondet septima beatitudo : « *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* » Ex fructibus Spiritus Sancti quinque virtuti charitatis assignantur : scilicet *charitas* pro actu dilectionis, *gaudium*, *pax*, *bonitas*, *benignitas*.

SECTIO VI

De prudentia et ejus partibus.

SUMMARIUM

131. Prudentia, licet subjectetur in intellectu, pertinet etiam ad virtutes morales. 132. Ponitur ejus definitio et explicatur. 133. Ponitur ejus divisio et explicatur. 134. Quæ sint partes subjectivæ prudentiæ, exponitur. 135. Explicantur partes potentiales prudentiæ. 136. Quid donum correspondeat virtuti prudentiæ ?

131. *Dico 1.* Licet prudentia subjectetur in intellectu et hac ratione sit virtus intellectualis, pertinet tamen etiam ad virtutes morales et annumeratur inter ipsas, ut ait D. Thomas (2. 2. q. 47. art. 4.). Est enim directrix et moderatrix aliarum virtutum moralium. Definitur autem

prudentia: *Est recta ratio agibilium.* Sumitur 132.
autem hic agibile pro intelligibili. Prudentia enim versatur circa operationes, quæ dependent ab electione seu libero arbitrio. Unde objectum ejus sunt operationes humanæ, per quod distinguitur ab arte, quæ est recta ratio factibilium. Recta autem ratio in hac definitione importata non se tenet ex parte objecti quasi recta ratio objectiva agibilium sit prudentia, sed se tenet ex parte potentiæ et dicit habitum operativum inclinantem ipsam potentiam ad rectam electionem agibilium secundum regulas morum, quæ sunt leges creaturæ rationali impositæ vel per dictamen rationis, vel per positionem aliquam. Et hæ leges sunt velut idea, ad quam intendit prudentia ad rectam electionem in agibilibus.

Dico 2. Prudentia dividitur in *partes integrales*, 133.
subjectivas et potentiales. Ita D. Thomas (2. 2. q. 48.). *Partes integrales* sunt octo, nempe memoria, intelligentia, docilitas, solertia, ratio, providentia, circumspectio et cautio. Hæ omnes conducunt maxime ad prudentiam. Ille namque prudenter operabitur, qui præteritorum memoriam retinet et præsentium cognitione et intelligentia pollet et doctiorum doctrinam et eruditionem suscipit et veritatem sollicite inquirit, circumstantias agendorum reique statum et quæ inde evenire possunt, attendit mediaque ad finem consequendum disponit, ac tandem præcavet et removet, quæ illius consecutioni obstare possunt. Ex his sollicita tantum cognitio status rei agendæ et illius circumstantiarum est actus a prudentia elicitus. Re-

liqua vero ad acquirendam prudentiam vel acquisitæ perfectum usum pertinent.

134. *Dico 3. Partes subjectivæ* sunt monastica et politica. Prudentia monastica, seu particularis, singulis modum agendorum præscribit, non solum quatenus privatæ personæ sunt, sed quatenus sunt communitatis partes et membra. Politica vero, seu gubernativa, bonum commune respicit, hæcque subdividitur in œconomicam, hoc est familiæ bonum spectantem, et in legislatricem,qua leges in commune bonum conduntur, et in civilem, qua recta administratio civitatis et legum observatio procuratur ; in militarem, qua milites disponuntur, ut strenue et fortiter munus suum obeant. Porro prudentia particularis, quæque propriissime prudentia nuncupatur, utpote quæ bonum habentis spectat ,est species infima,propter indivisibilem rationem formalem sui objecti, quod est agibile in ordine ad finem humanæ vitæ. Sub prudentia vero civili continentur monarchica, id est cum unus præest toti communitati ; aristocratica, cum pauci et optimi rempublicam gubernant : et democratica, cum in republica imperium est populare.

135. *Dico 4. Partes potentiales prudentiæ* sunt eubulia, quæ versatur in consultatione rerum agendarum ; synesis, quæ profert rectum judicium de rebus in consilium adductis secundum leges communes et ordinarias. Gnome, quæ importat quamdam perspicacitatem judicii ex naturali ratione in proferendo judicium præter verba legis ob circumstantias occurrentes ex benigna legisla-

toris voluntatis interpretatione, et est directiva epikeiæ. Demum tam prudentia, quam omnes ejus partes tam subjectivæ quam potentiales, subjectantur in intellectu practico, quia cuncti earum actus sunt actus intellectus practici circa media, nempe consilium, judicium practicum et imperium. Certum est autem, quod virtutes resident in eadem potentia, in qua eliciuntur proprii earum actus.

Dico 5. Virtuti prudentiæ correspondet *donum consilii*, quod se extendit non solum ad actum consilii, sed etiam ad actum judicii et imperii. Denominatur tamen a consilio, ubi in mente consiliata potius apparet motio Spiritus Sancti quam in judicio et imperio, quibus mens videtur se ipsam et alios movere, non autem moveri. Huic dono correspondet quinta beatitudo : « *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* » Non assignat Apostolus inter duodecim fructus aliquem pro dono consilii vel pro virtute prudentiæ. Cujus ratio est, quia fructus importat rationem ultimi. Non est autem ultimum in intellectu practico, sed in operatione alterius potentiæ directæ per cognitionem practicam, quæ operatio dabitur ut fructus charitati, misericordiæ, vel alteri virtuti, a qua eliciatur, non autem prudentiæ vel dono consilii. 136.

SECTIO VII

De justitia et ejus partibus.

SUMMARIUM

137. Justitia sumitur hic pro secunda virtute inter morales. 138. Ponitur ejus definitio et declaratur. 139. Quæ sint partes integrales justitiæ ? 140. Quæ sint illius partes subjectivæ ? 141. Quæ sint illius partes potentiales ? 142. Declarantur partes potentiales justitiæ. 143. Virtuti justitiæ quod donum correspondeat ? 144. Quæ beatitudo illi correspondeat ?

137. *Dico 1.* Relictis variis acceptionibus justitiæ, *justitia* proprie et stricte sumitur pro determinata virtute, quæ numeratur secundo loco inter cardinales et est de numero moralium, et definitur :

138. *Est constans et perpetua voluntas, jus suum unicuique tribuens.* Objectum ejus est jus seu justum. Subjectum est voluntas. Hæc virtus est specialiter ad alterum, et ejus actus est : ponere æqualitatem, ad quam requiritur medium rei et non tantum medium rationis, sicut in aliis virtutibus.

139. *Dico 2. Partes integrales justitiæ* sunt, facere bonum debitum alteri et declinare a malo contrario ac ei nocivo. Sine his enim non potest esse perfectum opus justitiæ. Utrumque autem dicit actum positivum. Nam facere bonum est v. gr. restituere alienum, declinare vero a malo est

140. nolle furari. *Partes subjectivæ justitiæ* sunt : commutativa, distributiva et legalis. Commutativa est partis ad partem et reperitur in venditionibus et inter homines particulares. Distributiva est partis ad partes et invenitur in distributione bo-

norum communium ac dignitatum reipublicæ ad ipsos cives. Legalis est partium ad suum totum. Est maxime in observantia legum secundum literam præcise, in quo distinguitur ab epikeia, quæ est species justitiæ legalis et respicit observantiam legum secundum intentionem legislatoris.

Dico 3. Partes potentiales justitiæ sunt : religio, 141.
pœnitentia, pietas, observantia, gratitudo, vindicativa, veritas, amicitia et liberalitas. Religio est virtus, quæ tribuit debitum cultum Deo, cujus actus sunt devotio, oratio, adoratio, sacrificium, oblatio, votum, juramentum, adjuratio divini nominis ejusque per laudem assumptio. Pœnitentia est virtus offerens Deo debitam satisfactionem et dolorem pro peccatis. Deficiunt tamen hæ duæ virtutes a ratione perfectæ justitiæ, quia non reddunt Deo debitum honorem et satisfactionem. Pietas est virtus, qua quis cultum exhibet parentibus et patriæ et consanguineis. Observantia est virtus sub pietate contenta, per quam personis in dignitate constitutis cultus et honor exhibetur. Dividitur autem hæc virtus observantiæ in obedientiam erga superiores, in urbanitate erga ministros et duliam erga Sanctos.

Dico 4. Gratitudo est virtus, per quam bene- 142.
factoribus pro beneficiis gratiam exhibemus. Vindicativa est virtus, per quam in unoquoque perficitur naturalis inclinatio repellendi nociva. Amicitia, prout hic sumitur, est virtus, quæ procurat, ut conversatio nostra cum proximis sit grata, qualis debet esse spectata conditione personarum, cum quibus agimus, et nostra. Liberalitas

est virtus, qua bene utimur omnibus his exterioribus bonis,quæ nobis ad nostram sustentationem concessa sunt. Ad hanc virtutem reducitur magnificentia. Aliquæ ex prædictis virtutibus deficiunt a ratione perfectæ justitiæ ex defectu æqualitatis, quam ponere non possunt, ut pietas, quæ parentibus et magistris æquale reddere non potest, et idem est de dulia respectu Sanctorum.

143. *Dico 5.* Virtuti justitiæ ratione religionis annexæ correspondet *donum pietatis* secundum quod Deo ut patri cultum et debitum officium exhibeamus ex instinctu Spiritus Sancti. Huic
144. dono correspondet secunda beatitudo : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, » quamvis juxta propriam ipsius rationem ei respondeat tam quarta quam quinta beatitudo.Quarta quippe dicitur : « *Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* » Quinta vero dicitur : « *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* » Justitia autem, quam sitiunt, habet connexionem cum dono pietatis, et opera misericordiæ pertinent ad pietatem.

SECTIO VIII

De fortitudine et partibus ejus.

SUMMARIUM

145. Ponitur definitio fortitudinis, prout est virtus. 146. Explicantur actus fortitudinis. 147. Quæ sint partes integrales fortitudinis ? 148. Quæ sint illius partes potentiales ? 149. Quod donum correspondeat virtuti fortitudinis, declaratiur. 150. Quæ beatitudo illi correspondeat ?

145. *Dico 1. Fortitudo*, prout est virtus moralis,

definitur a D. Thoma (2. 2. q. 123. art. 3.) : « *Est virtus existens in irascibili, coercitiva timoris et audaciæ moderativa instantibus periculis.* » Dicitur autem coercitiva timoris et audaciæ moderativa, quia munus fortitudinis,prout est virtus moralis, est coercere timorem, et non omnino tollere, et moderari audaciam, ne declinet in temeritatem. Unde utraque passionem reducit ad medium, ne in subeundis periculis mortis sit vel nimia timiditas vel temeritas. Pericula autem, quæ sunt materia *circa quam* hujus virtutis, debent esse maxima, ex aliqua impugnatione occurentia.

Hinc fit, duplicem esse actum fortitudinis, scilicet 146.
aggredi et sustinere. Principalius autem est sustinere, quia qui sustinet, sentit jam eminentia pericula ; qui vero aggreditur, habet ea ut futura. Majus autem fortitudinis opus est, non moveri a præsentibus malis quam a futuris, tam enim bonum, quam malum præsens plus movet.

Dico 2. Partes integrales fortitudinis sunt : 147.
magnanimitas ad secure aggrediendum, et magnificentia ad perficiendum inchoata patientia, ne decidat animus ex tristitia mali præsentis, et perseverantia, ne fatigetur ex diuturnitate illius. *Partes subjectivas* non habet fortitudo, quia objectum ejus est indivisum, scilicet pericula mortis ex honesto fine vel aggredienda vel sustinenda.

Partes potentiales fortitudinis sunt quattuor, 148.
scilicet : magnanimitas, magnificentia, patientia et perseverantia. Magnanimitas inclinat ad opera magna et heroica in omni genere virtutum. Hic continentur fiducia, quæ dicit spem consequendi

illa, et securitas animi ex ablatione timoris. Magnificentia est virtus magnorum operum. Patientia est voluntaria et diuturna perpessio rerum arduarum et difficilium. Sub ea continetur longanimitas ad sustinendas tristitias et afflictiones. Perseverantia est habitus firmans voluntatem in bono contra passiones irascibilis. Sub ea continetur constantia, quæ superat omnia impedimenta exteriora.

149. *Dico 3.* Virtuti fortitudinis correspondet donum Spiritus Sancti ejusdem nominis, per quod *donum fortitudinis* altiori modo roboratur et movetur animus contra pericula, simulque conceditur fiducia et magna securitas triumphandi de inimicis Dei per tolerantiam passionum. Huic
150. dono correspondet quarta beatitudo : « *Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* » Ex fructibus autem enumeratis ab Apostolo correspondet tam virtuti quam dono fortitudinis patientia et longanimitas, patientia quidem, quæ est actualis tolerantia malorum, qua quis possidet animam suam, longanimitas autem, qua suffertur exspectatio diurna bonorum.

SECTIO IX

De temperantia et partibus ejus.

SUMMARIUM

152. Ponitur definitio temperantiæ, prout est virtus moralis, et exponitur. 152. Proponuntur partes integrales temperantiæ. 153. Explicantur partes subjectivæ temperantiæ 154. Declarantur partes potentiales temperantiæ. 155. Quod donum correspondeat temperantiæ ? 156. Quæ beatitudo illi correspondeat ?

Dico 1. Temperantia stricte sumpta, quo sensu est virtus moralis, *est virtus, quæ occupatur in moderandis voluptatibus corporis* circa cibos, potus et venerem. Ita Aristoteles (*3. Ethicor. c. 10.) et S. Thomas (2. 2. q. 141. art. 4.). *Partes integrales temperantiæ* sunt : verecundia et honestas. Verecundia facit vitare turpia ex timore opprobrii et confusionis. Unde primario timet vituperationem, secundario tantum culpam ; propter quod deficit a ratione virtutis. Adjungitur ei erubescentia, quæ præcise oritur ex timore vituperii, cum verecundia in turpibus, quæ agit, ut vitet conspectus publicos inhonestos, sic intrinseca est temperantiæ, ut videatur cum actu ipsius identificari. Nam in spiritualibus idem est honestum ac pulchrum. Pulchrum autem opponitur turpi, quod, cum maxime reperiatur in actu intemperantiæ, pulchrum et honestum maxime relucet in contrario actu temperantiæ. 151. 152.

Dico 2. Partes subjectivæ temperantiæ sunt abstinentia, sobrietas, castitas, seu pudicitia : quibus opponuntur gula, ebrietas, luxuria, seu impudicitia. Abstinentia consistit in moderanda voluptate ciborum. Sobrietas in potus moderatione. Castitas, seu pudicitia in refrænenda concupiscentia, ne venerem appetat, nisi ubi et quando recta ratio dictat. Appellatur autem pudicitia,quia usus venereorum etiam licitus et quodcumque illorum signum, ut visus, amplexus etc., pudorem et verecundiam gignit, ut recte explicat D. Augustinus(lib. 14. de civit. Dei, c. 17. et 18.), 153.

D. Thomas (2. 2. q. 151. art. 4.), Philosophus (lib. 3. Ethicor. cap. 13.).

154. *Dico 3. Partes potentiales temperantiæ* sunt : continentia, mansuetudo, clementia, modestia. Sub modestia in genere continentur : humilitas, studiositas, eutrapelia, modestia morum, modestia cultus etc. Continentia, licet perfecta virtus non sit, aliquo tamen modo est virtus, qua ratio firmatur contra passiones, ne ab eis abducatur. Mansuetudo est virtus iræ moderatrix. Clementia est virtus moderatrix pœnæ in vindicta, quantum ratio communis boni permittit. Modestia generice sumpta est exteriorum et interiorum actionum hominum moderatrix. Humilitas est virtus, qua firmatur animus, ne inordinate extollatur. Studiositas est virtus moderatrix affectus circa studium, impellendo scilicet eum ad sciendum, quæ oportet scire. Eutrapelia est virtus, quæ jocis et ludis modum rationis ponit. Modestia est virtus ponens moderationem in motibus externis corporis. Huic vicina est parcitas, quæ externarum rerum usum ad corpus pertinentium, uti sunt vestes, ornatus et similia moderatur.

155. *Dico 4.* Virtuti temperantiæ correspondet *donum timoris*, quo quis refrænatur a delectationibus carnis, juxta illud Psalm. 118 : « *Confige timore tuo carnes meas.* » Ita D. Thomas (2. 2. q. 141. art. 1. ad 3.). Donum timoris principaliter respicit Deum, cujus offensam vitat, et secundum hoc correspondet virtuti spei ; secundario autem potest respicere quæcumque aliquis fugit ad vitandam Dei offensam. Maxime autem indiget

homo timore divino ad fugiendum ea, quæ maxime alliciunt, circa quæ est temperantia, et ideo temperantiæ etiam correspondet donum timoris. Huic autem dono ut conjuncto virtuti 156.
temperantiæ respondet hæc beatitudo : « *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* » Et ex fructibus correspondent castitas et continentia.

SECTIO X

De subjecto virtutum.

SUMMARIUM

157. Quodnam sit subjectum *quod* virtutum, explicatur. 158. Omnes virtutes tam acquisitæ quam infusæ intellectuales subjectantur in intellectu. 159. Prudentia cum suis partibus subjectatur in intellectu practico. 160. Fides subjectatur in intellectu speculativo. 161. Justitia cum suis partibus residet in voluntate. 162. Fortitudo et temperantia cum suis partibus subjectantur in appetitu sensitivo et quomodo?

Dico 1. Subjectum *quod* virtutum est substantia 157.
intellectus vel per connaturalem identificationem earum cum ipsa vel per communicationem veluti ingenitam, vel per acquisitionem aut infusionem. Primo modo est Deus, in quo sunt virtutes tam intellectuales quam affectivæ, quæ in suo conceptu formali non dicunt vel supponunt imperfectionem, non per modum habitus, nec per modum actus distinctæ sive a Deo sive ad invicem, sed per modum actus purissimi, ut dicunt communiter Theologi cum D. Thoma (1. p. q. 14.). Secundo modo est Angelus, in quo ab initio suæ creationis sunt inditæ virtutes tam intellectuales

quam affectivæ ejus naturæ, convenientes tamquam perfectiones naturales per modum habitus, realiter superadditæ potentiis et ab illis distinctæ. Tertio modo est homo, qui cum in peccato sit conceptus, oritur virtutibus spoliatus et debet illas suis actibus acquirere, vel Deus eas illi simul cum gratia in justificatione infundit. In quo maxime differt ab Angelo, cui hæc in creatione fuerunt inditæ, quod quidem patet ex difficultate, quam homo patitur in exercitio bonorum operum in diversis materiis. Quæ difficultas tollitur per exercitium actuum virtutum et per acquisitionem habituum virtutum, non tamen per habitus virtutum infusarum. Nam cum eis non opponantur immediate vitia, sed tantum virtutibus acquisitis, non possunt tolli habitus vitiorum per habitus infusos. Unde solum auferuntur per habitus acquisitos, qui acquiruntur exercitio actuum, ut bene notat N. P. Philippus a Trinit. (p. 2. tract. 2. discurs. 3. art. 1. Theolog. myst.).

158. *Dico 2.* Omnes virtutes tam acquisitæ quam infusæ, quæ dicuntur intellectuales, subjectantur in intellectu, ubi complete suum eliciunt actum. Unde ex quattuor virtutibus cardinalibus pru-
159. dentia cum suis partibus subjectatur in intellectu
160. practico. Fides autem ex theologicis subjectatur in intellectu speculativo. Et ratio est, quia actus prudentiæ est, dirigere virtutes morales ad finem. Actus vero fidei est, assentiri veritatibus a Deo revelatis. Constat autem, quod primum pertinet ad intellectum practicum cognoscentem, quis sit ordo et proportio mediorum ad finem. Et secun-

dum pertinet ad intellectum speculativum apprehendentem hujusmodi veritates. Aliter dicendum est de aliis virtutibus moralibus. Nam justitia 161.
cum suis partibus residet in voluntate, in qua perficitur actus ejus. Unde definitur, quod sit constans et perpetua voluntas tribuens unicuique quod suum est. Fortitudo vero et temperantia 162.
cum suis partibus subjectatur in appetitu sensitivo ; fortitudo quidem in parte irascibili, temperantia vero in parte concupiscibili, ut suis locis diximus.

SECTIO XI

Non potest una virtus perfecte sine aliis acquiri.

SUMMARIUM

163. Virtus moralis acquisita potest sumi vel in statu perfecto vel imperfecto. 164. Quid sit virtus in statu imperfecto? 165. Quid sit virtus moralis perfecta, exponitur. 166. Virtus perfecta vel potest sumi, ut opponitur virtuti imperfectæ, vel prout dicit virtutem in summo gradu intentionis, vel prout dicit virtutem in gradu heroico. 167. Virtutes morales, quæ perficiunt hominem secundum communem statum una non potest esse in statu perfecto sine aliis. 168. Virtutes morales, quæ perficiunt hominem secundum communem statum, una potest esse in statu imperfecto sine aliis. 169. Virtutes morales acquisitæ, quæ perficiunt hominem secundum aliquem statum eminentem, non sunt semper actu cum aliis in esse perfecto, sed tantum in potentia. 170. Maxime necessarium est ei, qui ad perfectum virtutis statum desiderat ascendere, nullam occasionem exercendi virtutem prætermittere.

Pro hujus sectionis intelligentia notandum est, quod virtus moralis acquisita potest accipi vel 163.
perfecta vel imperfecta. Virtus imperfecta est 164.

quædam inclinatio in nobis existens ad aliquod de genere bonorum faciendum, sive talis inclinatio sit nobis a natura, sive ex assuetudine. Si talis inclinatio sit a natura, non habet essentiam nec modum virtutis etiam imperfectæ formaliter loquendo, quia de ratione virtutis est, quod reguletur et dirigatur per prudentiam, et sic solum materialiater potest dici virtus, si sit ex assuetudine. Vel illa inclinatio est habitus, vel tantum dispositio. Si sit habitus, est quidem essentialiter virtus, sed imperfecta quoad modum et statum. Si autem sit tantum dispositio, sic est virtus imperfecta, ut solum materialiter et apparenter, non autem formaliter et essentialiter sit virtus.

165. Virtus moralis perfecta est habitus inclinans in bonum opus bene agendum, id est ad faciliter, prompte, delectabiliter et firmiter agendum, quantum est ex inclinatione ipsius virtutis. Nam potest fieri, quod ex vertibilitate liberi arbitrii non semper sortiatur effectum, quia virtus subditur, quantum ad usum, libero arbitrio, et non e contra. Liberum vero arbitrium potest deficere ab inclinatione virtutis, donec firmetur in gratia.

166. Secundo suppono, quod virtus perfecta sumitur tribus modis. Primo, ut opponitur virtuti imperfectæ, quæ solum materialiter ac apparenter et non formaliter et essentialiter est virtus. Secundo prout dicit virtutem in summo gradu intentionis, et sic opponitur virtuti imperfectæ, quæ quidem formaliter et essentialiter est virtus, sed remissa seu parum in subjecto radicata. Tertio prout dicit virtutem in gradu heroico, quæ tunc talis

dicitur, quando solet dicere actus eminentissimos, quod non habet virtus intensa, licet sit eadem substantialiter cum virtute in gradu heroico et in eodem gradu intentionis. Nam virtus heroica id habet ex majoribus auxiliis divinæ gratiæ vel ex speciali concursu donorum Spiritus Sancti, quod tamen non habet virtus intensa, sed solum importat majorem in subjecto radicationem et potest minus excellentes actus elicere, ut constat experientia.

Dico 1. Virtutes morales, quæ perficiunt hominem secundum communem statum, ita sunt ad invicem connexæ, ut una non possit esse in statu perfecto sine aliis. Ita communiter Theologi cum D. Thoma (q. 1. de virtutibus, art. 2. et 12. et q. 61. art. 1.). Ratio est, quia nulla virtus moralis potest esse perfecta sine prudentia perfecta. Sed non potest dari perfecta prudentia absque omnibus virtutibus moralibus, quæ perficiunt hominem secundum communem statum. Ergo non potest dari una virtus moralis perfecta sine aliis. 167.

Dico 2. Virtutes morales, quæ perficiunt hominem secundum communem statum, non sunt adeo connexæ, ut una non possit esse in statu imperfecto sine aliis, sed de facto id sæpe accidit. Ita D. Thomas (1. 2. q. 65. art. 1.). Ratio est, tum quia diversa sunt objecta virtutum, tum quia potest quis exercere actus unius virtutis absque eo quod exerceat actus aliorum, et hoc ordinarie contingit. Cum enim materiæ virtutum sint diversæ, non semper simul concurrunt, sed sæpe separatim occurrunt. Unde cum virtutes per actus 168.

proprios acquirantur, sequitur, quod una virtus moralis possit esse in statu imperfecto sine aliis.

169. *Dico* 3. Virtutes morales acquisitæ, quæ perficiunt hominem secundum aliquem statum eminentem et quarum materiæ non occurrunt communiter cuilibet exercendæ, non sunt semper actu cum aliis in esse perfecto consideratis connexæ, sed solum in potentia proxima. Ita D. Thomas (1. 2. q. 65. art. 1. ad 1.). Ratio est, quia exercitium circa materias harum virtutum non occurrit communiter unicuique. Ergo optime potest aliquis habere virtutes morales acquisitas sine hoc, quod habitus harum virtutum habeat actu, sed tantum in potentia proxima, ut si quis per exercitium adeptus est liberalitatem circa mediocres donationes, si superveniat ei abundantia pecuniarum, modico exercitio acquiret magnificentiæ habitum.

170. Ex his manifeste apparet, quam necessarium sit ei, qui ad perfectum virtutis statum pertingere optat, nullam occasionem exercendi virtutem prætermittere, propter multam redundantiam materiæ unius in aliam, ne defectus, quem circa unum committit, redundet in cæteris.

SECTIO XII

Simpliciter est necessaria charitas ad acquirendas et conservandas virtutes.

SUMMARIUM

171. Virtutes theologicæ priores possunt esse in homine sine posterioribus, non tamen e contra. 172. Virtutes morales infusæ non

possunt esse sine charitate. 173. Charitas non potest esse sine virtutibus moralibus infusis. 174. In statu naturæ lapsæ non possunt virtutes morales acquisitæ denuo acquiri et conservari in esse perfecto sine charitate, bene tamen quoad essentiam. 175. Virtutes acquisitæ in esse perfecto sine charitate non merentur nomen virtutis. 176. Homini profitenti virtutem necessarium nimium est, conservare gratiam et charitatem.

Dico 1. Virtutes theologicæ priores possunt esse in homine sine posterioribus, non tamen e contra. Unde potest esse in homine fides sine spe et charitate et fides et spes sine charitate, non tamen potest esse spes sine fide et charitas sine fide et spe. Casu tamen, quod fides et spes sint sine charitate, non habent tunc perfectam rationem virtutis. Ita D. Thomas (1. 2. q. 62. art. 4. et q. 65. art. 4.) et alii communiter Theologi. 171.

Dico 2. Virtutes morales infusæ non possunt esse sine charitate. Et ratio est, quia virtutes morales infusæ non possunt esse sine prudentia infusa, sed prudentia infusa non potest esse sine charitate, ergo nec aliæ virtutes infusæ. Minor patet, quia non potest dari perfecta prudentia infusa sine perfecta rectitudine appetitus circa finem. Sed sola charitas rectificat appetitum circa finem ultimum supernaturalem, ad quem ordinantur omnes virtutes morales infusæ. Ergo virtutes morales infusæ non possunt esse sine charitate. Minor etiam liquet, quia licet spes aliquo modo rectificet appetitum circa finem ultimum supernaturalem, non tamen illum perfecte rectificat. Tum quia non rectificat circa ipsum in se consideratum, sed tantum circa ipsum ut non consequendum et ut est terminus imperfecti amoris. 172.

Tum quia adhuc non rectificat illud hoc imperfecto modo, nisi ut est formata charitate, quia spes sine charitate est mortua. Unde sic non movet ad ultimum finem per actus meritorios, quibus tantum potest haberi finis ultimus.

173. *Dico 3.* Charitas non potest esse sine virtutibus moralibus infusis. Ita D. Thomas (de Charitate, q. 1. art. 2. et 1.2. q. 65. art. 3.). Ratio est, quia Deus in unoquoque ordine, sive gratiæ, sive naturæ, ad quæcumque dat inclinationem, et dat etiam formas aliquas, quæ sunt principia operationum et motuum, ad quæ res inclinatur. Sed Deus per charitatem dat inclinationem ad operationes supernaturales virtutum. Ergo cum charitate infunduntur habituales formæ expedite producentes actus supernaturales virtutum, ad quos charitas inclinat. Sed hæ habituales formæ sunt virtutes morales infusæ. Ergo charitas non potest esse sine virtutibus moralibus attenta rerum natura.

174. *Dico 4.* In statu naturæ lapsæ non possunt virtutes morales acquisitæ de novo acquiri vel conservari in esse perfecto sine charitate, bene tamen quoad essentiam. Primum probatur, quia peccatum, quo charitas excluditur,corrumpit perfectionem prudentiæ. Sed sine perfecta prudentia non possunt dari perfectæ virtutes. Ergo. Quoad secundum vero etiam liquet, quia experientia videmus peccatores faciliter sæpe elicere actus virtutum. Sed hoc indicat, in ipsis adhuc esse habitus virtutum acquisitarum secundum essentiam, quamvis in brevi peribunt, nisi ad statum gratiæ

cito redeant, quia unum peccatum trahit aliud. Ergo.

Dico 5. Hæ virtutes acquisitæ sine charitate 175.
non merentur nomen virtutis, sed sunt virtutes falsæ, utpote charitate orbatæ. Ita D. Augustinus exponens illud Apostoli ad Roman. 14. : « *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* » Et ratio est, quia licet tales habitus habeant essentiam virtutis, non tamen habent statum et perfectionem illius etiam ordinis naturalis, quia non conjunguntur charitati, a qua elevantur, ut respiciant finem supernaturalem et habentem faciant simpliciter perfectum. Adverte tamen, charitatem posse esse sine virtutibus acquisitis, ut videmus in parvulis justificatis et aliquando in adultis, qui statim per justificationem non acquirunt virtutes acquisitas, sed eas postea per actus acquirunt.

Ex dictis colligitur, quam sit necessarium ho- 176.
mini virtutem profitenti, gratiam et charitatem conservare, et quam nocivum et periculosum sit, illis manere privatum. Et quamvis nullum aliud esset damnum et periculum, quam virtutum perfectione sic hominibus connaturali carere, magnum adhuc foret judicandum. Quid enim magis est hominibus disconveniens, quam connaturali hac virtutum perfectione privari ?

SECTIO XIII

De multiplici medio ac modo acquirendi virtutes.

SUMMARIUM

177. Primum medium ad acquirendam virtutem est ejus cognitio.
178. Secundum medium est magna ipsius æstimatio seu appre-

tiatio. 179. Tertium medium est postulatio ipsius a Domino. 180. Quartum medium est diffidentia sui et confidentia in Deo. 181. Quintum medium est, velle in omnibus Christum imitari. 182. Sextum medium est exacta mandatorum Dei custodia et legum observantia. 183. Debet etiam dari ingens desiderium acquirendi virtutem et operis executio.

177. *Dico 1.* Primum medium ad acquirendam virtutem est *ejus cognitio.* Numquam enim voluntas fertur in incognitum, immo nec ferri potest, ut docent Philosophi, et experientia testatur. Est autem necessaria hæc cognitio, quia sæpe vitia virtutes se esse mentiuntur. Nam sæpse sub parcimoniæ nomine tenacia se palliat et effrenata ira spiritualis zeli virtus æstimatur. Unde necesse est, ut rector animarum virtutes ac vitia vigilanti cura discernat, ut bene notavit D. Gregorius
178. (2. parte pastoralis, c. 9.). Secundum medium est magna ipsius æstimatio, seu appretiatio. Certum quippe est, quod etsi aliquid sit in se optimum, illud tamen non libenter amplectimur, nisi pro meritis æstimemus ac magno in pretio habeamus.
179. *Dico 2.* Tertium medium ad acquirendam virtutem est *postulatio ipsius.* Cum enim propria industria ac diligentia sine divinis auxiliis virtutem acquirere non valeamus et aliunde « omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit, descendens a patre luminum », debemus a Deo virtutem postulare, juxta consilium Spiritus Sancti (Jacob. 1.) : « *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter. Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* »
180. Quartum medium est diffidentia sui et *confiden-*

tia in Deo, juxta illud Psalm. 117. : « *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.*»

Dico 3. Quintum medium ad acquirendam virtutem est, *velle Christum in omnibus imitari*, in quo virtutes omnes mirabiliter elucent,ut docet D. Bernardus (Serm. 22. in Cantica.). Sextum medium est exacta mandatorum Dei custodia, et in viris religiosis observantia rigida. Cujus ratio est, quia tam regula divina, quam regula religionis est de actibus virtutum, et illa cunctis est Christianis debitæ operationis mensura ; ista vero viris est religiosis convenienter operandi norma. Unde facillime in illius exacta custodia et in istius rigida observantia virtutes acquiruntur. 181. 182.

Dico 4. Postquam vir Deo consecratus ex adductis motivis ingens acquirendæ virtutis desiderium concepit, debet se statim accingere operi, quia, ut vulgo dicitur, *nihil volenti difficile*.Debet deinde *desiderium* hujusmodi,quo ad virtutis acquisitionem impellitur, *fovere ac augere* ex consideratione fructus percipiendi seu fruitionis possidendæ per adeptionem virtutum, quæ superat omnem mentis cogitationem. Insuper debet semper habere præ oculis id, quod facit, et agere quod agit, id est frequenter acquirendæ virtutis *intentionem renovare*, ut sic occurrentibus passim occasionibus exercendæ virtutis tam actus internos quam externos eliciat, nec ullam exercitii tam sancti prætermittat occasionem. Sic enim breviter ac facile virtus acquiritur. Denique debet quotidie virtutis alicujus, quam specialiter tunc exercere decreverit, *determinatos numero* actus 183.

elicere singulisque diebus suam examinans conscientiam considerabit inter alia, an in hac fuerit parte fidelis.

SECTIO XIV

In statu viæ illuminativæ virtutes sunt in gradu superiori.

SUMMARIUM

184. In via purgativa virtus incipit apparere. 185. In via unitiva cernuntur virtutes in gradu heroico. 186. In via illuminativa sunt virtutes in gradu superiori. 187. Probatur ratione. 188. In gradu viæ illuminativæ quomodo debeat virtus potentias illustrare? 189. Virtutes morales dividuntur in politicas, purgatorias et purgati animi, et quid hæc virtutum divisio significet?

184. *Dico 1.* Licet virtutis exercitium sit omnino necessarium in toto vitæ spiritualis et perfectionis decursu, diversimode tamen datur in via purgativa, illuminativa et unitiva. Nam in via purgativa virtus tunc exsurgens de novo incipit per peccatorum evacuationem, per vitiorum eradicationem, per passionum moderationem ac per appetitus mortificationem aliqualiter apparere. In
185. via unitiva cernuntur virtutes in grandu heroico et sic potentias perficiunt, ut jam ab omnibus externis liberæ ac in se ipsis collectæ Deo suaviter adhæreant, ac in ipso quodammodo transformatæ quadam inchoata beatitudine perfruan-
186. tur. Restat nunc demonstrandum, quod virtus in statu viæ illuminativæ sit in gradu superiori, qui sit medius inter infimum viæ purgativæ ac viæ unitivæ, quod quidem sic ostenditur.

Quia in hoc statu viæ illuminativæ tres animæ potentiæ, intellectus scilicet, voluntas et memoria superiori quodam modo se habent, quam se habuerint in via purgativa, sed inferiori eo, quo se habebunt in statu viæ unitivæ. Ergo necesse est,quod omnes virtutes morales inter se connexæ aliter se habeant in hoc statu viæ illuminativæ, quam in primo et ultimo. Sed in primo firmant potentias, ne decidant in peccata, passiones et appetitus, et in ultimo, ut Deo adhæreant et illo fruantur. Ergo in hoc gradu viæ illuminativæ taliter debent potentias illustrare, ut cordi tranquillitatem ac menti profundam pacem contemplationi necessariam relinquant. Sed hoc non habent, nisi sint in gradu superiori, quam sunt in via purgativa. Ergo in statu viæ illuminativæ virtutes sunt in statu superiori. 187. 188.

Unde D. Thomas (1. 2. q. 61. art. 5.) explicans hunc triplicem statum virtutum correspondentem triplici viæ perfectionis, eas dividit in *politicas*, *purgatorias et purgati animi*. Virtutes politicas vocat virtutes, quæ sunt necessariæ ad vitia comprimenda et passiones moderandas juxta exigentiam societatis humanæ, qualiter reperiuntur in via purgativa. Purgatorias vero vocat virtutes exemplares et divinas, hoc est in divinam similitudinem tendentes. Virtutes vero purgati animi appellat virtutes assequentium divinam similitudinem,quas quidem virtutes dicimus esse beatorum vel aliquorum in hac vita perfectissimorum, qui scilicet ad statum viæ unitivæ pervenerunt. 189.

SECTIO XV

Certis indiciis virtutes acquisitæ demonstrantur.

SUMMARIUM

190. Ponitur primum indicium virtutis acquisitæ et explicatur. 191. Ponitur secundum indicium illius et exponitur. 192. Ponitur tertium indicium et demonstratur. 193. Ponitur quartum indicium et declaratur. 194. Quid facere debeat, qui in se ipso talia acquisitæ virtutis indicia apprehendit ?

190. *Dico 1.* Primum indicium ac penitus evidens acquisitæ virtutis in gradu perfecto, secundum quem in hoc statu viæ illuminativæ requiritur, est, si quis videat, se *facile*, *prompte*, *uniformiter*, *constanter ac delectabiliter* circa ejus materiam *operari*, cum tamen prius difficulter, lente, difformiter, inconstanter ac mœste circa eam operaretur. Et ratio est, quia virtus est habitus mentis. Sed habitus ex propria natura habet, quod inclinet cum suavitate, constantia et promptitudine et uniformitate subjectum, cui inhæret, ad objectum illorum actuum, quorum frequentatione genitus fuit. Ergo cum quis in se ipso talem inclinationem, facilitatem, promptitudinem et uniformitatem et delectationem in operibus virtutum expertus fuerit, indicium evidens est, se virtutes ex auxiliis divinæ gratiæ acquisivisse et se eas in gradu perfecto possidere. Absque dubio virtutem habet, qui non se difficilem et morosum ad ejus opera, sed agilem ac expeditum advertit.

191. *Dico 2.* Secundum indicium acquisitæ virtutis est, *carere præcedentium vitiorum impugnatione*

et importuna passionum molestia. Ratio est, quia eadem virtus et reprimit actus vitii contrarii et elicit actus oppositos, quibus paulatim perficitur. Ergo qui se jam sentit carere vitiorum impugnatione et passionum molesta importunitate, quibus antea premebatur, debet concludere, se divino beneficio virtutes acquisivisse, ac Deo benefactori gratias impendere. Permittit tamen aliquando Deus, quod in viris sanctissimis inordinatos materialiter passionum motus videamus, quos in ipsis relinquit, vel ad exercitium humilitatis, vel ad augmentum meriti, et tunc videntes eos excusare debemus aut justo pietatis motivo aut surreptione aut passionis concitatæ violentia.

Dico 3. Tertium indicium acquisitæ virtutis est 192.
exacta mandatorum Dei custodia et in viris religiosis rigida suarum legum observantia. Cum enim Dei mandata sint de virtutum actibus et religiosæ leges sint de meliori bono et illarum custodia præsupponat, præcessisse multos virtutum actus, necessario sequitur, quod mediis illis actibus adsint in anima virtutes acquisitæ in gradu perfecto, quæ sint principium aliorum actuum similium observantiæ. Quartum tandem indicium 193.
acquisitæ virtutis est, maximum in se ipso experiri *desiderium proficiendi in virtute.* Nam virtus gustata et possessa desiderium sui gustantibus accendit, et quo magis gustatur, magis accendit desiderium. Cui indicio debet adjungi *desiderium imitandi Christum.* Imitatio quippe Christi Domini in perfectissimarum virtutum exercitio consistit.

194. *Dico 4.* Qui talia acquisitæ virtutis indicia apprehenderit in se ipso, gratias primo benefactori Deo referat, cujus auxiliis virtutem acquisivit. Deinde coram Domino totis visceribus humilietur, qui negligenti ac inutili servo tantum contulit beneficium. Denique nihil de se ipso præsumat, ne desidiosus efficiatur, quasi totum fecerit. Immo credat, se vix incepisse et multo sollicitior attendat, acquisitam virtutem conservare ac augere et in via perfectionis ultra procedere, cum in ea non progredi sit regredi.

SECTIO XVI

De devotionis exercitio, quatenus conducit ad contemplationem.

SUMMARIUM

195. Ponitur devotionis definitio et declaratur. 196. Actus devotionis habet pro objecto cultum Dei. 197. Devotio est primus actus religionis. 198. Contemplatio et meditatio est causa devotionis. 199. Causa principalis et extrinseca devotionis est Deus.

195. *Dico 1. Devotio est actus voluntatis promptæ et paratæ ad faciendum, quæcumque ad Dei servitium et famulatum spectant.* Sumitur autem in hac definitione promptitudo non ex parte subjecti ad agendum, sed ex parte subjecti in ordine ad aliquod objectum, cui afficitur et destinat se. Et hæc promptitudo consistit in affectu et amore, quo quis in exercitio afficitur ad cultum et obsequium divinum, etiamsi non cogitet neque habeat promptitudinem colendi. Hoc enim

pertinet ad actum reflexum, non quo quis est devotus, sed quo quis vult esse devotus et promptus. Hic autem affectus non dicitur devotio, quatenus est ad aliquem particularem actum cultus, verbi gratia orandi vel sacrificandi, sed ut est affectus ad omnem cultum Dei ; et ut melius explicetur, nihil est aliud, quam affectus deliberatus circa obsequium divinum, quia quando quis in neutram partem deliberat, nondum habet promptam voluntatem ad aliquid præstandum. Postquam vero decrevit et deliberavit, redditur voluntas prompta ad faciendum aliquid. Et ita devotio consistit in promptitudine, quæ sit actus deliberatus et vocatur promptitudo deliberationis. Promptitudo vero ad agendum est promptitudo habitus vel dispositionis potentiæ, ut facile et expedite agat.

196. *Dico 2. Actus devotionis habet pro objecto cultum* Dei. Sed sicut ad justum cultum offerimus Deo diversas materias, ut per orationem offerimus et subjicimus intellectum Deo, per adorationem corpus, per sacrificium externa bona, sic per devotionem offerimus voluntatem, quæ, quia est primum, quod offertur in obsequium alicujus, ideo ponitur a D. Thoma (2. 2. q. 82. art. 2.) primus actus religionis. Igitur actus, qui habet pro materia oblata in ordine ad cultum et obsequium Dei voluntatem propriam, dicitur devotio, quasi applicatio quædam voluntatis ad obsequium, in quo differt ab amore. (D. Thom. 2. 2. q. 82. art. 2. ad 1.) Qui amor tradit et applicat voluntatem alteri per modum unionis et affectus,

197.

devotio autem per modum oblationis ad obsequium, quasi redigendo voluntatem ad servitium alterius.

198. *Dico 3.* Contemplatio et meditatio est causa devotionis. Ita D. Thomas (2. 2. q. 82. art. 3.), et probatur ex illo Psalm. 38. : « *In meditatione mea exardescet ignis.* » Nam meditatio est causa ignis spiritualis. Sed ignis spiritualis causat devotionem. Ergo meditatio et contemplatio est causa
199. devotionis. Confirmatur, quia causa extrinseca principalis devotionis est Deus. Sed per meditationem concipit homo, quod se tradat obsequio Dei. Et hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est devotionis causa. Ergo meditatio et contemplatio est causa devotionis. Sed de his vide fusius S. P. N. Joannem a Cruce (sub fine lib. 3. ascensus montis Carmeli.) et N. P. Philippum a Sanctiss. Trinit. (p. 2. tract. 2. discurs. 4. per tot. Summæ Theolog. Mysticæ.).

SECTIO XVII

Instructiones Directorum spiritualium sunt utiles ad ducendam animam ad contemplationem, si sint necessariæ ; secus, si sint superfluæ.

SUMMARIUM

200. Director, quid facere debeat, postquam secreta cordis s idiscipuli cognovit ? 201 Debet Director curare, ut ejus discipuli prius in via activa exerceantur, quam ad contemplationis fastigium ascendant. 202. Maxime debet attendere personas, cum quibus conversatur ejus discipulus. 203. Tentationes, quas solent habere incipientes viam perfectionis in communi viventes. 204. Directores

ab omni specie lucri et avaritiæ debent cavere. 205. Nimia familiaritas inter Directorem et ejus discipulum, præsertim si fuerit fœmina, est vitanda et cur ? 206. Instructiones Superiorum sunt utiles, quando sunt necessariæ ; secus, si sint superfluæ, et cur ? 206. Omnis excessus vitandus est in consultatione Directoris spiritualis.

Dico 1. Ubi Director ab anima erudienda se- 200.
creta cordis acceperit, ad ejus informationem procedere debet. Et in primis debet insistere, ut vitia curentur et exstirpentur, deinde virtutes plantentur in anima sui discipuli, juxta illud (Jeremiæ 1.) : « *Constitui te, ut evellas... et dissipes... et plantes.* » Propterea post exactam confessionem peccatorum, quam generalem esse oportet, si invalidæ aliæ fuerunt, vel de consilio, in assumptione alicujus status, vel mutationis vitæ ad perfectionem tendendo, omnes quoque inclinationes sui discipuli debet Director spiritus agnoscere. Dirigere quoque debet discipulum, ut exerceatur in schola mortificationis et exercitationibus vitæ activæ. Et ubi hæc omnia, quæ ad vitam purgativam pertinent intercesserint, eum ad contemplationem excitet, in ferventibus desideriis et orationibus insistendo, donec post illuminationes has perveniat ad unitivam, in qua est summus contemplationis gradus.

Dico 2. Qui alios in via instruunt ad profectum 201.
spiritualem, notent et diligenter efficiant, ut *prius in via activa exerceri faciant*, quos edocent, seu instruunt, quam contemplationis fastigium suadeant. Oportet siquidem prius passiones domare et habitibus mansuetudinis, patientiæ, liberalitatis et humilitatis etc. sedare, quam ad contemplativam

ascendant ; et ob defectum hujus multi non ambulantes, sed saltantes in via Dei, postquam multum temporis vitæ suæ contemplationi dederunt, vacui virtutibus inveniuntur, impatientes, iracundi, si in hujusmodi tanguntur ; et propterea tales nec activam, nec contemplativam, neque ex utroque compositam habuerunt, sed super arenam fabricarunt. Et utinam non sit frequens defectus iste ! Hæc Cajetanus*. A tectis enim et non a fundamentis ceperunt ædificare, et propterea non potuerunt consummare. Unde vigilent confessarii, nec omni vento assuetæ visionis et hujusmodi moveantur, nisi viderint suum discipulum mortificatum et passionibus sedatis per viam purgativam incepisse et virtutibus ornatum et non per saltum ad contemplationis montem pervenisse. Instruendorum quoque voluntatem frangere curet, et ut sententiæ cedant propriæ, et nihil sine obedientia agant in his, quæ tam præcepta, quam consilia et perfectionem juxta regulas traditas a Sanctis spectat.

202. *Dico 3.* Director maxime attendere debet, *cum quibus convivit ejus discipulus*, maxime si fuerit mulier. Ex convictu namque et conversatione sodalium malæ vel bonæ formæ virtutum vel vitiorum mentibus humanis imprimuntur, ut ait Seneca. Et D. Hieronymus dicebat (Institutio monachi ad Rusticum gallum) : « *Et ne plura replicando fastidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere debere in monasterio sub unius disciplina patris consortioque mul-*

torum, ut ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam. Hic te silentium, ille doceat mansuetudinem. Non facias, quod vis. Comedas, quod juberis. Vestiare, quod acceperis. Operis tui pensum persolvas. Subjiciaris, cui non vis. Lassus ad stratum venias, ambulansque dormites et necdum expleto somno surgere compellaris. Dicas psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur, dicente Apostolo : Psallam spiritu, psallam et mente, et : Cantantes in cordibus vestris Domino. Legerat enim, esse præceptum : Psallite sapienter. Servias fratribus, hospitum laves pedes, passus injuriam taceas. Præpositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem.Credas tibi salutare, quidquid ille præceperit. Nec de majorum sententia judices, cujus officii est obedire et implere, quæ jussa sunt, dicente Moyse : Audi Israel et tace. Tantis negotiis occupatus nullis vacabis occupationibus, et dum ab alio transis ad aliud opusque succedit operi, illud solum mente tenebis, quod agere compelleris. »

Dico 4. Subtilis grandisque tentatio in communi viventes vexare solet, ut in cœnobio privatam vel eremiticam vitam eligere velint, et communitatem bene ordinatam fugiant. Fateor, optimum esse consilium, viris jam perfectis, maxime orationi deditis, aliquando ad hanc eremeticam vitam confugere, ut fit in nostra religione. Illis tamen, qui parum sunt in virtutibus radicati, maxime periculosa est hæc vita eremitica. Et ratio est, quia ut dixit cum Aristotele (1. polit.) D.Tho- 203.

mas (2. 2. q. 188. art. 8.), ille, *qui aliis non communicat, est bestia, aut deus*, id est divinus vir. Non vult D. Thomas vitam eremiticam reprehendere, cum maxime sit laudabilis, sed docere, quod vita solitaria debite assumatur. Nam cum hæc vita præemineat sociali, si absque præcedenti exercitio assumatur, periculosissima est, ut ait Sapiens (Eccle. 4, 10.): « *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se* », nisi per divinam gratiam suppleatur, sicut factum fuit cum B. Antonio et B. Benedicto.

204. *Dico 5. Directores ab omni specie mala avaritiæ et lucri cavere debent*, ut intelligat instruendus, eos imitari Apostolum, qui dicebat : « *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos* ». (II Cor. 12, 14.). Multo periculosius est, si director vitæ spiritualis ita rei familiaris et personæ curam susciperet, ut eam a matre vel patre sejungeret etiam sub specie orationis vel aptioris et quietioris vitæ ad contemplationem etc. Etiamsi mulier instruenda pudicitiæ et omnium virtutum choro vallata sit, fugienda

205. semper est. Unde dicebat Augustinus* : « *Fœminæ, quo sanctiores sunt, eo magis alliciunt et sub prætextu blandi sermonis immiscet se virus impiissimæ libidinis. Crede mihi, Episcopus sum, Episcopum loquor, non mentior : Cedros Libani* », hoc est contemplationis altissimæ homines, « *et magnos prælatos sub hac specie corruisse reperi.* »

206. Hinc fit, quod licet instructiones superiorum vel confessorum vel directorum spiritualium sint utiles, quando sunt necessariæ, sæpius tamen sunt superfluæ. Et quamvis majus appareat pe-

riculum, illas contemnere tempore necessitatis, est tamen aliquale periculum, illas quærere, dum non urget necessitas. Sunt enim aliquæ personæ pietati consecratæ, præsertim mulieres, quæ prætextu devotionis, plus nimio suos directores frequentant, mille proponunt ineptias ac dubia inutilia, quibus directores complacere volentes et sibi nocent et illis. Quam melius foret, si directores illas tantum de rebus ad salutem necessariis juxta cujuscumque statum instruerent et alia superflua ac inutilia dimittentes praxim potius virtutum, quam speculationem suaderent ! Ex hoc etiam majora solent mala contingere. Nam ex nimia familiaritate, quæ in similibus conferentiis contrahitur, paritur ex una parte contemptus ; nam vulgo dicitur : *nimia familiaritas parit contemptum ;* ex alia vero parte sensualis affectio reviviscit. Et utrumque est maximum malum et perfectionis impedimentum.

Concludamus igitur et quasi certam proponamus doctrinam, quod sicut necessarium est, in dubiis conscientiæ directorem spiritualem consulere, ne supervenientibus animæ dubiis in medio sistat itinere et non progrediendo regrediatur, vel etiam ne decipiatur a dæmone et pereat ejus insidiis, ubi se tutam arbitrabatur, sic etiam necessarium est in tali consultatione propter adductas rationes, *superfluitatem et excessum vitare*, ne devotio diminuatur et transeat in affectum cordis. 207.

DISPUTATIO III

De illuminatione passiva tam partis cognoscitivæ quam affectivæ in contemplatione supernaturali et infusa.

SECTIO I

Quid sit contemplatio supernaturalis et infusa ?

SUMMARIUM

208. Cur contemplatio supernaturalis dicatur infusa, exponitur. 209. Ponitur definitio contemplationis supernaturalis infusæ, et explicatur. 210. Quid requiratur, ut contemplatio dicatur supernaturalis, exponitur. 211. Lux supernaturalis contemplationis nonnisi perfecte purgatis ac mundis mentibus communicatur.

208. Pro hujus sectionis intelligentia notandum est, quod contemplatio supernaturalis non dicitur infusa eo quod actus ipse contemplationis a Deo immediate infundatur, hoc enim est impossibile. Nam cum actus contemplationis sit actus vitalis, debet procedere a principio intrinseco vitali, nempe ab intellectu contemplantis. Sed dicitur infusa, quia principium proximum illius, scilicet donum intellectus vel sapientiæ a Deo immediate infunditur, vel quia ipse contemplationis actus ita suavis et delicatus est, quod intellectus agere se non percipiat, unde potius divina patiens, quam agens dicatur et actum contemplationis per infusionem recipere, non autem dicere credatur.

209. *Dico 1. Contemplatio supernaturalis et infusa est prompta et clara cognitio summæ Deitatis vel*

ejus effectuum ab intellectu vel sapientiæ dono proveniens. Hæc descriptio convenit omni contemplationi supernaturali, sive infimæ, sive mediæ, sive supremæ, et infra declarabitur. Dicitur: clara cognitio a dono intellectus vel sapientiæ dimanans, ut contemplationem acquisitam excludamus, quæ præterquam ab habitu prædictorum donorum non dimanat, non ita prompte et clare ad divinorum intuitionem assurgit. Nam illa meditatione præmissa ad veritatis aspectum non sine labore conscendit. Hæc vero quasi in ictu oculi omnia creata transcendens supra divinitatis montem (*) a Deo ipso rapitur. Quomodo autem hæc infusa contemplatio procedat a dono intellectus, quomodo a dono sapientiæ, vel ab alio altiori principio, vel a scientia infusa, et de differentia, quæ datur inter hæc dona, infra fusius dicemus.

Dico 2. Ut contemplatio dicatur supernatura- 210.
lis, non sufficit, ut per viam fidei supernaturalis procedat, ut procedit contemplatio acquisita. Nam fides solum concurrit ad talem actum remote et extrinsece ex parte objecti, et non ut principium proximum intrinsecum elicitivum, ut patet in assensu theologico, qui per habitum theologicum immediate procedens et mediate per habitum fidei assentientis principiis fidei, non est ab ipsis supernaturalis, sed est ab illo naturalis, quia a principio proximo elicitivo modificatur et ad ordinem naturalem deprimitur. Nos autem

(*) In prioribus editionibus habetur *mentem*.

loquimur de contemplatione intrinsece et quoad substantiam actus supernaturalis, et non tantum ex parte objecti, quæ ut talis sit, requiritur, quod procedat immediate a principio elicitivo supernaturali. Hoc autem principium in contemplatione infusa est aliquod donum Spiritus Sancti, vel aliqua scientia infusa, vel aliud lumen superius, ut infra dicemus.

211. *Dico 3.* Hæc lux contemplationis supernaturalis nonnisi perfecte purgatis ac mundis mentibus communicatur. Ita D. Gregorius (lib. 24. moralium) et Dionysius Carthusianus (de fonte lucis, cap. 8.). Nam cum Deus sit essentialiter sapientia infinita et lux splendidissima, nonnisi perfecte purgatis ac mundatis mentibus communicatur. Quando tamen videt animam prædicto modo purgatam, humilitate, patientia, cæterisque virtutibus informatam veritatisque avidam et fonti sapientiæ inhiantem ac de se perillustrari affectantem, mox vultum suum super eam illuminat sapientiæ radio, eam clarificat, se ipsum ei præ solito clarius gloriosiusque ostendens atque incerta et occulta sapientiæ propalans, ita ut ea, quæ fidei sunt, rationesque credendorum et nexum ac ordinem credibilium subtiliter speculetur, ita ut lætabunda ac grata mente decantet cum Psalmista (Psalm. 15.) : « *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum* ».

SECTIO II

De quattuor causis contemplationis infusæ.

SUMMARIUM

212. Quid sit subjectum *quod* seu causa materialis contemplationis infusæ, explicatur. 213. Quid sit illius subjectum *quo*, demonstratur. 214. Quid sit illius causa formalis, exponitur. 215. Quid sit ejus causa efficiens, ostenditur. 216. Quæ sit ejus causa finalis, declaratur.

Pro hujus sectionis intelligentia notandum est, quod cum cuilibet enti quattuor causæ assignentur, scilicet materialis, formalis, efficiens et finalis, necesse est, ut hujusmodi causas contemplationi infusæ assignemus.

Dico 1. Causa materialis seu subjectum *quod* 212.
contemplationis infusæ est natura intellectualis,
sive sit divina, angelica vel humana. Subjectum 213.
quo est potentia, qua contemplatur, quæ est intellectus, qui dicitur oculus mentis non secundum sua naturalia tantum, sed ut illustratus donis Spiritus Sancti, et ad ordinem gratiæ per hujusmodi dona sublimatus. Quamvis autem contemplatio procedat ab intellectu et in eo reperiatur utpote actio immanens, cujus est idem subjectum quo elicitivum et subjectum quo receptivum, attamen si vere supernaturalis est, in ipsam influit voluntatem. Est enim virtualiter transiens in aliam potentiam ejusdem suppositi. Ita D. Thomas (2.2.q. 180. art. 1.) Et ratio est, quia nascitur ex charitate et Dei amore et ad idem terminatur. Unde mirabilis est in contemplatione circulus.

Amor namque Dei ad ejus contemplationem excitat, quæ contemplatio majorem parit amorem erga ipsum Deum, cujus pulchritudinem ac bonitatem in contemplatione videt.

214. *Dico 2. Causa formalis* contemplationis est simplex intuitus divinæ veritatis, ut diximus sectione præcedenti. Per hoc enim constituitur contemplatio in suo esse formali et constitutiva. Ad eam tamen requiritur lux supernaturalis ex parte potentiæ contemplativæ et manifestatio ex parte objecti. Cum enim contemplatio sit actio supernaturalis, non potest nisi a principio supernaturali elici, nec objectum attingere, nisi debite propo-
215. situm ac manifestatum. *Causa efficiens* contemplationis infusæ est Spiritus Sanctus cum suis donis et intellectus creatus talibus dotibus illustratus. Et ratio est, quia ad omnes actiones supernaturales cujuscumque creaturæ concurrunt Deus et ipsa creatura : Deus ut causa proxima per virtutem supernaturalem creaturæ communicatam, quæ est totalis virtus agendi proxima ; creatura vero solum concurrit radicaliter vitaliter. Concurrit tamen ut vera causa principalis, et non ut instrumentum, quia licet intellectus concurrat ad aliam actionem, ut motus a dono illo supernaturali, per modum cujusdam motionis transeuntis et non per modum habitus, concurrit tamen ab intrinseco, siquidem concurrit actione vitali, quæ necessario procedit a principio intrinseco vitæ, non solum ut moto, sed etiam ut elevato ad actionem contentam intra latitudinem sui objecti. Nam Deus etiam ut intellegibilis contemplatione super-

naturali continetur intra latitudinem objecti extensivi nostri intellectus.

Dico 3. Causa finalis contemplationis infusæ est finis,ad quem ordinatur vel proxime ac immediate sive ab intrinseco et remote ac mediate sive ab extrinseco. Finis proximus et immediatus et intrinsecus contemplationis infusæ est objectum, scilicet Deus ipse cum suis effectibus supernaturali lumine et modo supernaturali cognitus. Finis remotus et mediatus et extrinsecus contemplationis infusæ est intima , arcana et felicissima animæ contemplativæ cum Deo per amorem fruitivum unio. Hæc enim mirabilis creaturæ rationalis unio cum Deo per amorem fruitivum ac transformativum est totius vitæ spiritualis intentus ac præfixus a Deo finis, cujus deliciæ sunt, esse cum filiis hominum. 216.

SECTIO III

De proprietatibus et effectibus contemplationis supernaturalis et infusæ.

SUMMARIUM

217. Declaratur prima proprietas contemplationis. 218. Secunda proprietas illius exponitur. 219. Tertia illius proprietas declaratur. 220. Contemplationem sæpissime delectatio consequitur. 221. Effectus contemplationis supernaturalis enumerantur.

Dico 1. S. Gregorius (super Ezechiel.homil.14.) proprietates divinæ contemplationis refert dicens: « *Vita contemplativa amabilis valde dulcedo es, quæ super semetipsam animam rapit, cœlestia* 217.

aperit, spiritualia mentis oculis patefaciens. » Harum igitur prima est, quæ per semetipsam animam rapit, ut significet non quamcumque elevationem mentis in Deum esse contemplationem supernaturalem ; sed illam tantum, in qua anima illustrationibus donorum Spiritus Sancti prætacta, non humano, sed divino potius modo rapitur ad divina ; rapitur, inquam, non raptu violento et ecstatico, sed quando media Spiritus Sancti motione ad æternorum contemplationem suavissime trahitur, ita ut elevatio non tam activa, quam passiva, non tamen excludens arbitrii nostri libertatem omnino videatur.

218. *Dico 2.* Secunda proprietas contemplationis supernaturalis est suspensio, quæ nihil aliud est, quam quædam a rebus terrenis ad Deum et quæ Dei sunt, quasi violenta elevatio, de qua locutus fuit Job (7.), quando dixit : « *Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea ;* » quasi diceret: Optavi mortem omnium inordinatarum affectionum ac animæ passionum, et earum omnium oblitus, ac si essem mortuus, elegi suspensionem a rebus quibuscumque creatis, ut animus sic elevatus divina posset commodius intueri. Ita explicat D. Gregorius hunc locum Job. (8. Moralium, cap. 14.) dicens : « *Anima suspendium elegit, ut ossa moriantur, quia dum mentis intentio ad altum se sublevat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat* ». Hæc autem suspensio, quamvis alias dulcissima videatur, non incongrue violenta dici potest, non absolute, sed inspecto homine post peccatum lapso, cui velut connaturale

est, rebus visibilibus ac terrenis tenacissime adhærere.

Dico 3. Tertia proprietas contemplationis supernaturalis est, cœlestia aperire, quia ut ait N. Thomas a Jesu (de contempl. div. lib. 1. c. 6.) ille Spiritus ejusdem excitator magnificus januas cœli aperit, magnitudinem multitudinemque divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ostendit mentibus contemplativis ac ingressis illis profundissima suæ gloriæ arcana revelat, ut fecit S. Joanni Evangelistæ (Apocalyps. 4.), cui apertum fuit ostium in cœlo, et vox quædam tamquam tuba dixit : « *Ascende huc, et ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc* ». Qui cum pareret vocanti, statim ait : « *Fui in spiritu* », hoc est, in illum locum ingressus. Unde aperire cœlum, divina penetrare, est proprius effectus doni intellectus. Est enim veluti clavis aurea, quæ corticem sensibilium aperiens thesauros et divitias Dei omnipotentis intus latentes manifestat ac usque ad ipsum Deum pure ac nude conspiciendum pertingit. 219.

Dico 4. Contemplationem sæpissime delectatio consequitur. Nam cum contemplatio supernaturalis sæpissime et ut in plurimum a sapientiæ dono promanat, quæ miram dulcedinem causat, necesse est, ut voluptas maxima ex contemplatione procedat. Quare merito D. Gregorius (homil. 14. in Ezechielem) contemplationem non tam delectabilem, quam ipsam delectationem et dulcedinem vocat, inquiens : « *Contemplativa vita amabilis valde dulcedo est* ». Nam cum sit sum- 220.

mæ Deitatis intuitus et conversatio mentis cum Deo, non potest non conjunctam habere dulcedinem valde amabilem. Dicitur enim Sap. 8., quod hæc divina sapientia tam dulcis et suavis sit, quod non habeat amaritudinem conversatio illius nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium.

221. *Dico 5.* Effectus supernaturales contemplationis præcipui sunt : admiratio, delectatio mentis, nova illustratio, ardentissima, ecstatica et anagogica dilectio, id est sursum ducens ac rapiens ad divina. Aliquando etiam provenit ex contemplatione inæstimabilis quædam jucunditas, quæ jubilatio dicitur, ad omnes virtutum functiones, mira animi agilitas ac promptitudo ac demum alii multi, de quibus quarta parte hujus operis specialiter ac sigillatim opportunius agemus et quæ nunc brevitatis causa omittimus.

SECTIO IV

Debent omnes ad contemplationem supernaturalem aspirare.

SUMMARIUM

222. Bonum dividitur in honestum, utile et delectabile. 223. Quid unumquodque illius importet ? 224. Contemplatio supernaturalis habet hanc triplicem rationem boni. 225. Contemplatio tam ex parte principii, objecti et finis, quam ex parte subjecti et sui ipsius est honestissima. 226. Contemplatio est bonum omnium utilius. 227. Nihil est delectabilius actu contemplationis. 228. Ponitur quædam objectio et solvitur. 229. Omnes, præcipue qui ex obligatione status ad illam obligantur, debent aspirare ad contemplationem.

222. Pro hujus sectionis intelligentia notandum est,

bonum dividi in honestum, utile et delectabile.
Bonum honestum dicitur, quod propter se ipsum 223.
desideratur ; utile, quod non habet in se, quatenus tale, aliquid, ratione cujus desideretur, sed desideratur propter aliud, sicut sumptio medicinæ amaræ ; bonum delectabile est illud, quod ut tale nullam habet aliam rationem appetibilis, nisi delectationis, cum aliquando sit et noxium et inhonestum.

Dico 1. Contemplatio supernaturalis habet 224.
hanc triplicem rationem boni. *Est enim plurimum honesta, utilis et delectabilis.* Ergo omnes fideles debent ad illam aspirare tamquam ad optimam partem juxta illud dictum Christi : « *Maria optimam partem elegit* ». Antecedens patet, quia contemplatio tam ex parte principii, objecti et finis, quam ex parte subjecti et sui ipsius *est honestis-* 225.
sima. Ergo maxime ab omnibus appetenda est. Probatur discurrendo per omnes partes antecedentis, quia contemplatio habet pro principio Spiritum Sanctum, pro objecto Deum, pro fine habet cum Deo intimam unionem fruitivam, pro subjecto habet intellectum hominis elevatum Spiritus Sancti donis. Ipsa in se est actus perfectissimus, sed nullum potest esse principium honestius, nec aliud potest esse objectum honestius, quam Deus, nec honestior finis, quam illa intima unio animæ cum Deo, nec honestius subjectum, quam intellectus. Ergo contemplatio ex omni parte est bonum summe honestum.

Quod autem sit *bonum omnium utilius* etiam 226.
liquet, quia homo per contemplationem plurima

acquirit merita, quibus ad æternæ gloriæ beatitudinem conducitur. Tum quia merita vitæ contemplativæ majora sunt, quam vitæ activæ. Et ideo Martha postulabat a Domino, ut mitteret Mariam, quæ eam adjuvaret. Tum quia majorem utilitatem affert Ecclesiæ Dei. Tum quia viri contemplativi plus illam adjuvant suis orationibus, quam prædicatores sua prædicatione. Tum quia fulgent in Ecclesia sua laudabili vita et majori

227. copia miraculorum. Ergo. Quod autem *nihil sit delectabilius actu contemplationis*, etiam liquet, tum quia illius principium et objectum est Deus, ejus finis est unio cum Deo, ejus subjectum est intellectus illustratus, et ipsa secundum se etiam est dulcissima, cum in quadam quiete et vacatione divina consistat, juxta illud Psalm. 45 : « *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus.* » Ergo omnes debent aspirare ad contemplationem ut meliorem partem.

228. Nec obstat, quod contemplatio supernaturalis sit maxime difficilis et periculosa, cum sæpe diabolus se transformet in angelum lucis et plurimos decipiat. Respondetur namque, quod non est tam difficilis, quod non possit intendi ab hominibus, cum plurimos viderimus maxime contemplativos. Pericula autem plurima sunt in vita activa, quæ enumerat S. Paulus (2. ad Corinth. 11.) : « *Periculis fluminum* » etc. Et licet aliqui inveniantur decepti in hac via, plures sunt, qui decipiuntur in via activa. Sed isti propter suam raritatem ideo magis noti et admirabiles sunt, cum alias a dæmone seducti in via activa multo

plures sint. Debent igitur omnes ad hoc exercitium aspirare, nec debet quisque a sua imperfectione retardari, quin potius consideret, quod Deus imperfectis aliquando sublimem contemplationis gradum misericorditer ac libenter concedit, ut eos perficiat et alios ad tam sanctum, tam utile tamque jucundum contemplationis exercitium excitet et perducat.

Dico 2. Quamvis omnes debeant ad contem- 229.
plationem supernaturalem aspirare et media proportionata ad eam comparandam adhibere, maxime hoc debent facere, qui ex proprio instituto ad illam obligantur. Ad directorem tamen vitæ spiritualis pertinet, ut eos, quos dirigit, pro cujusque capacitate et aptitudine, vel immediate contemplationis exercitio, vel ad vitæ activæ opera magis aut minus occupando, mediate tantum contemplationi præparet. Non enim omnes æque sunt apti ad contemplationem, ut experientia constat.

SECTIO V

De mediis, quibus ad contemplationem supernaturalem pervenitur.

SUMMARIUM

230. Contemplatio supernaturalis infusa est donum Dei et gratia particularis, quæ nostro labore comparari non potest. 231. Deus juxta cujusque dispositionem gratiam contemplationis supernaturalis concedit. 232. Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. 233. Opera Dei sunt perfecta. 234. Ut homo perveniat ad contempationem supernaturalem, ex parte Dei requiritur, quod

Deus animam vocet et excitet. 235. Ex parte animæ requiritur munditia cordis. 236. Qui ad contemplationis divinæ fontem attingere desiderat, debet abstrahere mentem suam ab exterioribus.

230. Pro hujus sectionis intelligentia notandum est, contemplationem supernaturalem et infusam esse donum Dei et particularem gratiam, quæ neque industria nostra neque labore comparari potest. Non enim potuisset Moyses ad montem ascendere neque ingredi caliginem, ubi vidit et contemplatus est Deum, nisi Dominus prius eum vocasset, ut dicitur Exodi 24. : « *Vocavit eum de medio caliginis* ». Licet tamen totum hoc sit bene-
231. ficium speciale Dei, ipse Dominus benignus et misericors juxta cujusque desiderium et dispositionem gratiam contemplationis supernaturalis
232. concedit.Nam sicut facienti quod in se est ex prioribus auxiliis gratiæ, Deus non denegat gratiam, qua ad ulteriorem perfectionis gradum perveniat,
233. quia Dei perfecta sunt opera ; incipit enim, ut perficiat, nisi mala nostra voluntate impediatur. Inde est, quod juxta propriam animæ contemplativæ in exercitiis spiritualibus dispositionem se Deus magis aut minus in contemplatione supernaturali communicat.

234. *Dico 1*. Ut homo perveniat ad contemplationem supernaturalem, ex parte Dei requiritur, quod Deus animam vocet et excitet, dicens interius : « *Surge,amica mea,et veni.*» (Cant. 2,10.) « *Omne* namque *datum optimum'et omne donum perfectum*, maxime contemplationis spiritualis,*desursum est*, *descendens a patre luminum* ». (Jac. 1, 17.) Unde quicumque aspiraverit ad hunc statum,certo sibi

debet persuadere, quod propria non poterit ad illum industria ascendere, nisi a Domino vocante prævenialur et ipso roborante adjuvetur et cooperante producatur. « *Quis* enim *ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus ?* » (Ps.23,3.)nisi a Domino ipso vocetur interius,juxta illud : « *Ego sum via, veritas et vita*». (Joa. 14,6.)

Dico 2. Ex parte animæ *requiritur munditia* 235.
cordis, simplicitas mentis et parvitas humilitatis. Requiritur munditia cordis juxta illud : « *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* ». (Matth.5,8.)Munditia autem cordis est duplex. Alia est depuratio affectuum ab inordinatis affectionibus. Ethæc fit per virtutes et dona, quæ pertinent ad vim appetitivam. Alia est, quæ fit per depura tionem a phantasmatibus et erroribus, ut scilicet ea, quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum phantasmatum, et hanc munditiam facit donum intellectus. Requiritur simplicitas mentis juxta illud Prov. 3 : « *Et cum simplicibus sermocinatio ejus* ».Requiritur parvitas humilitatis juxta illud : « *Confiteor tibi,Pater,quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* ». (Matth. 11,25). Et ratio ipsa suadet, quia sicut ad videndum lucesolis hæc inferiora materialia requiritur munditia oculorum, sic multo magis requiritur munditia cordis ad videndum Deum. Non potest autem stare munditia cordis, quæ requiritur ad videndum Deum cum fictione mentis, nam ut dicitur Sap. 1 : « *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum* » ; nec cum defectu humilitatis juxta illud : « *Discite a me, quia*

mitis sum et humilis corde ». (Matth. 11, 29.) Ad ascendendum igitur ad contemplationem supernaturalem hæ dispositiones requiruntur ex parte animæ.

236. *Dico 3.* Præter prædictas dispositiones, qui ad contemplationis divinæ fontem attingere desiderat, debet *ab exterioribus abstrahere mentem suam*, eam recolligere, ejus dispersiones et evagationes abjiciendo, ferventer exercere studium meditationis et orationis, convertendo se ad radium supernæ illustrationis, ut ait Dionysius Carthusianus (De fonte lucis, cap. 9.). Optima etiam erit dispositio *contemplatio naturalis* divinæ gratiæ comparata auxiliis. Per illam namque mens exteriorum rerum nebulis liberatur et ad Deum, licet via naturali, plurimum accedit. Unde non mirum, quod tunc Deus, qui sapientiæ dux est et princeps totius illuminationis, videns diligentiam hominis fidelem ac pium ejus conatum, manum applicabit ac porriget adjutricem, mentem per donum sapientiæ illustrando juxta illud Isaiæ 58 : « *Requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam.* »

SECTIO VI

Supernaturalis gratia contemplationis aliquando conceditur imperfectis, aliquando denegatur perfectis.

SUMMARIUM

237. Gratiam contemplationis dat Deus cui vult. 238. Nonnumquam eam incipientibus statim a principio concedit et perfectis eam de-

negat. 239. Ex quadam decentia et congruitate Deus potuis perfectis quam imperfectis sua dona communicat. 240. Perfectis ordinarie et imperfectis raro gratiam contemplationis supernaturalis Deus concedit. 241. Deus tam perfectis quam imperfectis donum supernaturalis contemplationis misericorditer concedit. 242. Quando eam perfectis denegat, misericorditer ob supremos fines denegat. 243. Aliquando hanc gratiam ob maximos fines imperfectis concedit. 244. Quomodo se debeant habere imperfecti, si Deus eis gratiam contemplationis supernaturalis concesserat ? 245. Quamodo se gerere debeant perfecti, si talis gratia eis fuerit denegata ?

Dico 1. Gratiam contemplationis supernatura- 237.
lis dat Deus cui vult. Nam cum sit donum gratuitum, potest Deus eam concedere quibus voluerit sine injuria aliorum, ut ait S. Paul. (1. ad Corinth. 15.): « *Gratia Dei sum id, quod sum.* » Unde 238.
nonnumquam imperfectis et incipientibus statim a principio eam concedit, et perfectis eam denegat. Ita omnes Sancti Patres ac Doctores mystici, ex quibus D. Gregorius (hom. 17. in Ezechiel.) ait : « *Non enim contemplationis gratia summis datur, et minimis non datur ; sed sæpe hanc summi, sæpius minimi, sævius remoti, aliquando eam conjugati percipiunt* ».

Dico 2. Ex quadam decentia et congruitate 239.
Deus potius perfectis, quam imperfectis sua dona communicat, quamvis istis raro, illis vero ordinarie gratiam contemplationis supernaturalis concedit. Et ratio est, quia secundum viam ordinariam Deus sua dona magis dispositis solet conce- 240.
dere. Dignus enim est saltem de congruo, qui plus laboravit, majorem percipere fructum, quam ille, qui parum aut nihil laboravit. Contrarium tamen aliquando via extraordinaria accidit, ut inde manifestetur, quod Deus est Dominus in distribu-

tione suorum donorum, et quod nullus potest ei dicere : cur ita facis ? ut ipse cuidam de hoc murmuranti dixit. Matth. 20 : « *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ?* »

241. *Dico 3.* Quando Deus tam perfectis quam imperfectis donum supernaturalis contemplationis concedit, misericorditer concedit, et quando illud perfectis denegat, misericorditer negat. Illis nam-
242. que talis doni concessio, et istis ejus denegatio prodest ad salutem. Scit enim Deus, quid unicuique conveniat, et unicuique concedit, quod ei magis convenire saltem ad majorem sui ipsius
243. gloriam judicat. Concedit autem hanc gratiam aliquando imperfectis, ut suam liberalitatem hominibus ostendat, tum ut majoribus gratiis postmodum concedendis dignos efficiat, tum ut in illis repente fieret, quod alia via et longo tempore non posset efficere, tum ut malitia hominum stendatuor et sua mala correspondentia experiantur, quam vere dicat Dominus (Osee. 13.) : « *Perditio tua Israel ; tantummodo in me auxilium tuum.* » Perfectis autem eam aliquando negat ,ut appareat eorum constantia et ut propriis, ut dicunt, expensis pro Domino militent ; ut appareat eorum fidelitas ; ut eorum corona sit gloriosior, et ut appareat omnipotentia Dei, qui humanam naturam corruptam sic roborat, ut nullo pene solatio sublevata viriliter pugnet ac mirabiliter triumphet.

244. *Dico 4.* Primi debent gratias exhibere et in se ipsis subsistere et non ob id elevari extra se, sed potius ad Dei amorem animari, qui tam miseri-

corditer eis præbetur. Secundi vero non debent desperare, sed potius patienter sustinere et nihil amplius velle, quam quod Deus de ipsis disposuerit, dicendo : « *Non mea, sed tua voluntas fiat. Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* » Nam si perfectam habuerint suæ voluntatis unionem cum divina, magis Deo placebunt et plus acquirent meritorum, quam si contemplatione supernaturali fruerentur, cum in hac unione sit perfectio charitatis, ad quam media contemplatione quilibet aspirare debet. Et hæc unio voluntatis et desiderium Deo placendi et flagrantia charitatis sunt perpetua contemplatio, ut ait D. Augustinus (in Psalm. 37.) : « *Ipsum desiderium tuum oratio tua est, et si continuum desiderium continua oratio. Non enim frustra dixit* Apostolus : « *Sine intermissione orantes* ». *Numquid sine intermissione genu flectimus, corpus prosternimus aut manus levamus?*» Orare hoc pacto sine intermissione non possumus facere. « *Est alia interior sine intermissione oratio, quæ est desiderium...Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare: continuum desiderium tuum, continua vox tua est.* » Hæc verba maximæ consolationis debent esse illis, qui non possunt adhibitis omnibus sibi possibilibus ad contemplationis supernaturalis statum perveniri, quamvis ex instituto suo sint vitæ contemplativæ adstricti. Hæc enim facientes abunde satisfaciunt. 245.

SECTIO VII

Quid faciet anima, quando ab ea contemplationis gratia subtrahitur ?

SUMMARIUM

246. Gratia contemplationis multoties subtrahitur et multoties iterum conceditur. 247. Quid debeat facere anima, quando Deus ab ea se subtrahit ? 248. Referuntur causæ, ob quas Deus cum anima sibi dilecta sic se gerit.

246. *Dico 1.* Gratia contemplationis multoties subtrahitur. Accedit et recedit Deus. Nam ait Paulus (1. ad Corinth. 12.) : « *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.*» « *Spiritus enim, ubi vult, spirat*, ut ait Joannes, cap. 3. Accedit Deus et accedendo nos illustrat. Recedit et recedendo obscuritate et mœrore nos discruciat. Anima itaque vicissitudinibus istis ascendit usque ad cœlos et descendit usque ad abyssos. Ascendit usque ad cœlum, cum luce sapientiæ perfunditur, ut divina contempletur. Descendit usque ad abyssos, cum quasi caligine involvitur et dono, quo gaudebat, subito spoliatur.

247. Totum hoc videtur in Ezechia, qui dixit : « *Præcisa est velut a texente vita mea. Dum adhuc ordirer, succidit me.*» (Is. 38, 12). Vitam putabat, qua Deum præsentem sibi habeat, sed hæc ut tela præscinditur et in initio consopitur, cum interna consolatio, antequam reficiamur, ablactatur. « *Sed bonum mihi Domine, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas,* » (Ps. 118, 71.) ut sciam, quia non in sola luce et fervore, sed etiam in caligine

et tempore erit perfectio mea. « *Cogitavi enim* », inquit Bernardus *, « *quia de mane usque ad vesperam finies me, id est consummabis me non in solo mane visitationis, aut tantum in vespere tentationis, sed in utroque simul erit perfectio mea. Stultus ego, qui tantum sperabam usque ad mane, cum David dicat: A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino* ». Anima primo visitatur luce, postea vero obscuritate desolationis obruitur, et etiam e contrario aliquando accidit.

248. *Dico 2*. Causæ, ob quas Deus cum anima sibi dilecta sic se gerit subtrahendo ab ea sæpe lucem contemplationis, sunt primo, ut defectus etiam leves castiget, quia amator contemplationis peccata etiam minima fugere debet. Unde Sap. 1. dicitur : « *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* ». Græca habet : « *Neque habitabit in corpore obnoxio peccato* », quoniam unum peccatum, cui vir spiritualis non reluctaverit, cui sponte subditus fuerit, huic sapientiæ januam excludet. Secunda causa, ob quam Deus se abscondit, est, ut quæratur, juxta illud Psalm. 104 : « *Quærite faciem ejus semper.* » Ita D. Thomas (opusc. 61.) Tertio absconditur, ne vir spiritualis otiosus sedeat tempore orationis, sed tempore consuetæ orationis, in quo consueverat donum contemplationis experiri communi gratia adjutus, quod in se est, faciat, divina mysteria considerans et ex consideratione in seipsum reflectens, sancta proposita concipiat, affectus virtutum et amoris eliciat et horam destinatam orationi utiliter insumat. Tan-

dem aufert Dominus donum lucis suæ, ut postmodum, cum illud restituerit, dulcius et præstantius habeatur, ut ait D. Gregorius (9. Moralium, cap. 11.).

SECTIO VIII

Contemplatio supernaturalis ordinarie miscetur imaginationi, licet aliquando aliter contingat.

SUMMARIUM

249. Infimus et primus gradus contemplationis supernaturalis, qui ordinarie et ut in plurimum communicatur,est mixtus imaginationi. 250. Quomodo id accidat, explicatur. 251. Intellectio ordinaria præsentis status dependet ordinarie ab operatione phantasiæ. 252. Probatur ratione. 253. Confirmatur. 254. Sicut operatio phantasiæ prodest ad intellectum connaturalem, sic ei plurimum nocet, et cur ?

249. *Dico 1.* Infimus et primus gradus contemplationis supernaturalis, qui ordinarie et ut in plurimum communicatur, est mixtus imaginationi. Non dico,quod sit pura imaginatio.Quamvis enim imaginatio possit alicui vehementer attendere,ita quod tali attentioni spiritus absorbeantur, ut in illis accidit, qui sic vivam habent imaginationem, ut videre se credant, quæ fingit imaginatio, hæc tamen imaginationis attentio non dicitur contemplatio, siquidem contemplatio, præcipue supernaturalis, de qua nunc agimus, est actus simplex intellectus veritatem intuentis. Unde quando dico, quod contemplatio supernaturalis ordinarie miscetur imaginationi, solum volo dicere, quod datur actus intellectus speculativi, qui sit simplex veritatis intuitus, qui tamen conjunctam habet

imaginationis operationem. Quomodo autem id accidat, jam explico.

Dico 2. Imaginationis operatio potest triplici- 250.
ter contemplationi conjungi et quodammodo admisceri. Primo ita, ut imaginationis operatio se tantum habeat antecedenter. Secundo ita, ut se tantum habeat concomitanter. Tertio ita, ut se simul antecedenter et concomitanter habeat. Imaginationis operatio tunc se tantum habet antecedenter ad contemplationem, quando ex imaginatione oritur contemplatio. Sed orta contemplatione cessat imaginatio per hoc quod mens ab inventa veritate totaliter occupatur, ut si aliquis ex visibilibus, quæ noscit, surgit ad invisiblilia, quæ non noscit, vel propria industria per contemplationem naturalem, vel infuso lumine per contemplationem supernaturalem, totaliter prædominante intellectu, solum occupetur in contemplatione. Tunc cognitio se habet tantum antecedenter, quatenus contemplatio oritur ex illa et illo cessante remanet. Imaginationis operatio se habet tantum concomitanter ad contemplationem, quando Deus immediate spiritualia manifestat animæ, quæ dum per intellectum contemplatur, simul per imaginationem circa manifestata suo modo discurrit propter sympathiam harum potentiarum supra explicatam. Tandem imaginationis operatio se habet antecedenter et concomitanter ad contemplationem, quando ipsa contemplatio ex imaginatione oritur et durante contemplatione perseverat imaginatio.

Ut autem hæc clarius innotescant, sciendum 251.

est, quod quævis intellectio saltem ordinaria præsentis status naturaliter ab operatione phantasiæ dependet. Impossibile enim est, intellectum secundum præsentis vitæ statum, quo passibili corpori conjungitur, aliquid intelligere in actu, nisi convertendo se ad phantasmata. Ita D. Thomas (1. part. q. 84. art. 7.) et Philosophi omnes cum
252. Aristotele (*lib. 3. de Anima.). Et ratio est, quia potentia cognoscitiva proportionatur cognoscibili. Sed proprium objectum intellectus humani, dum est conjunctus corpori, est quidditas, sive natura in materia corporali existens. Ergo ut intellectus intelligat suum objectum proprium, necesse est, ut convertat se ad phantasmata, speculando naturam universalem in particulari existentem.

253. *Confirmatur*, quia objectum nostri intellectus non est forma separata a particularibus secundum se subsistens, ut dicebant Platonici, sed est natura in materia corporali existens. Sed de ratione hujus naturæ est, quod in aliquo individuo existat sicut de ratione lapidis est, quod sit in hoc lapide. Ergo natura lapidis vel alterius rei materialis cognosci non potest complete et vere a nostro intellectu, nisi secundum quod cognoscitur in particulari existens. Sed hoc fit per conversionem ad phantasmata. Et hinc fit, quod læsa phantasia impeditur rectus usus intellectus, ut apparet in amentibus, quod tamen non fieret, si ad illum imaginationis actus non requireretur. Fit etiam, quod quoties aliquid intelligimus, formamus interius quoddam corporeum idolum, sive id, quod intelligimus sit corporeum sive spirituale.

Dico 3. Sicut phantasiæ seu imaginationis ope- 254.
ratio prodest ad intellectionem connaturalem, dum se concomitanter habens illi conformatur, quatenus utraque potentia circa idem operatur, sic plurimum nocet ac impedit intellectionem, dum imaginatio ad aliud objectum divertitur. Et ratio est,quia anima sic distracta et quodammodo divisa non attendit perfecte rei intellectæ, sed partim rei intellectæ et partim rei imaginatæ. Ergo minus attendit utrique juxta philosophicum axioma dicens : *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*. Unde viri contemplativi miram in contemplando suavitatem experiuntur, dum imaginatio perfecte subordinata cooperatur intellectui. Et vice versa magnam patiuntur inquietudinem,dum intellectus divina contemplatur et imaginatio materialibus attendens hinc inde discurrit. Et ex dictis manifeste constat, quomodo contemplatio etiam supernaturalis ordinarie miscetur imaginationi.

SECTIO IX

Aliquando in viris perfectis datur pura contemplatio sine concursu imaginationis.

SUMMARIUM

255. Multæ possunt dari contemplationes in hac vita sine conversione ad phantasmata. 256. Probatur authoritate Sanctorum Patrum. 257. Quomodo dari possit talis contemplatio sine conversione ad phantasmata, explicatur. 258. Pura contemplatio tunc est, quando sine imaginationis interventu, aut saltem sine perceptibili illius interventu contemplamur.

Dico 1. Licet connaturalis modus contem- 255.

plandi intellectus humani in hac vita sit mixtus cum imaginatione et per conversionem ad phantasmata, ut supra diximus, multæ tamen dari possunt contemplationes extraordinariæ in hac vita, sine concursu imaginationis nec conversione ad phantasmata.

256. Ita D. Thomas (3. p. q. 11. art. 2.), D. Augustinus (lib. 12. de Genes. ad literam. cap. 6.), S. Bonaventura (5. itiner. æternitatis, dist. 4.), S. Bernardus (In Cantica, serm. 52.), Dionysius Carthusianus (*in commentariis theologiæ myst., art. 2.). Quomodo autem dari possit talis contemplatio sine conversione ad phantasmata, est tota dubitatio. Nam cum species intelligibiles, quibus ad contemplandum intellectus uti debet, sint a phantasmatibus per intellectum agentem abstractæ, videtur, quod ex naturali sympathia, quoties intellectus dictas species speculatur, toties imaginatio sua speculatur phantasmata.

257. *Dico 2.* His tamen non obstantibus multis modis dari potest pura contemplatio absque consortio imaginationis. *Primus* est per infusionem alicujus extraordinarii luminis, quo ad puram intelligentiam elevetur homo et completur ad instar Angeli. Ita Dionysius Carthusianus (* De cœlesti hierarchia, art. 5., q. 6.). Hoc enim sublimi lumine mens supra modum suum ordinarium intelligendo per conversionem ad phantasmata sublimatur. *Secundus* est per coordinationem plurium specierum intelligibilium Angelorum artificio factam, quibus simul unitis clare repræsentatur divina veritas, quæ in phantasmatibus

non apparebat. Et hæc novitas repræsentationis claræ mentem sic allicit et facit attentam, ut imaginationis operatio suspendatur. Ita S. Bernardus (In Cantica, serm. 41.).

Tertius modus est adhuc sublimior per infusionem tam novi luminis ex parte potentiæ, quam speciei intelligibilis perfectissime repræsentantis objectum, quibus totaliter anima colligitur intra se, ut sic puræ contemplationi vacet, suspensa omni alia cognitione interna imaginationis. Ita Dionysius Carth. (de vita inclus., art. 19.). *Quartus et supremus est*, quando Deus immediate se ipso, seclusa omni specie, unitur intellectui virtute luminis supernaturalis, quo disponitur intellectus, tum ad receptionem ipsius Dei per modum speciei intelligibilis, tum ad eliciendum actum cognitionis perfectissimæ ipsius Dei. Et tunc certum est, quod imaginatio non concurrit ad hujusmodi cognitionem, quamvis fieri possit, ut illa transacta circa illam operetur et illius repræsentativum phantasma producat. An autem istud lumen sit lumen gloriæ vel illius participatio, infra dicemus.

Dico 3. Sicut simplex intelligentia tunc dicitur, quando absque rationis discursu contemplamur, sic pura intelligentia sive contemplatio est, quando sive imaginationis interventu aut saltem sine perceptibili illius interventu contemplamur. Ita D. Bonaventura (3. itinerar. dist. 4. art. 4.), ubi ait : « *Contemplator es, si in te est uniformis fictio intelligentiæ puræ et conformis affectio volitivæ potentiæ per omnia in nullo impeditæ, in uno fontali principio cœlestium gaudiorum, quod est* 258.

Deus trinus et unus ». Sed tam perfecta contemplatio rara et brevis est, et ad summum durat per dimidiam horam, juxta illud Apocalypsis 8 : « *Factum est silentium in cœlo quasi media hora* ». Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et necessitas corporalis vel aliquid aliud interrumpit eam, ut notavit D. Gregorius (3. moralium, cap. 12.), et hoc ad augmentum meriti et ad patientiæ, humilitatis et resignationis exercitium.

SECTIO X

Datur aliquando contemplatio perfectior in caligine divina.

SUMMARIUM

259. Quid sit caligo divina, explicatur. 260. Quanto major est caligo, tanto perfectius anima Deum cognoscit indistincte et eminenter. 261. Ratio, ob quam lumen divinitus communicatum causat tenebras, explicatur. 262. Quomodo se habeat anima sedens in hac divina caligine, explicatur.

259. *Dico 1.* Caligo divina est inaccessibile lumen, in quo habitare Deus dicitur, invisibilis quidem existens propter excedentem claritatem et inaccessibilis propter excessus supersubstantialis luminis effusionis. Et ratio est, quia cum Deus sit lux clarissima et intellectus nostri facultatem excedens, quo se magis communicat, ipsum nimia propinquitate offuscat, nisi desuper roboretur, ut intueri possit quidditative, quod in via raro contingit. Nam sicut qui in solem defigit oculum, ex nimia ejus luce improportionata penitus offuscata,

tenebras et caliginem patitur, et hoc est illi lucem eam conspicere, cernere, se non posse eam in sua virtute et puritate oculis irreverberatis conspicari; sic qui Deum intime præsentem contemplatur, supereminente ipsius luce offuscatur, et tenebras et caliginem ex nimio splendore ipsius patitur. Et in hac caligine videt, quod ipse est esse purum, simplicissimum, incircumscriptum, bonitas infinita, veritas increata, unitas summa, superbeatissima vita, sapientia prorsus immensa.

Dico 2. Quanto major est caligo, tanto perfectius anima Deum cognoscit, non quidem aliquid distincte percipiens, sed indistincte et eminenter Deum sibi præsentem infinite perfectum cognoscens. Et ratio est, quia hæc divina caligo non importat privationem luminis, sed importat superexcedens lumen ex parte Dei. Ergo quo major fuerit caligo, eo major erit lux ex parte Dei. Ergo major erit illius cognitio non distincte et sigillatim, sed in confuso et conjunctim in quadam eminentia. Nam sicut quo clarior est lux solis, eo magis in confuso videt oculus per eam offuscatus ejusdem solis perfectionem, quamvis distincte et particulariter nihil in eo possit intueri ex sua debilitate et imperfectione, sic contingit in præsenti contemplatione caliginis, et ideo illam Dionysius* vocat radium tenebrarum. 260.

Dico 3. Ratio, ob quam hoc lumen divinitus communicatum causat tenebras, sumitur tum ex defectu nostri intellectus, tum ex aliquali indispositione animæ, quæ semper ex societate corporis gravatur et numquam ei in via perfecte domina- 261.

tur. Unde sicut lux materialis, quo major, eo majores causat tenebras in oculo debili et indisposito, sic lux ista spiritualis et divina, quo major, eo majores causat tenebras in nostro debili intellectu et anima aliqualiter indisposita, tum ex parte præsentis status, quo peregrinamur a Domino. Requiritur enim, quod in fide ambulantes tantum videamus in speculo per ænigmata, nisi forte Deus cum aliquo dispensaverit.

262. *Dico 4.* Anima sedens in hac divina caligine et immediate coram ignota divinitatis gloriosa præsentia, licet mentis nostræ tenebræ lumen ipsum comprehendere non valeant, habet ibi quamdam otiosam occupationem, scilicet amorosam anhelationem ad nudam et gloriosam dilecti sui faciem videndum. Unde et habet ibi quoddam amorosum tædium de ipsa caligine, quatenus cognoscit, illam provenire ex debilitate propriæ potentiæ. Siquidem *in Deo tenebræ non sunt ullæ*, ut dicitur 1. Joan. 1. Ardet igitur in ea desiderium videndi nudam dilecti sui faciem in plenitudine amoris cum quadam firmissima spe eum videndi. Hæc tamen spes non turbat internam pacem, quia resignationi ac perfectæ conformitati ad voluntatem Dei subjacet, ut exprimit Dionysius Carthusianus (*de fonte lucis, cap. 17.). Hanc internam pacem animæ magna spiritus dulcedo comitatur, quam Sacra Scriptura nunc gustum, nunc ebrietatem vocat, ut quando ait Psalmista : « *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* » (Ps. 33, 9.), et in alio loco : « *Visitasti terram et inebriasti eam* » (Ps. 64, 10.).

SECTIO XI

Contemplatio supernaturalis aliquando cum sensuum alienatione contingit.

SUMMARIUM

263. Contemplatio supernaturalis aliquando cum sensuum alienatione contingit. 264. Omnes causæ raptus explicantur. 265. Sensuum alienatio potius debilitati naturæ, quam alteri causæ tribui debet. 266. Nobilitas contemplationis supernaturalis desumenda est juxta nobilitatem objecti et perfectionem infusi luminis. 267. Raptus importat quamdam violentiam hominis quoad modum tendendi ad finem, qui est Deus. 268. In raptu supernaturali in plurimum invenitur libertas. 269. Ponitur quædam objectio et solvitur.

Dico 1. Contemplatio supernaturalis aliquando 263.
contingit cum sensuum alienatione. Et ratio est, quia anima supra se ipsam aliquando rapitur et intima suavitate velut absorbetur, quod sæpius ignoret et nesciat omnino quid, ubi et quomodo Deus in ea mirabiliter operetur. Unde hæc contemplatio dicitur modi nescia. In hoc conveniunt Doctores mystici eum D. Thoma (1. 2. q. 28. art. 3.), ubi ait, quod ecstasim pati dicitur, cum aliquis extra se ponitur. Quod quidem contingit vel secundum vim apprehensivam, ut quando quis ponitur extra connaturalem apprehensionem rationis et sensus,vel secundum vim appetitivam, ut quando appetitus alicujus in alterum fertur, exiens quodammodo extra se ipsum.

Dico 2. Prima causa raptus cum sensuum 264.
alienatione in contemplatione est *magnitudo admirationis* qua anima humana supra se ipsam

ducitur, dum divinis splendoribus irradiata et in pulchritudine rerum tunc apparentium præ admiratione suspensa supra se rapitur. Secunda causa est *magnitudo devotionis seu amoris*, quo anima taliter æstuat, donec tandem ferveat ac impellentibus desideriis extra se rapitur, sicut aqua quæ calore ignis paulatim calescit, postea fervet et tandem supra suum naturalem locum elevatur. Tertia causa est *magnitudo jucunditatis*, quæ percipitur in contemplatione. Sic enim anima ex divinæ pulchritudinis aliquali visione et inchoata fruitione repletur jucunditate et affluit deliciis, ut supra se rapta dilecto suo innitatur, juxta illud Canticorum 8 : « *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum ?* » quia non propriis viribus in hunc ascensum, sed Dei virtute sustollitur, qui dilectam suam deducit in nube diei et tota nocte in illuminatione ignis.

265. *Dico 3.* Sensuum alienatio, seu raptus ex prædicta triplici causa proveniens potius aliquando debilitati naturæ, quam objecto attribui debet. Videmus enim in naturalibus, quod aliqui ex ignorantia mirantur de eo, quod alii scientes despiciunt, amant, quod alii non curant. Sic accidit in præsenti, quod incipientes rerum divinarum ignari, dum divina gustare incipiunt, ad minimam visionem seu revelationem extra se rapiuntur, cum viri perfecti multa majora videntes non moveantur totius mundi affectibus, quia ut dicitur, *ab assuetis non fit passio*. Unde majores sunt in viris perfectis raptus, quam in incipientibus, quamvis

aliquando etiam in eis ex nobilitate objecti manifestati reperiantur, ut si eis manifestetur mysterium Sanctissimæ Trinitatis, vel aliqua veritas divina, numquam prius ostensa. Nam tunc ex nobilitate objecti raptum et ecstasim patiuntur. Non enim Deus æqualiter se omnibus communicat et suas perfectiones manifestat, sed ordinarie, dum incipientes vult speciali favore prosequi, primo corporales sanctorum Angelorum et sacratissimæ humanitatis suæ visiones et locutiones communicat, deinde visiones imaginarias sublimiores largitur; sed proficientibus intellectuales sublimissimas.

Dico 4. Nobilitas contemplationis supernatu- 266.
ralis desumenda est non ex eo, quod animæ raptum causet, sed juxta nobilitatem objecti et perfectionem infusi luminis cum expressione specierum repræsentatione debet attendi. Species autem vel sunt intentionales in sensibus externis, vel imaginariæ in sensibus internis, vel intelligibiles in intellectu. Rursus ex istis quædam sunt a phantasmatibus abstractæ et connaturaliter ordinatæ. Quædam licet naturaliter abstractæ, sunt tamen ad perfectius repræsentandum divinitus ordinatæ. Quædam sunt supernaturaliter infusæ, et tandem aliæ sunt ipsummet realiter objectum, ut in propria visione angelica et beatifica contingit, ut infra dicetur. Et juxta prædictam specierum graduationem est major earum nobilitas et perfectior repræsentatio.

Dico 5. Raptus importat quamdam violentiam 267.
hominis non quoad finem, ad quem rapitur, qui est Deus, cum homo ad Deum ut auctorem

naturæ contemplandum naturaliter tendat et ut auctorem gratiæ nullam ad id habeat positivam repugnantiam. Unde homo non dicitur rapi quantum ad finem, ad quem tendit, sed tantum quantum ad modum, quo tendit ad illum finem, quia a suo modo connaturali Deum contemplandi abstrahitur, qui est, ut per sensibilia intelligat veritatem juxta illud ad Romanos 1 : « *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, » etiamsi elevetur ad ea, ad quæ naturaliter ordinatur.

268. An autem in raptu inveniatur libertas sufficiens ad meritum ? Multi negant, excepto aliquo rarissimo casu, quos lata manu refert et sequitur N. Fr. Thomas a Jesu (lib. 6. de contemplatione divina, c. 6.). Ego tamen existimo, quod ut plurimum *in raptu supernaturali*, de quo nunc loquimur, *est sufficiens libertas ad meritum*. Ita N. Philippus a Sanctissima Trinitate (de Theologia Mystica, p. 2. tr. 3. disc. 2. art. 4.), ubi alios plures refert. Et ratio est, quia Deus suis amicis taliter in hac vita suos favores communicat, ut simul in eis fruantur et mereantur. Non enim credendum est, quod tantam gratiam in raptu eis communicet, ut sit eis inutilis ad meritum. Unde aliqui Sancti Patres, qui pro contraria sententia allegantur, debent intelligi de raptu, qui contingit in somno, non tamen de raptu perfecto, qualis accidit viris perfectis.

269. Dices, in raptu reperitur violentia libero contraria ; ergo non est in eo meritum. Antecedens probatur, tum quia ligatis sensibus judicium non

est liberum, tum quia vehemens intentio et attentio ad rem visam impedit reflexionem super ipsum actum libertati et merito necessarium. Ergo in raptu non est meritum. Respondetur negando antecedens. Ad probationem respondetur concedendo, quod ligatis sensibus judicium non est liberum quantum ad ea, quæ per sensus recipiuntur, manet tamen liberum quantum ad ea, quæ divinitus ostenduntur animæ. Nam anima supra se ipsam rapta vere ac perfecte judicat circa ea, quæ sibi manifestantur. Ad secundam probationem respondetur, quod numquam est tanta attentio in raptu ad rem visam, quod amorose per actus suavissimos tali communicationi non consentiat et quodammodo supra se ipsam reflectatur. Sed de his vide latius N. Philippum a SS. Trinit. (loc. cit.).

SECTIO XII

Contemplatio supernaturalis aliquando ad claram Dei visionem pertingit.

SUMMARIUM

270. Multi existimant, non posse in hac vita dari contemplationem, quæ clare Deum videat. 271. Dari potest in hac vita per modum transitus, sed raro, quidditativa Dei visio, et de facto aliquibus concessa fuit. 272. Probatur authoritate Sanctorum Patrum. 273. Probatur ex Sacra Scriptura. 274. Probatur ratione. 275. Respondetur argumentis in contrarium.

Dico 1. Licet multi Doctores existiment, in hac vita nullo modo posse dari contemplationem quæ Deum clare et intuitive videat, ut patet ex illo 270.

Exodi 33 : « *Non videbit me homo et vivet* » ; et ex illo 1. Joannis 4. : « *Deum nemo vidit umquam* » ; quod etiam ratione videtur comprobari, cum fides et spes, quæ sunt dispositiones viæ, simul esse non possint cum visione clara divinæ

271. essentiæ, ego tamen existimo, dari posse in hac vita per modum transitus quidditativam Dei visionem, et de facto ita se Deus communicavit Moysi et Beatissimæ Virgini Mariæ et Divo Paulo Apostolo, immo et aliquibus magnis Sanctis, sed

272. hoc quam raro. Ita D. Thomas (1. p. q. 12. art. 11, ad 2. et aliis pluribus locis), D. Ambrosius (lib. 1. hexaemeron. cap. 2.), D. Basilius (homil. 1. super hexaemeron.), D. Augustinus (lib. 12. de Genesi ad litteram, cap. 27.), et cum aliis N. Philippus a SS. Trinitate (p. 2. tr. 3. disc. 2. art. 5. Theologiæ Mysticæ), et Vallgornera (q. 3. disp. 3. art. 10. n. 644.).

273. Probatur autem primo ex Sacra Scriptura Numerorum 12, ubi dicitur : « *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea felicissimus est. Ore etenim ad os loquar ei, et palam, et non per ænigmata et figuras.* » D. vero Paulus de se ipso ait (2. Cor. 12.), *se raptum fuisse in paradisum et ibi audisse arcana verba, quæ non licet homini*

274. *loqui.* Ratio vero est, quia sicut Deus aliquid supernaturaliter in rebus corporeis miraculose operatur, ita etiam et supernaturaliter et præter communem ordinem mentes aliquorum in hac carne viventium, sed non sensibus carnis uten-

tium, usque ad visionem suæ essentiæ elevavit, ut dicit D. Augustinus (lib. 12. de Genesi ad litteram c. 27, et de videndo Deo, Ep. 111. et 112.) de Moyse, qui fuit magister Judæorum, et de Paulo, qui fuit magister gentium. Quæ congruentia multum suadet, supposita authoritate Sacræ Scripturæ. Cum enim Moyses et Paulus fuerint electi, unus in doctorem Judæorum, alter in doctorem gentium, debuere perfecte scire mysteria fidei, quæ docebant ac proinde debuere ea clare videre in divina essentia. Ergo dari potest in hac vita quidditativa Dei visio per modum transeuntis, siquidem de facto concessa fuit Moysi et D. Paulo, quod etiam de Beata Virgine Maria expresse docetur juxta Cajetan.(3. p. q. 27.) a Vallgornera (t. I. q. 3. disp. 3. art. 10. n. 644.).

275. Ad argumenta in contrarium respondetur, quod licet de lege Dei ordinaria ad claram Dei visionem mors debeat sequi, potest tamen divinitus fieri, quod non sequatur, ut accidit in Moyse, D. Paulo et B. Virgine et in magno nostro Patriarcha Elia, qui per modum transeuntis viderunt essentiam divinam, non tamen per modum permanentis, nam id proprium est solum Beatorum. Unde hoc modo debent explicari prædicta loca Sacræ Scripturæ. Ad ultimum vero respondetur, fidem et spem posse stare cum visione divinæ essentiæ, per modum transeuntis, non tamen per modum permanentis.

DISPUTATIO IV

De principio formali elicitivo ac medio contemplationis supernaturalis.

SECTIO I

Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est donum scientiæ.

SUMMARIUM

276. Quando contemplatio supernaturalis ex rebus humanis et creatis elevatur ad contemplandas res divinas, donum scientiæ est principium formale elicitivum illius. 277. Quid respiciat donum scientiæ, explicatur. 278. Per hoc donum scientiæ videt homo, quam vanum sit, quidquid non est Deus. 279. Qui dono scientiæ illustratus contemplatur creaturas, recte judicat, quanto decipiantur illi, qui se indebite ad creaturarum pulchritudinem convertuntur.

276. *Dico 1.* Quando contemplatio supernaturalis ex rebus humanis et creatis elevatur ad contemplandas res divinas, quæ sunt primarium et principale ipsius objectum, *donum scientiæ* est principium formale elicitivum illius. Ratio autem est, quia hoc donum scientiæ datur intellectui, ut similitudinibus proportionatis res fidei per creaturas percipiat, nec in illis inhærens ad ipsum Deum contemplandum et quasi ex hujusmodi involucris transcendat investigando, ut ait N. Thomas a Jesus (de divina oratione, lib. 1. c. 3. § 4.), D. Thomas (2. 2. q. 9. art. 2.) et N. Philippus a SS. Trinitate (p. 2. tr. 3. disc. 3. art. 1.

Myst. theol.). Ergo quando contemplatio supernaturalis ex rebus humanis elevatur ad contemplandas res divinas, talis contemplatio procedit et elicitur a dono scientiæ.

Ad majorem autem dictorum confirmationem 277.
sciendum est, quod donum scientiæ primo et principaliter respicit speculationem, secundario vero se extendit ad operationem secundum quod per scientiam credibilium et earum, quæ ad credibilia consequuntur, dirigimur in agendis. Unde sequitur, quod ad instar fidei per se primo et principaliter ordinatur ad contemplationem rerum creatarum per respectum ad Deum, primam veritatem et primarium contemplationis supernaturalis objectum, et ex consequenti tantum ordinatur ad operationem rectam per respectum ad Deum, ultimum finem. Et sic ad instar fidei divinæ est per se speculativa et extensive practica. Dicitur enim ad Galat. 5, 6, quod fides per charitatem operatur. Illi ergo soli donum scientiæ habent, qui ex infusione gratiæ rectum judicium habent circa credenda et agenda eo quod in nullo devient a rectitudine justitiæ. Et hæc est scientia Sanctorum, de qua dicitur Sapientiæ 10 : « *Justum deduxit Dominus per vias rectas...et dedit illi scientiam Sanctorum* ».

Per hoc autem, quod quis dono scientiæ illustratus debite creaturas contemplatur, eas ad Deum, ultimum finem ordinat et eis quasi quibusdam gradibus ad ipsius Dei contemplationem ascendit. Videt, quam vanum sit, quidquid non 278.
est Deus et ad Deum non ordinatur. Videt mani-

feste, quod quamvis creaturæ, quatenus a Deo procedentes, sint in se ipsis substantialiter bonæ, et quod eos, qui eis sobrie utuntur, ad Deum, auctorem illarum efficaciter deducent, « *factæ sunt tamen in odium et in tentationem animabus hominum et in muscipulam pedibus insipientium* », ut dicitur Sapientiæ 14., quia illis abutentes occa-
279. sionaliter avertunt a Deo. Unde qui sic illustratus contemplatur creaturas, recte judicat, quantum desipiant illi, qui se indebite ad creaturarum pulchritudinem convertendo a Deo summo bono avertuntur, in quo solo est vera felicitas. Quod si ipse contemplator aliquando illarum pulchritudine fuit deceptus, præteritos luget defectus. Et propterea D. Augustinus (lib. 1. de sermone Domini in monte, circa principium) ait : « *Scientia congruit lugentibus, qui jam cognoverunt in scripturis, quibus malis vincti teneantur, quæ tamquam bona et utilia ignorantes appetierunt* ». Unde dono scientiæ respondet primo luctus de præteritis erratis et consequentur consolatio, dum homo per rectum judicium scientiæ creaturas ordinat in bonum divinum. Et ideo in hac beatitudine ponitur luctus pro merito et consolatio consequens pro præmio, quæ quidem inchoatur in hac vita, perficitur autem in futura.

SECTIO II

Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est donum Sapientiæ.

SUMMARIUM

280. Quando homo res divinas vel humanas et creatas per altissimam causam, Deum scilicet, earum conditorem, contemplatur et de eis judicium facit, principium formale elicitivum talis contemplationis est donum sapientiæ. 281. Donum sapientiæ fidem perficit et elevat et modo possibili huic vitæ clarificat. 282. In quo differat contemplatio procedens a dono sapientiæ ab illa, quæ procedit a dono intellectus, declaratur.

Dico 1. Quando homo res divinas contempla- 280.
tur, vel res humanas et creatas per altissimam causam, Deum scilicet earum conditorem et provisorem, et certum de eis judicium facit, principium formale elicitivum talis contemplationis est *donum sapientiæ*. Ita cum D. Thoma et D. Bonaventura N. P. Philippus a Sanctiss. Trinitate (p. 2. tr. 3. discurs. 3. art. 2. Theolog. myst.) et alii. Ratio est, quia ad donum sapientiæ per se pertinet, circa res divinas versari, quamvis aliquando ex amplitudine ad res creatas se diffundat de eis judicando per primam et altissimam causam, scilicet Deum. Ergo principium formale elicitivum talis contemplationis est donum sapientiæ. Patet consequentia, quia sapientia, quæ est primum Spiritus Sancti donum, confert intellectui cognitionem altissimam et simplicissimam Dei et rerum divinarum, et cœlestium, ac earum, quibus ad omnem sanctitatem promove-

mur. Ergo hæc major claritas in cognitione,
281. nascitur ex ipsa sapientia, quæ fidem perficit et elevat et modo possibili huic vitæ clarificat. Unde sicut si in cubiculo, ubi erat parva lucerna, fax accendatur, omnia quæ in illo existunt illuminat; ita si in anima justa fidei luce illustrata sapientia accendatur, res fidei multo clarius manifestantur.

282. *Dico 2.* Differt contemplatio a dono sapientiæ procedens ab illa, quæ a dono intellectus procedit, quod contemplatio dono sapientiæ conjuncta habet *saporosam delectationem*, quam ex se non habet contemplatio doni intellectus. Ita D. Bonaventura (de 7 donis Spiritus Sancti, p. 2. cap. 5. edit. Vivès, t. 7. p. 640). Et ratio est, quia intellectus est cognitio speculativa et quasi per visum, sapientia vero est cognitio experimentalis et practica et quasi per gustum. Primarium enim et principale objectum sapientiæ est Deus sub ratione qua verum, exercitativum tamen voluntatis ad ejus saporosam delectationem. Et ideo actus sapientiæ est contemplari Deum, non quocumque modo, sed cum delectatione ac cum quadam suavitate experimentali in affectu. Unde requirit summam cordis pacem et mentis tranquillitatem. Unde dixit Augustinus (l. c.) : « *Sapientia congruit pacificis, in quibus jam ordinata sunt omnia nullusque motus adversus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum et ipse obtemperat Deo,* » cum quo unitus est per charitatem.

SECTIO III

Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est donum intellectus.

SUMMARIUM

283. Lumen naturale nostri intellectus indiget lumine supernaturali ad cognoscenda ea, quæ per lumen naturale cognoscere non valet. 284. Hoc lumen supernaturale homini datum vocatur donum intellectus. 285. Hoc lumen attingit prima principia supernaturalia per modum habitus principiorum. 286. Quomodo habitus supernaturalis intellectus concurrat ad eliciendum judicium rectum de rebus fidei. 287. Donum intellectus habet tres gradus operationis. 288. Explicatur primus et secundus et tertius gradus. 289. Quæ dona his gradibus correspondeant, explicatur.

Dico 1. Cum lumen naturale nostri intellectus 283.
sit finitæ virtutis,indiget supernaturali lumine ad
cognoscenda quædam, quæ per lumen naturale
cognoscere non valet. Et hoc lumen supernatu- 284.
rale homini datum vocatur *donum intellectus*.
Hoc autem lumen doni intellectus ad instar 285.
habitus principiorum attingit prima principia
supernaturalia, id est puras veritates fidei sive
increatas et divinas, sive creatas. Deinde sicut
habitus naturalis intellectus penetrando prima
principia concurrit ad eliciendas ex illis conclu-
siones,sic habitus supernaturalis intellectus pene- 286.
trando prima principia supernaturalia seu puras
veritates fidei concurrit ad elicienda circa illas
judicia recta ; circa divinas quidem per donum
sapientiæ, circa creatas vero per donum scientiæ.
Quæ judicia sunt veluti conclusiones virtuales.
Contemplatio namque non est formaliter discur-

siva, sed tantum virtualiter. Est tamen differentia in hoc, quod ex concursu habitus naturalis intellectus ad eliciendas ex principiis ipsius conclusiones naturaliter acquiritur ex tali deductione tam sapientia quam scientia naturalis. Hic autem ex concursu doni intellectus non acquiruntur dona sapientiæ et scientiæ, cum hæc naturaliter non acquirantur. Infunduntur tamen cum gratia, ita ut prius natura seu origine intelligatur infusum donum intellectus et postea donum sapientiæ et scientiæ, cum operatio doni intellectus sit prior operatione doni sapientiæ et scientiæ.

287. *Dico 2.* Donum intellectus, quod solis et omnibus gratiam habentibus conceditur, habet *tres gradus operationis*, *infimum*, *medium et supre-*
288. *mum*. *Infimus gradus* est, quo mens irradiatione seu virtute doni intellectus veritates creatas in se ipsis penetrat et ex ipsis assurgit ad contemplandas veritates divinas. Hæc irradiatio doni intellectus recipitur primo in imaginatione per intellectum applicata, quæ dicitur infima regio seu infimum cœlum animæ contemplativæ et est propria incipientium, non quod in via illuminativa et etiam unitiva aliquando non inveniatur, sed quia ut plurimum non inveniatur perfectior irradiatio in via purgativa. *Medius gradus* est, quo mens irradiatione ac virtute doni intellectus interius collecta tam divinas quam creatas veritates in se ipsa contemplatur absque prævio imaginationis concursu, quamvis in hoc gradu concomitanter imaginatio se habeat per conversionem ad phantasmata. Mens quippe interius

collecta tam creatas quam divinas veritates in se ipsa reperit, tum in propria ipsius substantia aliqualiter in suis speciebus relucentes, in quibus tam creata quam divina habent esse non quidem naturale, sed intentionale. Hæc irradiatio doni intellectus immediate recipitur in ipsa intellectuali potentia, in qua subjectatur, et est media regio animæ contemplativæ et est propria proficientium, quamvis aliquando etiam illis, qui in via purgativa et unitiva exercentur, concedatur.

Supremus gradus est, quo mens supra se ipsam elevata tam divinas quam creatas veritates eminenti quodam modo contemplatur absque ullo penitus concursu et consortio imaginationis. Ibi namque mens divinam caliginem ingressa ac Deo intime illapso per amorem fruitivum unita velut in se ipso Deum aliqualiter et in ipso omnes creaturas relucentes intuetur. Et hæc cognitio est nobilissima, quæ citra intuitivam Dei visionem mortalibus communicari potest. Hæc autem irradiatio doni intellectus non solum immediate in ipsa intellectuali potentia recipitur, sed etiam in intelligentia seu in apice mentis. Unde est propria perfectorum. In aliis namque viis raro et extraordinarie tantum reperitur. Ex supradictis 289.
autem gradibus infimus convenit dono scientiæ, medius dono sapientiæ, supremus dono intellectus, quamvis aliquando etiam illorum radii permisceantur.

SECTIO IV

Principium formale et elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est altius donis Spiritus Sancti.

SUMMARIUM

290. Gratiæ gratis datæ non sunt quid perfectius donis Spiritus Sancti. 291. Dicuntur gratiæ gratis datæ altiores donis Spiritus Sancti, quia rarius et extraordinarie conceduntur et quia ordinantur ad bonum commune Ecclesiæ. 292. Hoc altius principium contemplationis est multiplex. 293. Primum est sapientiæ, prout pertinet ad gratias gratis datas. 294. In quo differat hæc gratia a dono sapientiæ, exponitur. 295. Secundum principium est fides, prout est gratia gratis data. 296. Tertium principium est lumen prophetiæ. 297. Quartum principium est habitus scientiæ inditæ seu infusæ.

290. Pro explicatione hujus sectionis notandum est, quod quando dicimus, dari principium formale elicitivum contemplationis altius donis Spiritus Sancti, non est intelligendum, quod *gratiæ gratis datæ* de quibus in hoc sectione disputatur,sint aliquid altius et perfectius donis Spiritus Sancti. Nam gratia gratis data non est dignior *gratia gratum faciente*, quia unaquæque virtus tanto excellentior est, quanto ad altius bonum ordinatur. Semper autem finis excellentior est illis, quæ sunt ad finem. Gratia autem gratum faciens ordinat hominem immediate ad conjunctionem ultimi finis. Gratiæ autem gratis datæ ordinant hominem ad quædam præparatoria finis ultimi, sicut per phrophetiam et miracula et alia hujusmodi homines inducuntur ad hoc, ut ultimo fini con-

jungantur. Dicuntur tamen gratiæ gratis datæ al- 291.
tiores et digniores, quam dona Spiritus Sancti, quia ordinantur ad bonum commune Ecclesiæ et quia rarius et extraordinarie conceduntur. Nam dona Spiritus Sancti, quamvis supernaturalia, sunt tamen justis ordinaria. Dicuntur etiam altiores, quia clariores sunt in manifestando et efficaciores in penetrando.

Dico 1. Hoc altius principium contemplationis 292.
supernaturalis est multiplex. Primum est *sapien-* 293.
tia prout pertinet ad gratias gratis datas. Differt
autem hæc gratia a dono sapientiæ in eo, quod 294.
donum sapientiæ importat quamdam rectitudinem judicii circa divina et conspicienda et consulenda, quantum necessarium est ad salutem. Et hoc nulli existenti in gratia sanctificante deficit, quia si natura non deficit in necessariis, multo minus gratia. Sapientia autem, prout est gratia gratis data, importat sapientiam in altiori gradu tum ad contemplationem divinorum, in quantum illam habentes altiora mysteria cognoscunt et aliis manifestare possunt, tum quoad directionem humanorum actuum secundum regulas divinas, in quantum possunt secundum eas non solum se ipsos, sed etiam alios ordinare. Et iste gradus sapientiæ non est communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem, sed magis pertinet ad gratias gratis datas, quæ Spiritus Sanctus distribuit prout vult juxta illud 1. ad Corinthios 12 : « *Aliis datur per Spiritum sermo sapientiæ.* » Ita D. Thomas. (2. 2. q. 45.art. 5.).

Secundum principium est *fides, prout est gratia* 295.

gratis data. Per illam namque magna cum certitudine et excellentiori quam ordinaria rebus fidei adhæremus, qua certitudine purificata mens non tam credere ea, quæ sunt fidei, videtur, quam ea videre ac claris oculis intueri, et est cognitio media inter obscuram virtutis fidei cognitionem et claram Dei visionem. Cf. D. Thom. (1. 2. q. 98. art. 3. ad 2.).

296. Tertium principium est *lumen prophetiæ*, quod secundum D. Thom. (2. 2. q. 171. art. 2.) inest animæ prophetæ per modum cujusdam passionis vel impressionis transeuntis. Et hoc significatur Exodi 33 : « *Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ* », et 3. Regum 19., ubi dicitur ad Eliam : « *Egredere et sta in monte coram Domino, et ecce Dominus transit.* » Ex quo infertur quod hi duo sanctissimi Prophetæ tunc, si non viderunt divinam essentiam, saltem habuerunt eminentissimam ejus cognitionem. Ad hoc principium reducitur sublimis illa cognitio S.Stephani Protomartyris, qui Actuum 7. dicitur vidisse cœlos apertos etc. Ad hoc reducitur etiam lumen illud, quod Deus communicavit primo parenti ad sui contemplationem in statu innocentiæ ; reducitur quoque utilissima quædam contemplatio divinorum, quæ in aliquibus viris sanctis fuit. Talem de se ipsa refert N. M.S. Theresia (Mansione 7., cap. 1.) ; talem de S. Benedicto refert S. Gregorius Magnus (lib. 2. Dialogor.cap. 35.) ; talem refert S. Hieronymus (1) (in regula

) vel quisquis est auctor.

monacharum, cap. 26.), ubi ait : « *Adhuc vivens in corpore sæpe Angelorum choris interfui. Testis est ipsa Trinitas, quam tenebam, nescio quo intuitu.* »

297. Quartum tandem principium est *habitus scientiæ inditæ seu infusæ*, qui est lumen clarissimum ac perfectissimum, quod compatitur in viatore cum fide, ex cujus irradiatione perfectissima resultat contemplatio. Raris conceditur. Certum est, fuisse in Christo, et pie creditur, fuisse in Beata Virgine. Per hanc scientiam cognovit Christus, ut docet D. Thomas (3. p. q. 11. art. 1) omnia illa, quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum prophetiæ, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti. Omnia enim ista abundantius et plenius cæteris cognovit anima Christi. Hic habitus scientiæ infusæ numquam fuit otiosus in Christo, nunc enim istud, nunc illud objectum successive diversis actibus considerabat, secundum quod diversis speciebus ad hoc infusis utebatur. Hic habitus supernaturalis est multo perfectior omni alio actu scientifico, ut dicit D. Thomas (q. citata, art. 4.).

SECTIO V

Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est lumen gloriæ.

SUMMARIUM

298. Aliquando contemplatio supernaturalis etiam in hac vita pertingit ad claram Dei visionem per modum transeuntis. 299. Hæc clara Dei visio non potest esse sine lumine gloriæ participato per

modum transeuntis. 300. Quid sit hoc lumen hic in via, exponitur. 301. Hoc lumen gloriæ sive hic, sive in patria, dimanat a gratia, sicut proprietas illius. 302. Hoc lumen gloriæ requiritur ex parte intellectus ad hoc, ut eum perficiat intrinsece ad claram visionem. 303. Habitus luminis gloriæ est perfectior cæteris habitibus operativis, etiam supernaturalibus. 304. Contemplatio supernaturalis eminentissima, sive clara Dei visio, non solum est possibilis intellectui elevato per lumen gloriæ, sed etiam ei sic elevato est connaturalis.

298. *Dico 1.* Aliquando contemplatio supernaturalis etiam in hac vita pertingit ad claram, et quidditativam Dei visionem per modum transeuntis. Ita concessum fuit Beatissimæ Virgini Mariæ, Moysi et Parenti nostro Eliæ ac D. Paulo, ut supra dixi-
299. mus. Hæc autem clara et quidditativa Dei visio etiam per modum transeuntis esse non potest absque lumine gloriæ participato per modum
300. transeuntis cujusdam virtutis. Hoc autem lumen hic in via est quoddam auxilium actuale per modum dispositionis cito transeuntis ; in patria vero est habitus supernaturalis in intellectu Beatorum permanens, distinctus ab ipsa visione et intellectu, qua intellectus creatus roboratur et elevatur ad Deum clare et quidditative videndum.

301. *Dico 2.* Hoc lumen gloriæ, sive sit per modum habitus, ut in Beatis, sive per modum dispositionis transeuntis, ut hic in via, dimanat a gratia, sicut proprietas illius, hoc est infunditur a Deo intellectui animæ, sive de potentia obedientiali ipsius educitur ad exigentiam gratiæ, quæ est in substantia animæ, sicut dimanant sive infunduntur alii habitus supernaturales juxta capacitatem et exigentiam subjecti, in quo est gratia propter statum, quem habet, vitæ vel termini ex divina

dispositione. Et ratio est, quia cum essentia animæ per habitum gratiæ sanctificantis sit perfecta, hæc connaturaliter exigit, ut potentiæ, quibus anima operatur, purificentur virtutibus supernaturalibus, ut eliciant operationes supernaturales conformes ipsi esse supernaturali animæ per gratiam, et hoc est, virtutes supernaturales emanare a gratia.

Dico 3. Hoc lumen gloriæ requiritur ex parte 302.
intellectus ad hoc, ut eum intrinsece perficiat ad claram Dei visionem, ad quam concurrit active per modum totalis virtutis proxime radicalem virtutem intellectus complentis. Hæc autem virtus radicalis intellectus ad Dei visionem non est ejus potentia obedientialis activa, nec intellectus videndo Deum se habet mere passive, sed est ejus nativa virtus. Unde principium formale *quo* adæquatum visionis beatificæ constituitur ex intellectu beato, sicut virtute radicali, et ex lumine gloriæ, sicut tota virtute proxima. Ex quo sequitur,quod nec de potentia Dei absoluta fieri potest, ut intellectus creatus non elevatus lumine gloriæ, Deum clare ac quidditative videat. Unde ut sic videat Deum, indispensabiliter requirit aliquid intrinsece receptum ordinis supernaturalis, vel per modum habitus permanentis,vel per modum dispositionis transeuntis, quod totum vocatur lumen gloriæ, quia manifestat Deum gloriosum.

Dico 4. Habitus luminis gloriæ est perfectior 303.
cæteris habitibus operativis etiam supernaturalibus, siquidem ordinatur ad perfectiorem actum, scilicet ad beatitudinem formalem, et habitus

specificatur ab actu. Unde perfectior est charitate. Est tamen imperfectior habitu gratiæ sanctificantis, siquidem lumen gloriæ est proprietas gratiæ sanctificantis et omnis proprietas est imperfectior essentia, cujus est proprietas. Tum quia gratia est perfectissima participatio divinæ essentiæ formalissime consideratæ, lumen vero gloriæ est participatio divini intellectus. Sed divina essentia virtualiter est perfectior divino intellectu, siquidem omnis essentia perfectior est sua proprietate. Ergo gratia sanctificans perfectior est lumine gloriæ.

304. *Dico 5.* Contemplatio supernaturalis eminentissima, sive clara Dei visio, non solum est possibilis intellectui elevato per lumen gloriæ, sed etiam ei sic elevato est ei proportionata et summe delectabilis, cum in illa beatitudo formalis consistat. Unde ita satiat appetitum, ut nihil ultra desiderandum remaneat, juxta illud Prophetæ : « *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* » (Ps. 16, 15.)

SECTIO VI

Multiplex est medium, in quo contemplatio supernaturalis perficitur.

SUMMARIUM

305. Explicatur sensus quæstionis. 306. Medium contemplationis supernaturalis ordinarie sunt species tam intentionales, quam intelligibiles in potentiis præexistentes. 307. Quando contemplatio supernaturalis est magis elevata, si species præexistentes coordinatæ sufficiunt ad repræsentandum animæ, quod Deus vult, non nova infundit, sed præexistentes coordinat. 308. Quando contemplatio supernaturalis pertingit ad divinam caliginem, tunc Deus animæ

novas species infundit. 309. Ponitur quædam objectio et solvitur. 310 Contemplatio supernaturalis summa et perfectissima non habet medium *in quo* realiter distinctum ab objecto, sed objectum in se ipso attingit.

Pro hujus sectionis intelligentia notandum est, 305.
nos in præsenti loqui de medio tenente se ex parte objecti, sive sit medium ab objecto distinctum, ut ordinarie contingit, sive sit ipsummet objectum, quod in se ipso videtur, ut aliquando contingit, ut dum Angelus se ipsum cognoscit. Et non loquimur de medio tenente se ex parte potentiæ, quia de isto dictum est sectionibus antecedentibus.

Dico 1. Medium contemplationis supernaturalis 306.
ordinarie sunt species tam intentionales, quam intelligibiles in potentiis præexistentes, vel tunc de novo acquisitæ. Nam ut dictum est, ad talem contemplationem concurrit per se tam intellectus, quam imaginatio. Intellectui autem deserviunt species intelligibiles, et imaginationi deserviunt species intentionales, et ambæ sunt formales objectorum repræsentationes, de quibus in præsenti nihil speciale discendum occurrit.

Dico 2. Quando contemplatio supernaturalis 307.
est magis elevata, si per species jam præexistentes repræsentari potest objectum, quod Deus animæ desiderat manifestare, non novas infundit species, sed præexistentes supernaturaliter coordinat. Et ratio est, quia Deus solum immutat naturam, quantum conducit ad finem ab ipso intentum, sed ad talem contemplationem sufficit prædicta coordinatio ex speciebus jam præhabitis. Ergo infusio novarum specierum superflua est et non

necessaria, ut videmus sæpe in dormientibus, qui ex speciebus montis et auri montem aureum contemplantur.

308. *Dico 3.* Quando contemplatio supernaturalis est magis elevata, ut quando pertingit ad divinam caliginem, tunc Deus animæ novas infundit species, quæ formaliter repræsentent objecta, quæ alias per species naturaliter acquisitas repræsentari non possunt. Et hoc accidit præcipue, cum principium contemplationis est scientia infusa seu indita. Hæ autem species sunt naturales quoad substantiam. Sunt enim ejusdem rationis ac illæ, quæ animabus separatis in instante separationis infunduntur, quas constat esse naturales. Non enim necesse est, quod sint ejusdem rationis cum habitu, qui utitur illis, ut patet in fide, quæ est habitus supernaturalis ; species autem, quibus utitur, sunt naturales. Sunt tamen hæ species infusæ supernaturales quoad modum, quia anima corpori mortali unita non solet recipere suas species per infusionem, sed eas a phantasmatibus abstrahit. Unde quod eas sic recipiat, est supernaturale ipsi consideratæ in statu unionis, non autem absolute, cum ei conveniat in statu separationis.

309. Nec obstat, si dicas habitus infusos esse supernaturales quoad substantiam, ergo etiam species infusæ. Respondetur namque, dari diversam rationem. Nam habitus dantur, ut elevent potentiam ad ordinem supernaturalem, et sunt tota virtus agendi proxima ; ac per consequens debent esse supernaturales. Species autem tenentes se ex

parte objectorum ipsa repræsententes nihil virtutis superaddunt potentiæ, sed solummodo sunt complementum ejus extrinsecum. Et licet sint ordinis naturalis, possunt repræsentare objecta supernaturalia, ut constat in speciebus, quæ fidei deserviunt ; et similiter, licet per se sint infusæ, non tollit, quin sint ordinis naturalis, ut manifeste patet in speciebus angelicis, quamvis etiam possint dici melius præternaturales, quia hoc modo significatur, quod sint naturales quoad substantiam et quoad modum supernaturales.

Dico 4. Contemplatio supernaturalis summa et perfertissima non habet medium *in quo* realiter distinctum ab objecto, sed objectum in se ipso attingit, ita ut habeat rationem simul et speciei et termini cognitionis. Ratio est, quia non potest dari nec species impressa nec expressa divinæ essentiæ. Ergo si in hac vita divina essentia quidditative videtur, sicuti sectione præcedenti diximus, sæpe accidisse et posse accidere, ipsamet divina essentia debet per se attingi, ita ut habeat rationem speciei impressæ et expressæ. Antecedens probatur, quia species impressa et expressa alicujus objecti debet esse ejusdem speciei et immaterialitatis cum objecto in esse intelligibili et representativo. Sed non potest dari species creata, sive impressa sive expressa, quæ sit ejusdem speciei et immaterialitatis cum divina essentia. Ergo non est possibilis species impressa sive expressa divinæ essentiæ. Ergo si contemplatio in hac vita pertingit ad contemplandum in se ipsa divinam essentiam, ipsa divina essentia habet 310.

rationem speciei impressæ et expressæ. Ad hoc enim sufficit, quod intellectus creatus per lumen gloriæ disponatur ad receptionem divinæ essentiæ per modum speciei intelligibilis et elevetur ad ordinem supernaturalem et divinum, in quo est Deus.

DISPUTATIO V

De divinis visionibus revelationibus, locutionibus, etc.

SECTIO I

De unione corporali rerum cœlestium.

SUMMARIUM

311. Ad tres species reducuntur visiones, scilicet corporales, imaginarias et intellectuales. 312. Quid sit visio corporalis, explicatur. 313. Quid sit visio imaginaria ? 314. Quid sit visio intellectualis ? 315. Visio corporea est infima, imaginaria est media, intellectualis est suprema. 316. Per visionem corpoream plures appariritiones Sanctorum et Angelorum, Beatæ Virginis et Christi communicantur. 317. Quomodo animæ purgatæ videant has apparitiones ? 318. Hæc visio corporea aliquando fit per species intentiores absque eo, quod persona repræsentata adsit ei, cui apparet, et quomodo ? 319. Fit etiam aliquando per immutationem sensuum nostrorum. 320. Fit aliquando per realem personæ apparentis præsentiam, vel in corpore proprio vel assumpto, et quomodo ? 321. Apparitio Christi et Beatæ Virginis raro fit realiter, sed fit vel per corpus assumptum vel per species intentionales. 322. Apparitio visibilis, cum sit omnium infima, est magis exposita illusioni diaboli, nisi forte ei conjungatur visio intellectualis. 323 Hæ visiones non spectant ad veram sanctitatem. 324. Hujusmodi visiones non sunt appetendæ neque postulandæ, sed si acciderint, humiliter fugiendæ et cur ? 325. Quid debeat facere ille, cui hæ apparitiones ipso eas non desiderante nec postulante, accidunt ?

311. *Dico 1.* Ad tres species visiones communiter

reducuntur a D. Thoma (1. p. q. 93. art. 6. ad 4. et 2. 2. q. 174 art. 1. ad 3.), nempe *corporaporalem*, *imaginariam et intellectualem*. *Corporalis* est, quando exteriori sensu aliquid videtur. Et hæc frequentius accidit in via purgativa incipientibus. *Imaginaria* est, quando per formas imaginarias aliquid repræsentatur. Et hæc frequentius accidit in via illuminativa proficientibus. *Intellectualis* est, quando per species et radios intellectuales aliquid repræsentatur. Et hoc accidit frequentius in via unitiva. Nam licet omnes hæ visiones aliquando contingant incipientibus et etiam proficientibus et perfectis, ordinarie tamen fiunt modo dicto, ut sic perfectio visionis perfectiori viæ et statui personæ congruat. Certum est enim, quod visio corporea est infima, visio imaginaria est media, visio intellectualis est suprema. Imaginatio namque est magis immaterialis visu corporeo, et intellectus est penitus immaterialis. Et idem proportione servata dicendum est de eorum visionibus, non solum quoad modum visionis, sed etiam quoad ejus objecta. Nam per visionem corporalem materialia tantum communicantur : per imaginariam communicantur quædam magis elevata a materia, simul cum materialibus ; et per intellectualem communicantur pure spiritualia, et etiam materialia, quia visio superior potest quidquid inferior et aliquid amplius ob suam perfectionem. 312. 313. 314. 315.

Dico 2. Per visionem corpoream sæpe sæpius quidam splendores divini et plures apparitiones tum Sanctorum, tum Angelorum, tum Beatæ 316.

Virginis et ipsius Christi communicantur. Multoties etiam videntur animæ purgatorii, immo et animæ damnatæ in inferno existentes. Has autem
317. apparitiones vident animæ purgatæ non solum oculis intellectualibus, verum etiam oculis corporeis. Sæpe enim divini splendores instar fulguris repente animam penetrant ipsamque de divinis mysteriis illuminant et mira replent dulcedine, ita ut sæpe ipsum corpus ex animæ redundantia decoretur ac irradietur. De visione autem Sanctorum, Angelorum, Beatæ Virginis et Christi constat ex historiis Sanctorum, quibus sæpe sæpius similes visiones factæ sunt, ut patet ex tota vita N. M. S. Theresiæ, quæ sæpe D. Josephum, Christum et Beatam Virginem et sanctos Angelos vidit, quod etiam accidit aliis Sanctis. De animabus vero purgatorii constat ex historiis ecclesiasticis, ut patet ex insigni illa apparitione S. Nicolai Tolentinatis et ex alia S. Gregrorii Papæ et aliorum. De animabus vero damnatis constat ex anima illius divitis, quæ rogabat Abraham, ut mitteret Lazarum ad suos fratres, ne et ipsi venirent in eumdem locum.

318. *Dico 3.* Hæc visio corporea aliquando fit per solas species intentionales immissas absque eo, quod persona apparens adstet ei, cui apparet;
319. tunc miraculose suppletur distantia. Fit etiam aliquando per immutationem sensuum nostrorum, ita scilicet ut Angelus apparens nullum corpus assumat, sed solum oculum videntis immutet et similitudinem aliquam inferat ei, quam videri vult. Et hac ratione fieri solent apparitiones in

Eucharistia, quando in hostia videtur parvulus vel caro. Et idem dicendum est de apparitionibus, quæ accidunt in carne S. P. N. Joannis a Cruce et in digito S. M. N. Theresiæ. Fit etiam aliquando per realem personæ apparentis præsentiam, 320.
vel in corpore proprio, vel in corpore assumpto, quando persona apparens est humana, et corpus adhuc non est gloriosum. Quodsi sit persona angelica vel divina, tunc formatur corpus ex aëre condensato, quod vel naturaliter a Deo vel ab Angelo motum, vel miraculose ab anima separata, facit eadem exterius in hac visione, quod verum corpus efficeret. Si vero jam corpus apparentis sit gloriosum, tunc, ut appareat realiter, debete cœlo descendere. Nam idem corpus juxta doctrinam D. Thomæ non potest esse circumscriptive in duplici loco. Debet etiam claritatem nimiam moderari, ut sic oculis corporeis videri possit ab eo, cui apparet. Hinc fit, 321.
apparitionem Christi et Beatæ Virginis raro fieri realiter, sed vel per corpus assumptum ex aëre, vel per species intentionales immissas, et tunc miraculose suppletur distantia, ut accidit B. Stephano, quando dixit : « Video cœlos apertos et Flium hominis stantem a dextris Dei. »

Dico 4. Apparitio visibilis, cum sit omnium 322.
infima, est magis *exposita illusioni diaboli*, nisi forte huic visioni corporali visio intellectualis adjungatur, ut in apparitione S. Gabrielis Archangeli facta Beatæ Virgini annuntiantis divini Verbi conceptum factum est. Ratio autem est, quia dæmon virtute naturali potest corpus ex aëre for-

mare sicut possunt Angeli boni, et se transfor-
323. mare in Angelum lucis. Nec hæ apparitiones ad veram sanctitatem spectant, cum sæpe factæ fuerint in hominibus iniquis, ut Pharaoni, Balaam Baltassari et Nabuchodonosori. Et sæpe visiones istæ sunt falsæ, juxta illud Ezechielis 13 : « *Vident mala et divinant mendacium.* » Et sæpe ex vehementi apprehensione et melancholia proveniunt et sunt initia quædam insaniæ. Et dato, quod sint veræ, non sunt meritoriæ ; sed bonus earum usus inspiciendus est, ut quis ex illis aliquid mereatur.

324. *Dico 5.* Hujusmodi apparitiones *non sunt appetendæ*, nec postulandæ ; sed si acciderint, humiliter fugiendæ, et rogandus Dominus, ne his insuetis rationibus, sed mediis ordinariis solidioribus, si ita suæ majestati visum fuerit, nostram salutem promoveat. Et ratio est, quia desiderare has apparitiones, est indicium occultæ superbiæ aut saltem vanæ curiositatis, et sic aditus dæmoni aperitur. Tum quia illa sola desideranda et procuranda sunt, quibus Deo placemus, in virtute proficimus, ad perfectionem tendimus et æternam salutem assequimur. Hæc autem sunt amor Dei et proximi, custodia exacta legis ejus, solida virtus, abnegatio nostra, contemptus sæculi et alia hujus generis, non vero apparitiones ac revelationes, in quibus multum solet esse periculi et non multum utilitatis. Et fugere has apparitiones, non est ponere impedimentum divinis donis, sed solidioribus donis aditum aperire et ad hæc et alia animum præparare. Humilitas

enim est via regia ad dona Dei. Ille autem semper humilitatem præparat, qui hæc insueta et periculorum plena tamquam indignus refugit. Tum quia hæ apparitiones non sunt a Deo ob nostrum desiderium, sed ex pura bonitate, quando et quibus ille vult.

Dico 6. Si alicui, qui tales apparitiones non 325.
appetit, nec petit, sed potius metuit, hujusmodi apparitiones acciderint in oratione, tria ab eo observanda sunt. Primum, Christum et Beatam Virginem vel alios Sanctos sibi apparentes reverenter et *devote suscipere* et debito culto illos venerari. Nam quamvis aliquando esset diabolus in hac adoratione, nullum est periculum, cum adoratio non ad diabolum, sed ad imaginem Christi vel Beatæ Virginis vel Sanctorum tendat. Debet etiam *attendere*, *qualis sit finis* et utilitas hujus visionis et apparitionis. Et si finis propositus fuerit bonus et sanctus, illum amplecti; secus, si fuerit malus. Quod ut melius fiat, debet suo tempore has visiones suo magistro spiritus referre, vel alio viro prudenti, ut de veritate illius doceatur. Quem si non habuerit, debet attendere, qualis sit ista salutatio, et an sit conformis Sacræ Scripturæ et consona sensui Ecclesiæ. Suspecta enim est omnis veritas, quam non confirmat Scriptura. Tandem expendat, *an ad charitatem et omnem virtutem se sentiat excitari*, quia hoc est proprium divinarum consolationum. Si autem hæc habuerit, poterit de divina miseratione sperare, quod ab adversario non falletur.

SECTIO II

De visione imaginaria.

SUMMARIUM

326. Quid sit visio imaginaria, explicatur. 327. Visio imaginaria est media inter corporalem et intellectualem. 328. Quomodo contingat visio imaginaria, demonstratur. 329. Visio vera imaginaria facile discernitur ab imaginationis fictione, et quomodo? 330. Aliquando accidit visio imaginaria in somniis. 331. Visiones factæ vigilantibus veriores sunt, et cur? 332. Quid debeat facere director spiritualis cum personis, quæ similes visiones imaginarias, sive in somniis, sive in vigilia habent? 333. Quomodo director spiritualis debeat de his visionibus judicare, exponitur.

326. *Dico 1.* Visio imaginaria est cognitio habita per speciem receptam in imaginatione repræsentantem aliquid divinum et cœleste non minus quam si corporeis oculis cerneretur. Ita D. Thom.
327. (super cap. 1. Isaiæ). Est autem imaginaria media inter corporalem et intellectualem. Unde cum Deus omnia faciat ordinate juxta illud Sapientiæ 8 : « *Disponit omnia suaviter*, » ideo incipit per sensus exteriores, et continuat per interiores, qui sub nomine imaginationis comprehenduntur. Unde primo sensum corporalem perficit, favores supernaturales eis communicando, ut sic magis in bono confirmentur. Et propterea visiones corporeas Sanctorum et revelationes sensibiles eis communicat, quibus sensus magis in bono stabiliuntur et ab appetitu malorum objectorum removentur. Et insuper sensus internos, puta imaginationem, perficit in bono piis meditationibus et sanctis contemplationibus ac supernaturalibus

imaginariis visionibus. Et sic Deus animam per gradus elevat et dirigit ad sublimiora et ad magis spiritualia et pura et ad magis interiora ; non quod prædictus ordo sit indispensabiliter necessarius, cum Deus, si velit, illum possit, quando sibi placuerit, immutare, sed quia sic ordinarie procedit.

328. *Dico* 2. Visio imaginaria hoc modo contingit. Si sit alicujus objecti prius visi in se ipso, ut si quis in vita cognovit S.M.N. Theresiam, species ejus acquisita divinitus excitatur ad illam repræsentandam in ordine ad effectus supernaturales intentos a Deo media tali visione. Si vero sit visio alicujus Sancti, et alibi viderit martyrium alterius, tunc in imaginatione coordinantur species acquisitæ illius Sancti et martyrii alterius. Quibus divinitus coordinatis, ipse sanctus Martyr adæquate repræsentatur. Si tamen visio sit alicujus Sancti numquam visi, vel si debeat esse nimium perfecta, tunc debet species ipsius Sancti in imaginatione divinitus infundi, tum quia nulla præsupponitur alia species in imaginatione repræsentans tale objectum, tum quia non est possibile, quod detur species acquisita, quæ tam perfecte et cum tanta majestate et cum tot circumstantiis excellentibus objectum repræsentet et quæ tam mirabiles causet effectus.

329. *Dico 3.* Vera visio imaginaria facile discernitur ab imaginationis fictione. Siquidem fictio imaginationis ab ipsa imaginatione discurrente fabricatur. Et quamvis anima propter potentiæ vivacitatem credat esse verum, quod finxit, remanet tamen absque ullo pietatis fructu multo frigidior,

quam si prædictam aut sculptam imaginem exterius intueretur. Unde visio imaginaria procedens a Deo non est hujusmodi. Nam accidit animæ vix aliquid cogitanti. Subito quippe divinitus objectum potentiæ manifestatur et ad instar solis subitis tantum obtutibus videtur, non quia ejus splendor sit nocivus oculo interiori ; sed id provenit ex summa majestate et excellentia, in qua se objectum manifestat, quam diu creatura ferre non potest. Unde si visio fuerat Christi, fere semper anima rapitur in ecstasim, non valens ob suam infirmitatem tantam ferre majestatem. Deinde causat in anima timorem reverentiæ, postea tamen eam in suavissima et felici pace relinquit, ut accidit D. Paulo, quando ei in via Christus apparuit. Advertendum tamen est, quod hæc visio imaginaria non est æque semper perfecta, sed vel non est humanitatis Christi, sed Angelorum vel aliorum Sanctorum, et tunc non causat tam vehementes effectus, sed cum aliqua proportione.

330. *Dico 4.* Aliquando accidit visio imaginaria in somniis, ut patet ex illo Numerorum 12 : « *Si quis fuerit inter vos propheta, in visione apparebo*
331. *ei vel per somnium loquar ad illum* ». Sunt tamen visiones factæ vigilantibus veriores eo, quod in vigilia est ratio magis libera et in somno visiones spirituales minus discerni possunt a somniis frivolis et consuetis. Unde effectus secuti ex apparitione imaginaria in somniis meritorii esse non possunt, nisi forte ob præcedens desiderium. Poterunt autem hujusmodi visiones in somniis discerni a falsis, si promoveant animam ad pieta-

tem et non ad curiositatem. « *Quæ enim desursum est sapientia, pudica est et pacifica* ». (Jacob. 3, 17.). Hæc enim divina instructio in somniis attestatur divinam providentiam, vel elevantem hominem ad intelligenda divina mysteria, vel dirigentem hominem circa futura prosequenda vel vitanda, flagellis minando et bonorum promissione invitando. Unde in somniis Pharaoni revelata est penuria et ubertas, Joseph sua exaltatio, Gedeoni victoria de hostibus, sponso virginis Deiparæ Herodis sævitia.

Dico 5. Director, qui animarum, quæ similes 332.
visiones habent sive in vigilia sive in somnio, curam habet, debet imprimis multum timere et prudenter in earum directione se gerere, donec successu temporis singula notando videat, quem fructum ex hujusmodi visionibus percipiant. Consideret, quam humilitatem, quem in virtutum exercitio profectum faciant. Si prudens et doctus aut expertus fuerit, et maxime si donum discretionis spirituum habuerit, facile colliget et cognoscet, qualis sit arbor, utrum bona aut mala, utrum visiones sint a Deo vel a dæmone, vel ab imaginatione fictæ. Si fuerint a Deo, præter alia signa, videbit animam veracem. Si fuerint a dæmone, e contra eamdem animam superbam, potius virtutis umbram, quam verum ejus exercitium sequentem et in suis relationibus mendacem. Si fuerint ab imagitione propria fictæ, videbit animam vanam, curiosam, nec in virtute fundatam et in dictis suis inconstantem.

Dico 6. Undequaque visiones hujusmodi pro- 333.

cedant, *debet director de illis sic sobrie judicare*, maxime coram ipsis animabus, quas dirigit, ut sua jactantia et inconsideratis laudibus eas ad illarum desiderium, vanam curiositatem et superbiam non inducat. Si director seu magister spiritualis sit novitatum amator et in audiendis illis nimium affectus, quamvis a Deo procedant, multum damni et sibi et animabus, quas dirigit, afferet, ut in multis experientia docet, qui incipiendo ex veris visionibus in pœnam curiositatis ac superbiæ latentis, justo Dei judicio permittente, delusi sunt a dæmone se in Angelum lucis transfigurante, unde et magister et discipulus simul erraverunt juxta sententiam Christi Domini apud Matth. 5 : « *Cæcus, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* ».

SECTIO III

De visione intellectuali.

SUMMARIUM

334. Quid sit visio intellectualis, declaratur. 335. Duobus modis fit visio intellectualis. 336. Explicatur primus modus, quo fit visio intellectualis. 337. Explicatur secundus modus visionis intellectualis. 338. Visio intellectualis multum differt ab ordinaria Dei præsentia, quæ in oratione quietis, vel in oratione unionis percipitur, et diverso modo contingit. 339. Numerantur effectus visionis intellectualis. 340. Visio intellectualis etiam potest a dæmone fingi, licet id varius accidat. 341. Quid facere debeat, qui habet hujusmodi visionem intellectualem ?

334. *Dico 1*. Visio intellectualis est manifestissima quædam rerum divinarum aut cœlestium ostensio, quæ soli intellectui inspicienda objiciuntur.

Cf. D. Thom. (super cap. 1. Isaiæ et q. 12. de veritate. art. 1.). Duobus autem modis fit hæc 335.
intellectualis visio. Primo quidem obscure et 336.
quasi confuse anima nullam imaginem nullumque faciei aut staturæ corporis Christi figuram videns cum prope se vel ad latus dextrum vel intus in corde esse cognoscit majori certitudine, quam si corporeis oculis illum videret. Ibi Dominus instruit animam, loquitur subtiliter absque verbis sensibilibus, imprimens in intima ejus portione cœlestem suam doctrinam, ut ait S.M.N. Theresia (cap. 21. et 27. vitæ suæ et Mansione 6. cap. 8. et 10.). Ex hac autem visione resultat in anima maxima reverentia et ardentissimus amor erga illum, magnumque desiderium placendi illi etiam in re quantumcumque minima. Hæc autem visio non solet esse brevis ut imaginaria, sed solet durare per multos dies et menses cum modica interruptione, ut notat N. M. S. Theresia locis citatis.

Secundo modo apparet Christus Dominus ani- 337.
mæ contemplanti per visionem intellectualem clare et distincte, ita ut quasi intuitive videatur. Sicut enim datur in visionibus intellectualibus Dei una quidem obscura visio, quæ habetur per fidem, altera vero penitus clara, quæ habetur in patria per lumen gloriæ, tertia vero media, quæ habetur per donum sapientiæ vel per specialem gratiam alicujus luminis supernaturalis, quæ nec est ita obscura, sicut cognitio Deo, nec ita clara, sicut intuito patriæ, sed satis lucide et mirabiliter Deum manifestans, sic in visionibus intellectua-

libus rerum corporearum distinguenda est triplex visio : una obscura, quam diximus, alia omnino clara et intuitiva repræsentans rem prout est in se, et alia media, quæ nec in obscuritate prioris manet, nec ad claritatem posterioris pervenit. De ista *affirmant aliqui mystici*, *quod maximam animæ affert utilitatem*, et licet subito suspendeat animam, in ea tamen tam clare Dominus manifestat divina arcana, ut ea in ipsomet Deo videre sibi videatur. In ea cognoscit, solum Deum esse summam veritatem, quæ falli aut fallere non potest. Et licet in momento transeat, alte tamen et profunde hujusmodi visio cum re visa manet animæ impressa. Unde tanta succedit ipsi confusio, quod humanam satis mirari non potest malitiam, qua Deum offendimus in ipso manentes.

338. *Dico 2.* Hæc visio intellectualis multum differt ab ordinaria Dei præsentia, quæ vel in oratione quietis vel in oratione unionis percipitur. Quamvis enim hæc Dei præsentia sit magnum ipsius beneficium, non tamen est hæc visio intellectualis. Et ratio est, quia ibi Deus solum per effectus percipitur, hic autem adesse clare videtur ; ibi quædam Divinitatis influentiæ manifestantur, hic præter dictas influentias præsentia sacratissimæ humanitatis demonstratur.

Dico 3. Hæc visio intellectualis diverso modo contingit. In infimo suo gradu fit per species acquisitas in intellectu præexistentes, divinitus tamen applicatas cum reali aliquando præsentia rei visæ. In sublimiori gradu fit per species novas divinitus infusas et aliquando cum eadem reali præsentia.

In supremo gradu compossibili cum fide videtur fieri in ipso Deo, non tamen clare viso. Quodcumque tamen sit medium, in quo perficitur hæc visio, medium *quo* semper est aliquod lumen spirituale, quo facile, clare ac suaviter percipit anima, quæ Deus ei manifestat, sive sint cœlestia sive terrestria, cui nihil obstat aliquando realis præsentia.

Dico 4. Effectus hujus visionis sunt plurimi ac pretiosi, scilicet quies animæ, mentis illuminatio, gaudium gloriosum, suavitas, puritas, amor Dei, humilitas, inclinatio seu elevatio spiritus in Deum, qui omnes effectus aliquando magis, aliquando minus percipiuntur, quandoque inæqualiter, prout Deus voluerit, et juxta diversam animæ dispositionem. 339.

Dico 5. Quamvis hæc visio intellectualis tutior appareat ac magis ab illusione dæmonis immunis, potest tamen a dæmone fingi. Potest autem hujusmodi fictio contingere per hoc, quod dæmon phantasmata coordinando media imaginationis operatione excitat intellectum ad aliquid considerandum tam distincte, ut videre dicatur. *Talis tamen visio ficta a dæmone non habet effectus, quos habet visio vera.* Causat enim ariditatem spiritus in oratione, inclinationem propriæ æstimationis, vanam gloriam ; nec diu durat memoria illius, sed statim ut fumus evanescit. Et quando quid amplius durat ob animæ complacentiam, est tamen nimis sicca et sterilis ejus memoria, nec habet fructus enumeratos charitatis, humilitatis etc. 340.

Dico 6. Qui similem a Deo consequuntur favo- 341.

rem, non turbentur, sed tamen *timeant, in virtutis exercitio deficere*. Si debita humilitate in hujus visionis communicatione se habeant, certo et tuto procedent, sive visio fuerit vera a Deo procedens, sive falsa a dæmone ficta. Cumque illam directori pio, prudenti et docto exposuerint, juxta consilium ejus ambulent securi et certi, quod Deus in præmium hujus candidæ fidelitatis eos non permittet errare. Non credant se meliores aliis, quibus Deus similes favores non communicat, immo judicent se pejores illis, cum illi absque stipendio tam ferventer, ipsi vero cum tot auxiliis tam tepide serviant Domino.

SECTIO IV

De revelationibus supernaturalibus.

SUMMARIUM

342. Quid sit revelatio, declaratur. 343. Duplex est revelatio ; alia, quæ tantum importat revelationem alicujus veritatis occultæ factam intellectui, secunda importat manifestationem alicujus arcani vel mysterii. 344. Quid importet prima species revelationis, exponitur. 345. Quomodo se debeat habere anima in hac revelatione ? 346. Quid importet secunda species revelationis, declaratur. 347. Circa manifestationem mysteriorum Dei seipso standum est principiis fidei.

342. *Dico 1*. Revelatio est declaratio alicujus veritatis occultæ, sive manifestatio alicujus arcani seu
343. mysterii. Prima definitio convenit revelationi large dictæ, quæ solum importat revelationem alicujus veritatis occultæ factam intellectui. Secunda convenit stricte et propriissime revelationi,

quæ manifestationem alicujus arcani vel mysterii importat. Utraque autem sive stricte sive large sumatur, si fiat via supernaturali, est revelatio supernaturalis. Utraque etiam potest fieri de rebus spiritualibus vel corporalibus, et si de spiritualibus, potest esse vel de Deo, vel de creaturis. Si fiat de Deo, vel potest esse de illo, ut est unus, ac de ejus perfectionibus, vel ut est trinus, ac de perfectionibus divinarum personarum. Primo modo facta revelatio de Deo et multo magis de creaturis potest regulari cognitione naturali ; secundo modo facta tantum regulatur cognitione fidei.

Dico. 2. Prima species revelationis, quæ dicit 344.
declarationem, sive notitiam puræ ac nudæ veritatis, consistit in hoc, quod intellectus per infusionem luminis supernaturalis percipiat et penetret veritates sibi occultas sive de Deo sive de aliis rebus pro aliqua temporis differentia existentibus. Ex hac autem notitia maximam capit anima delectationem et incomparabiliter majorem si sit de Deo, et mira repletur contemplationis suavitate. Ad hac autem sublimes et puras Dei notitias non pertingit anima ordinarie, donec ad statum intimæ unionis cum Deo pervenerit, siquidem pertinent ad ipsius unionis substantiam. Mediis his notitiis sic Deus suaviter tangit animam, ut eam perfecte purificet et illuminet et perficiat. Nec diabolus potest quid simile fingere ; realitatem namque tactus hujusmodi procedentis a Deo facile discernit a quacumque fictione seu imitatione dæmonis, qui vel minimam habuerit illius experientiam.

345. Tales notitiæ et concomitantes tactus intimi procedentes a Deo animam ad ipsum Deum elevantes sæpius ex improviso contingunt secluso quocumque timore et aliquando cum tanta vehementia quod non solum animam sed ipsum corpus concutiunt, non tamen semper cum eadem efficacia. Debet anima in hac sublimi communicatione notitiarum se humiliter gerere judicando se tanto favore indignum, non tamen se habendo mere negative ad illam, sed disponendo se ad illam per humilitatem et amorem crucis spiritualis, per integram resignationem et per sinceram dilectionem. Hæ enim virtutes maxime disponunt ad divinam unionem, juxta illud Joannis 14, 21 : « *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum.* » Aliquando hæ notitiæ sunt de creaturis, nunc de istis, nunc de illis, juxta specialem Dei inspirationem. Hæ autem reducuntur ad gratias gratis datas, juxta illud Apostoli (1. ad Corinth. 2, 10.) : « *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* »

346. *Dico 3.* Secunda species revelationis supernaturalis, quæ dicit manifestationem alicujus arcani vel mysterii, duplici via procedit. Nam vel est de ipso Deo secundum quod est in se, vel est de Deo in ordine ad creaturas.Si est primo modo, est multiplex. Nam alia est revelatio de unitate Dei, de perfectionibus, de attributis ipsius, de sanctissima Trinitate et de proprietatibus divinarum personnarum ac de aliis similibus. Si est secundo modo, tunc est revelatio de divinis, de creatis ac dispositionibus creaturarum, præser-

tim intellectualium. Ibi comprehenduntur promissa et communicationes vel circa totum orbem regnum, vel provinciam, civitatem, vel particularem personam. Et hæc revelatio contingit non solum locutionibus, sed etiam signis, indiciis, figuris et aliis similitudinibus.

Dico 4. Circa manifestationem mysteriorum 347.
Dei in se ipso standum est principiis fidei. Si quid enim novum vel contrarium revelatis manifestetur, rejiciendum est, juxta illud Divi Pauli Apostoli ad Galatas 1 : *Si Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* » Si vero de jam revelatis aliqua nova succedat illustratio, præsupposito fidei fundamento tamquam certo, potest quis divino favore cum gratiarum actione frui. Si vero manifestatio mysteriorum Dei sit circa creaturas, tunc debet quisque caute se gerere. Nam in hoc potest multiplex illusio et deceptio dæmonis inveniri, qui phantasmata alterando et coordinando et sensus externos indebitis speciebus impressis illudendo falsas plurium rerum notitias potest indirecte sic in intellectu causare, ut peccata aliorum falso ei detegendo et alia hujusmodi. Unde bonum est, quod qui tales notitias recipit, non multum eis adhæreat, et director spiritus ei suadeat, quod hujusmodi neglectis soli Deo uniatur, in quo solo beatitudo nostra consistit, ut dixit Christus (Joannis 17, 3.) Patri suo cœlesti : « *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* »

SECTIO V

De divinis locutionibus.

SUMMARIUM

348. Triplex et Dei locutio, altera, quæ formatur viribus exterioribus, altera quæ non aure corporis, sed imaginatione concipitur, altera, quæ fit pure spiritualiter in intellectu. 349. In intellectuali locutione tria possunt formari verba. 350. Prima dicuntur successiva, et quid importent ? 351. In hac intellectuali locutione ex defectu animæ potest etiam aliquando reperiri deceptio, et quomodo ? 352. In hac intellectuali locutione dantur alia verba, quæ dicuntur formalia, et quid importent ? 353. Alia verba dantur in hac intellectuali locutione, quæ dicuntur substantialia, et quid importent ?

348. Pro explicatione hujus sectionis notandum est, locutionem Dei esse triplicem. Alteram, quæ *vocibus exterioribus formatur*, quam aures audiunt et per eam intellectus audientis illustratur et affectus accenditur. Talis fuit vox, quæ in baptismo Christi intonuit : « *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* ». Et hæc vox formatur in aëre Angelorum ministério, vel a sanctis imaginibus vel ab Eucharistiæ Sacramento. Altera datur Dei locutio, quæ non aure corporis, sed *imaginatione percipitur*, dum Dominus per se ipsum, vel per aliquem Angelum format in imaginatione hominis ea verba vel sententias, quas vult ab ipso intelligi. Hoc autem potest Deus et Angelus facere sine verbis, quæ ipse proferat, solum similitudines verborum disponendo, quæ sunt in imaginatione hominis, ad quem loquitur, vel alias novas ei imprimendo. Id autem fit aliquando verba interius tam clare audiendo, ac si

corporeis auribus perciperentur absque eo, quod videatur persona loquens. Aliquando persona loquens se manifestat, dum figura ejus per aliquem Angelum imaginationi imprimitur, ita ut audiens, a quo audiat, nullo modo possit dubitare. Altera datur locutio Dei, quæ non sonat in aure corporis, nec percipitur in imaginatione,sed pure spiritualiter *in intellectu mentis*.

Dico 1. In hac intellectuali locutione *tria formari possunt verba*. Quædam, quæ naturaliter ipse spiritus humanus format. Hæc autem dicuntur *successiva*, quia circa materiam, quam actu anima contemplatur, cum tanta facilitate ac distinctione ea format, tamque consequenter varias invenit et deducit rationes, quas antea nesciebat, ac texit discursus non provisos, ut non ipsa sola hujusmodi facere videatur, sed ab alia persona secum interius colloquente, respondente ac instruente procedere credat.Et hoc cum aliquo fundamento. Nam tunc anima secum loquitur, se ipsam interrogat sibique respondet, non secus ac si cum alia persona discurreret. Et huic interlocutioni sæpius assistens Spiritus Sanctus adjuvat eam in formandis hujusmodi conceptibus. Nam cum intellectus humanus sit collectus ac unitus veritati, quam contemplatur, et similiter ei sit unitus Spiritus divinus, inde est, quod intellectus ipse Spiritui divino communicans ex prima veritate per lucem a cœlesti illo veritatis magistro derivatam multas alias deducit veritates. Unde credit anima, se cum alio successivis verbis discurrere.

349. 350.

351. *Dico 2.* Quamvis in hac intellectuali communicatione ac illustratione pure spirituali secundum se non soleat aliqua dæmonis illusio subrepere, ex defectu tamen ipsius animæ potest aliquando reperiri deceptio. Cum enim ipsamet anima sit, quæ tales format discursus ac rationes deducit, etsi media luce sibi divinitus communicata, quia tamen non illam plene possidet, nec illi perfecte subordinatur, sed potius juxta propriam intellectus sui capacitatem ac illuminationem utitur illa, sæpe contingit, quod in rationum deductione et in discursuum illatione decipiatur et sic ex veris principiis falsas conclusiones colligat. Quod si fuerit anima circa hujusmodi nimium affecta, facilius justo Dei judicio in pœnam affectus inordinati et curiositatis decipietur, credens hæc verba successiva a Deo procedere, cum tamen ab ipsa formentur.

352. *Dico 3.* Alia verba dantur in hac intellectuali cognitione, quæ dicuntur *formalia*. Hæc sentit anima sibi ab alio proferri, nec de hoc potest dubitare. Ista verba formalia differunt a successivis, tum quia formalia proferuntur ab alio ipsi animæ, successivæ vero formaliter ab ipsa anima, tum quia verba successiva contingunt animæ collectæ et circa eamdem veritatem, quam in sua collectione contemplatur, verba vero formalia contingunt animæ non collectæ ac minime cogitandi de re vel materia, circa quam proferuntur. Hæc verba formalia aliquando sunt admodum expressa et bene formata ; aliquando ut vix percipiantur ; quandoque sunt plura ; quandoque pauciora :

quandoque cito transeunt ; quandoque diutius perseverant. Quando a Deo proferuntur, habent in anima magnam efficaciam, siquidem operantur effectum, ad quem inducunt. Potest tamen illis etiam inesse illusio dæmonis, cum non appareat, an a Deo vel a diabolo proferantur. Et cum alias non habeant alium effectum præter instructionem animæ, non possunt ab effectibus dignosci, maxime quia, quæ a dæmone proferuntur, sunt expressiora. Unde non statim debet quis exsequi, quæ dictis verbis significantur, sed omnia prudenti et docto directori fideliter exponere et ejus consilio conformari.

Dico 4. Alia verba dantur in hac intellectuali 353.
locutione, quæ dicuntur *substantialia.* Dicuntur autem substantialia, quia substantialem effectum in anima causant. Conveniunt autem in omnibus cum verbis formalibus. Differunt tamen ab eis, quia sunt vere ac perfecte practica, siquidem operantur, quod significant. Verba vero formalia tantum sunt speculativa et solum instruunt ad agendum. Unde omnia verba formalia non sunt substantialia, bene tamen omnia verba substantialia sunt etiam formalia, siquidem idem penitus important quod formalia et aliquid amplius, quia simul instruunt cum formalibus, et operantur, quod significant, quod non faciunt formalia, ut constat ex illo Psalmi 67 : « *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis* », et ex illo Eccle. 8, 4 : « *Et sermo illius potestate plenus* », et ex illo Apostoli : « *Vivus est sermo Dei et efficax* ». Quod etiam attestatur N. M. S. Theresia, quando ei Christus dixit:

« *Ego sum* ; *noli timere* », ubi explicat, quomodo statim omnis turbatio, quam habebat, in suis visionibus evanuit. Hæc verba subito suum producunt effectum, unde audiens debet ea recipere quietus, et quasi passive se habere, nec ullam deceptionem timere, sed dicere cum Samuele : « *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* ». Non enim intellectus vel diabolus potest similes effectus substantiales operari in anima, juxta illud Jeremiæ 23 : « *Numquid non verba mea sunt quasi ignis... et quasi malleus conterens petram ?* ». Unde cum hæc verba sint vitæ æternæ, plurimum conducunt ad unionem divinam, maxime quando sunt interiora. Unde possunt cum humilitate et resignatione desiderari et cum gratiarum actione suscipi. Felix ac ter beatus, cui hoc modo loquitur Deus !

SECTIO VI

De divinis tactibus in anima.

SUMMARIUM

354. Tactus vel sumitur active vel passive. 355. Quid importet tactus, sumptus active, quid sumptus passive ? 356. Hic tactus contingit in voluntate. 357. Quando est altissimus, videtur ipsam animam penetrare. 358. Licet fiat in voluntate, ex illo resultat in intellectu quædam notitia Dei. 359. Quomodocumque a Deo contingat, est nimis sublimis et elevatus. 360. Hanc gratiam concedit Deus, cui vult, et quando et quomodo vult. 361. Meditatio et contemplatio sunt optimæ dispositiones ad hunc favorem. 362. Quomodo se debeat habere anima, quando recipit hunc favorem ?

354. *Dico 1.* Tactus vel sumitur active vel passive. Active importat actionem Dei intime tangentis

animam; passive importat hujus actionis effectum seu terminum, quem semper tactus active sumptus connotat. Hic tactus contingit in voluntate. Non enim substantia animæ potest seipsam sentire. Nulla quippe substantia est immediate operativa. Quando tamen est altissimus, videtur ipsam animæ substantiam penetrare. Et licet fiat in voluntate, ex illo resultat in intellectu quædam expressa Dei notitia, quæ altissimam Dei importat expressionem juxta actus eminentiam. Aliquando est valde distinctus, aliquando non ita; aliquando cito transit; aliquando diutius perseverat. Quomodocumque tamen a Deo contingat, est nimis sublimis et elevatus. Sed quando ad animæ substantiam penetrare videtur, est adeo elevatus, ut ipsa anima capere non possit, unde tantum bonum ipsi proveniat. 355. 356. 357. 358. 359.

Dico 2. Hanc gratiam concedit Deus, cui vult, quando, ubi et quomodo vult. Unde sæpe accidit, quod viris sanctis post longam orationem eam neget et incipientibus eam concedat. Sed Dominus est, et de suis donis gratuitis disponit prout vult. Unde non ex industria vel operatione animæ dependet, nec ex ejus meditatione vel contemplatione procedit, quamvis hæc omnia sint aptæ dispositiones ad hujusmodi favorem, ad quem anima solum operatur dispositive et se habet passive, ita ut tunc dicatur divina patiens. Unde in illius receptione non debet adhibere propriam industriam, ne fructum utriusque impediat, sed tantum debet præbere consensum cum humilitate et gratiarum actione. Potest tamen hunc tactum 360. 361. 362.

cum humilitate et resignatione desiderare, judicans se illo indignum, siquidem in hoc tactu et notitia Dei consistit unio animæ cum Deo. Non debet tamen hanc Dei communicationem indebite procurare, ne ex sua curiositate dæmoni viam aperiat. Potest enim diabolus simile quid fingere medio sensu et appetitu corporali. Sed quia de hoc tactu iterum infra redibit sermo, ideo nunc ad alia transeo.

SECTIO VII

Quomodo se debeat anima gerere in communicatione apprehensionum supernaturalium.

SUMMARIUM

363. Solæ virtutes theologicæ sunt in via medium ad intimam unionem cum Deo adjunctis donis Spiritus Sancti et gratiis gratis datis ad has virtutes attinentibus. 364. In patria talem perficiunt unionem visio Dei succedens fidei, possessio succedens spei, et amor fruitivus. 365. Ut anima in via hanc unionem acquirat, debet ad Deum attendere mediis prædictis virtutibus. 366. Ut quis acquirat divinam unionem, debet in hac vita relinquere notitias distinctas et claras de Deo et solum eum quærere in obscuritate fidei. 367. Qui ad divinam unionem aspirat, non debet immorari curiosius in visionibus et revelationibus, sed eas humiliter recusare. 368. Idem proportione servata dicimus de divinis locutionibus, sive fiant verbis successivis, sive formalibus. 369. Sola locutio, quæ fit verbis substantialibus, potest desiderari, et cur? 370. Hæc abnegatio divinarum communicationum nulli potest videri superflua, et cur? 371. Quid dicendum sit de divinis tactibus, explicatur.

363. Pro hujus sectionis intelligentia notandum est, quod solæ virtutes theologicæ Deum attingentes immediate sunt in via proximum medium ad intimam unionem animæ cum Deo adjunctis

donis Spiritus Sancti et gratiis gratis datis ad has virtutes attinentibus. In patria vero talem perfi- 364.
ciunt unionem visio Dei succedens fidei, possessio illius summi boni succedens spei et amor fruitivus perfecte, qui est perfectissimus actus charitatis. Unde ut anima ad hanc Dei unionem, quæ 365.
pro statu viæ potest acquiri, secure pertingat, debet mediis prædictis virtutibus ad Deum tendere prætereundo singulas creaturas. Quæ si mentem occupatum circa ipsas retineant, impedient divinam unionem. Unde debemus per fidem singulas creaturas transcendere et ad Deum ipsum penetrare, qui lucem inhabitat inaccessibilem, quæ nobis est caligo et nebula, juxta illud Apostoli (1. ad Corinth. 2.) : « *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* »

Dico 1. Ut quis acquirat divinam unionem in 366.
hac vita, *debet relinquere notitias distinctas et claras de Deo et solum eum quærere in obscuritate fidei.* Ratio est, quia quidquid puritati fidei in divina contemplatione repugnat, etiam repugnat divinæ unioni. Sed puritas fidei contemplationis consistit in simplici, obscura et generali contemplatione Dei. Ergo si quis distinctas et claras de eo pro hoc statu quæreret notitias in visionibus et revelationibus, præsertim corporeis et imaginariis, prædictam unionem impediret. Confirmatur, quia prædictæ notitiæ, cum non sint adæquatæ Deo, mentem in multa distraherent, quæ proinde non esset unice ad Deum collecta, quod requiritur ad perfectam Dei contemplationem. Ergo ut anima Deo uniatur, debet Deum

in caligine contemplari non curando de particularibus ac distinctis aliis notitiis.

367. *Dico 2.* Qui ad divinam unionem aspirat, *non debet immorari curiosius in revelationibus et visionibus*, vel erga eas affici, sed eas humiliter recusare. Et ratio est, tum quia puritati fidei repugnant, ut diximus, tum quia in eis anima sæpe decipietur, tum quia nullum impedimentum earum operationi præstat earum recusatio, siquidem statim independenter ab industria humana suum causant effectum; et alias omni dæmonis illusioni præcludit aditum; tum quia licet sint veræ, non semper in eis mens, quam Deus intentat, concipitur; tum quia ita docent doctores mystici, præcipue N. M. S. Theresia, quæ post mortem apparens venerabili Matri Catharinæ a Jesu præcepit ei, ut diceret cuidam Prælato nostri Ordinis, ne spiritum revelationum in Carmelitis approbaret ac nutriret. Nam licet multæ revelationes sint veræ, multæ etiam sunt falsæ præsertim inter mulieres. Et addit ipsa sancta Mater, *se gloriam acquisisse non revelationibus, sed virtutibus.* Ubi etiam alias rationes congerit, ut videre est apud N. P. Philippum a Ss. Trin. (Summæ Theolog. myst. parte 2. tract. 5. art. 7.).

368. *Dico 3. Idem proportione servata dicimus de locutionibus*, sive fiant verbis successivis, sive verbis formalibus. Non enim debet anima eas desiderare, nec in eis immorari, cum sit errandi periculum circa locutiones ac circa visiones et revelationes, et propter easdem rationes. Unde

369. *sola locutio, quæ fit verbis substantialibus, potest*

desiderari, cum nullum ibi sit errandi periculum. Non enim possunt a dæmone fingi, nec repugant fidei puritati. Immo fidem confirmant, dum animam auscultantem Deo conjungunt et in ejus contemplatione confirmant, cum semper eo sensu capiantur, quo a Deo proferuntur. Nam semper operantur, quod significant. Unde cum humilitate ac gratiarum actione debet anima sic Deo loquenti suaviter attendere. Nec hæc ab- 370.
negatio divinarum communicationum alicui potest videri superflua. Nam multum aberrant, qui volunt instrui via supernaturali, siquidem Deus sufficientem fidelibus instructionem posuit in Ecclesia ; et ideo Paulum recenter conversum non ipse supernaturaliter voluit instrui, sed illum misit ad Ananiam, ut ab eo instrueretur. « *Surge*, » inquit, « *et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* » Non ergo per revelationes debemus resolutiones nostrorum dubiorum sperare, sed id a Doctoribus et ab Ecclesia Dei visibili recipere, ut ait Apostolus (ad Galatas 1.) : « *Sed licet Angelus de cœlo evangelicet vobis, præterquam evangelizavimus vobis, anathema sit.* »

Dico 4. Quantum ad *tactus intimos divinitatis*, 371.
quos percipit anima, jam dictum est, quod partim in illis unio animæ cum Deo consistit. Unde sicut possumus, immo debemus ad divinam unionem jugiter aspirare, sic *possumus hujusmodi tactus desiderare*, qui per se primo directe et immediate voluntatem Deo cunjungunt, et ex consequenti etiam ipsum intellectum per altissimas

divinitatis notitias ex illis dimanantes et concomitantes.Nec in illis potest per se aliqua deceptio vel periculum reperiri, sicut in aliis apprehensionibus supernaturalibus reperitur. Sed tantum valet per accidens periculum reperiri,quale reperitur in rebus optimis, ut in exercitio virtutum, dum illarum occasione quis in superbiam aut in aliud inconveniens illabitur.

SECTIO VIII

Quo nodo apprehensiones supernaturales veræ distinguendæ sint a falsis.

SUMMARIUM

372. Certum est, diabolum sæpe se transformare in Angelum lucis et multos in his apprehensionibus decipere. 373. Non omni spiritui credendum est. 374. Director spiritualis debet curare, ne animæ, quas communicat, in his illustrationibus decipiantur. 375. Ponitur prima regula ad discernendas veras apprehensiones, et exponitur. 376. Ponitur secunda regula, et declaratur. 377.Ponitur tertia regula, et elucidatur. 378. Ponitur quarta regula, et illustratur.

372. *Dico 1.* Cum certum sit, diabolum sæpe se transformare in Angelum lucis et multos in prædictis apprehensionibus decipere vel ipsos a sua imaginatione decipi, maxime curandum est, ne succedat aliqua deceptio.Unde non omni spiritui
373. credendum est, ut fecit Josue, qui, cum videret Angelum in campo suo, dixit : « *Noster es, an*
374. *adversariorum ?* » (Josue 5, 13.). Debet igitur director spiritualis curare, ne animæ, quas com-
375. municat, in his illustrationibus decipiantur. Pri-

ma autem regula universalis,quam debet attendere ad discernendas veras apprehensiones a falsis et fictis, est *attendere ad illarum effectus*. Nam ut docet Magister veritatis : « *Arbor bona bonos fructus facit, et arbor mala non potest bonos fructus facere.* » Unde si ad prædictas apprehensiones supernaturales sequatur vitæ sanctitas fundata in exercitio virtutum humilitatis, patientiæ,mortificationis, obedientiæ, amoris Dei et proximi ac perfectæ resignationis, tunc judicandæ sunt veræ et procedentes a bono spiritu. Si tamen cum illis conjuncta sit vitæ impuritas et perversa operatio, judicandæ sunt falsæ et procedentes a malo spiritu vel a propria imaginatione.

Dico 2. Secunda regula est, *attendere ad perso-* 376.
nam, cui fit revelatio, an sit vir vel fœmina; nam fœmina,cum sit mollis,facile potest ejus imaginatio multis phantasmatibus obrui. Singularis complexio quoque videntis oculo corporeo vel imaginario rimanda est, an sit vehementis imaginationis, vel melancholicus, an sit sani capitis ? Qui capite læsi sunt, similia visa experiri possunt. Moralis quoque status personæ notandus est, an scilicet sit bonis moribus prædita, quibus studiis et officiis delectetur ? Ex curiositate namque sequuntur illicita et pacta implicita et explicita cum dæmone. Considerandum est, quibus præceptoribus imbuatur et cum quibus personis quantum ad convictum conversetur. Num veritatis sit amatrix, an mendaciis delectetur ? An dives sit vel pauper ? Si sit pauper, distinguendum est, an sit pauper ex indigentia, an ex voto et statu. Primi enim

generis homines avaritia, secundi vero generis superbia infestari solent. Examinanda est etiam persona,cui fit revelatio, an fide, spe et charitate cum aliis virtutibus polleat ? Simulatio enim in hæreticis cernetur, et sic examinanda est fides uniuscujusque et spes,an speret solum in Deo,an in suis virtutibus ? Examinanda est charitas tam erga Deum quam proximum. Examinandum etiam est, an persona, cui fit revelatio, sit sæcularis vel religiosa ? Nam licet Deus etiam possit sæcularibus manifestari, siquidem *nemo est, qui se abscondat a calore ejus* » (Ps. 18,8.),negari non potest, quod ad suscipiendas has anagogicas visiones habilior sit cæteris paribus religiosus,quam sæcularis. Videndum est etiam, an sit tyro in via perfectionis ? Nam modus regularis Dei est ascendere ab imperfecto ad perfectum. Et qui non est exercitatus in via purgativa, non est credendus elevatus esse ad illuminativam ; quamvis id etiam aliquando evenire potest. Et ex profectu talis personæ in via virtutis colligendum est, an divina Sapientia ideo aliquando alicui tyroni communicet hos effectus, ut eum purificet et sanctificet. Unde si ex talibus favoribus sequatur profectus in anima recipientis, bonum signum erit, quod sint a Deo.

377. *Dico 3.* Tertia regula est, *attendere ad rem*, quæ revelatur, an sit in se bona ? Nam dæmon transfiguratus in Angelum lucis facit apparere bona, quæ in se sunt mala, pervertendo sensus hominis et inflammando concupiscentiam. Si vero fuerit intellectualis, videndum est, an causet in anima

profectum cum bonis affectibus internis. Si enim visio est a Deo, causat hos effectus in anima, quos neque imaginatio propria, nec diabolus possunt causare. Causat maximam pacem internam, desiderium placendi Deo, magnam sui confusionem et humilitatem. Ita N. M. S. Theresia (Mansione 6. cap. 8.). Si fuerit visio imaginaria, considerandum est, an fiat cum magna majestate et vivacitate. Nam visio imaginaria, si est a Deo, habet hanc proprietatem et ita manet impressa, ut vix possit oblivisci. Videndum etiam est, an anima, cum revelationes et locutiones percipit, simul in se amorem Dei cum intima humilitate ac summa ipsius reverentia experiatur. Si enim hæc in se sentiat, signum est, esse a Deo ; secus si anima inveniatur arida amore Dei et propensa ad vanitatem et sui æstimationem ; quamvis etiam aliquando diabolus falsam inspiret humilitatem et aliquando lacrimas exprimat sensibilis devotionis, ut postea suos imprimat perniciosos effectus. Quæ quidem discerni possunt, si simul moveant voluntatem, ut hujusmodi communicationes internas plurimum æstimet et ut eis tenaciter adhæreat et ut anima occupetur in hoc exercitio, quod non est virtutis acquirendæ, sed occasio decidendi ab omni cultu virtutis.

Dico 4. Quarta regula est, *attendere ad personam, quæ revelat.* Sæpe enim diabolus se transformat in Angelum lucis et hoc modo multos decipit. In hoc potest cognosci, quod satanas sit, quia bonus Angelus in principio hortatur ad bona et perseverat in eis ; sed malus in principio præ- 378.

tendit bonum, volens explere quod intendit, scilicet decipere, et instigat ad malum. Ita D. Thomas (ad 2. Epistolam D. Pauli ad Corinthios,cap. 11.).Item bonus Angelus,etsi terreat in principio, statim consolatur et confortat, ut fecit B. Virgini dicens : « *Ne timeas, Maria* », et Zachariæ (Lucæ 1.). Malus autem angelus stupefacit et desolatam dimittit animam. Advertendum tamen est, quod etiam in visionibus,quæ a bono spiritu procedunt, interdum commotiones magnæ et voces terribiles audiuntur, ut patet ex Ezechielis 1., ubi dicitur : « *Et audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum.* » Et Apocalypsis 1. dicitur : « *Audivi post me vocem magnam tamquam tubæ.* » Sed hoc est ad significandam commotionem, aut alia gravia pericula, quæ in hujusmodi visionibus continentur. Sed quia hæc ad consolandum ordinabantur, statim inducitur vox loquentis similis auræ lenis, ut pavorem præteritum sedaret. Tandem discutiendum est, *an hæc dona et charismata cum cruce et mortificatione sint conjuncta*, vel antecedenter, concomitanter vel subsequenter. Nam si cum illis non sint conjuncta, valde sunt suspecta. Nam dona dantur ad manifestationem fidei et utilitatem Ecclesiæ.Fides autem manifestatur in mortificatione et patientia christiana. His enim crescit maxime christiana religio.

SECTIO IX

Ponuntur alia signa ad distinguendas revelationes et visiones veras a falsis.

SUMMARIUM

379. Dæmon potest plura admiranda efficere hominibus, quæ revera sunt falsa et vera apparent. 380. Quædam facit realiter, quædam præstigiose. 381. Realiter ea facit, cum reales effectus producuntur. 382. Referuntur, quæ potest efficere realiter. 383. Referuntur, quæ potest facere apparenter et prestigiose. 384. Quædam facit apparenter per medii alterationem. 385. Quædam facit immutando visum. 386. Potet species impressas a sensibus internis ad externos evocare. 387. Potest dæmon multa scire. 388. Quomodo cognoscat futura necessaria et determinata, explicatur. 389. Non potest investigare futura dependentia a voluntate Dei et hominis. 390. Diabolus antiquitus per oracula loquebatur. 391. Quid sint oracula, explicatur. 392. Referuntur aliqua oracula antiqua. 393. Hæc oracula Christi adventu cessarunt. 394. Nunc loquitur diabolus per pseudoprophetas. 395. Quæ communicet diabolus his pseudoprophetis? 396. Dantur plura signa ad distinguendum veros prophetas a falsis. 397. Referuntur hæc signa. 398. — 400. Pountur signa ad distinguendum veras revelationes a falsis. 401. Refertur casus notabilis in confirmationem prædictæ doctrinæ.

Pro hujus sectionis explicatione suppono, posse 379.
dæmonem plura hominibus admiranda efficere,
quæ cum revera sint falsa, vera apparent. Hæc
autem vel facit diabolus *realiter*, *vel præstigiose* 380.
et apparenter. Tunc ea facit *realiter*, cum revera 381.
effectus reales producuntur. Potest namque diabo- 382.
lus per suam naturam ingentia corpora velocissime impellere et humana corpora per aëra evehere. Hæc enim inferiora subduntur naturæ angelicæ quantum ad motum localem, ut ait D. Thomas (Quodlibeto 9. art. 5.) Potest etiam subtrahere corpora a tali situ et alia eorum loco substituere.

Sic sublatis virgis veri serpentes apparuere in Ægypto, ut spectatores viderent, vel putarent virgas in serpentes conversas.

383. Quæ vero non realiter fiunt, sed illusione simulantur, *præstigiosa* dicuntur. Hæc autem facit diabolus, cum revera reales effectus producere non potest. Nam tunc ad præstigiosas actiones et ludificativas sensuum recurrit, quod facit primo ex quadam agilitate et dexteritate, ut faciunt circulatores; secundo adhibitis quibusdam rebus naturalibus, ut suffitu et hujusmodi, ut intrantes domum aliquam videre videantur homines asinina capita habentes et hujusmodi. In ludificatione vero sensus quandoque utitur rebus existentibus et eos alterat colores vel formas vel magnitudinem im-
384. mutando. Tertio obscurat et alterat medium, ut
385. objectum non videatur; quarto percutit oculos acrisia, ut nihil videre possint, vel per aliam visus immutationem afficiendo objectum, ne emittat
386. species; quinto imagines et species impressas sic potest a sensibus interioribus ad exteriores evocare, ut quasi præsentia hæc omnia habeantur. His præstigiis usi sunt passim a dæmone seducti Appolonius Thianæus et Numa Pompilius.

387. Secundo suppono, quod licet dæmones gratiam et supernaturalia amiserint, multa tamen scire non
388. est dubitandum. Sciunt enim certo futura, quæ habent causas necessarias, ut sunt eclypses et alia hujusmodi. Futura vero, quæ habent causas determinatas non necessarias, quia impediri possunt, pronuntiant, sicut nautæ pronunciant de tempes-
389. tate, medicus de pulsu. Futura tamen, quæ de-

pendent ex libera Dei voluntate vel ex hominis libertate, investigare non possunt ex vi suæ sagacissimæ mentis. Unde si quædam futura enunciant, id multis modis accidere potest, vel quia celeriter, quidquid agitur in orbe, ante certum nuntium, potest dæmon prius annuntiare, vel quia potest jubere, perdere, vastare regiones et alia flagella emittere, et hæc antea annuntiare. Unde prædixit, Saulem postridie moriturum, quia factum erat mancipium et peculium diaboli. Potest alia dæmon divinare, cum intersit divinis consiliis, ut cum accepit dæmon potestatem vexandi et agitandi Job, aut cum se exhibuit in fallendo Achab.

Tertio suppono, diabolum antiquitus per *oracula* locutum fuisse. Sunt autem oracula responsa dæmonis, quæ ad ipsum consulendum recurrentibus dabantur. Unde juxta Dodonam Chaonæ civitatem memus erat Jovi sacrum, ubi quercus loquebatur. Fontes et flumina sæpe responsa dabant, ut accidit Pythagoræ, cui fluvius dixit : « *Optimus sit adventus tuus* » ! In statua Jovis loquebatur dæmon Tertegono mago, in Antiochia in capite Orphei. Sæpe id accidit in quodam puero nondum loquente. Locutus est sæpe diabolus pronuntiando vastationem cujusdam civitatis futuram, ut refert Delrio (lib. 2. de magia, qæst. 19.). Hæc autem oracula jam Christi adventu cessarunt. Sed nunc aliis utitur dæmon oraculis, quibus plures animas seducit. Hi sunt pseudoprophetæ, qui inierunt fœdus cum morte et pactum cum inferno. His autem communicat dæmon ea omnia, quæ ipse per cognitionem naturalem scire potest, et

390.
391.
392.
393.
394.
395.

multa, quæ Angelorum ministerio discit. Unde hi pseudoprophetæ multa prædicunt futura, quæ cognitione naturali cognoscunt, ut faciunt medici et astrologi ; multa loquntur ex dæmonis revelatione,et multa magia naturali et etiam dæmoniaca operantur. Permittit enim Deus diabolo, ut sua facultate naturali utatur, sicut et omnibus rebus permittit suas actiones naturales. Concessum est etiam diabolo, aliquando verum dicere, ut mendacium suum rara veritate confirmet.Immo sæpe accidit, quod per prophetam dæmoni Deus ipse loquatur,ut successit in Balaam (Numeror.2,2.), quia Deus etiam malis utitur ad utilitatem bonorum.Ita D. Thomas (2.2.q. 172. art. 6. ad 1.).

396. *Dico 1.* [Ad distinguendum veros prophetas a
397. falsis, *multa signa* dantur. Primum ponitur a D. Paulo (1.Corinth. 12.) : « *Ad simulacra muta prout ducebamini euntes* ». Quia pseudoprophetæ ducebantur et dæmon eos adducebat tamquam captivos et ligatos. Veri autem prophetæ « *prophetabant, ut decebat, et prudenter et libere. Propterea et dicendorum et tacendorum erant Domini. Non enim necessitate detinebantur, sed potestate in honore habebantur.* » Ita D. Chrysostom. (in Ep. 1. ad Cor. cap. 12. hom. 29.) Secundum signum insinuatur (l.c.) a D. Paulo et ponitur a D. Chrysostomo : « *Cum videris quempiam nomen Jesu non appellantem vel anathematizantem, vatem non esse tibi persuadeas ; at contra quum in nomine Jesu omnia loquentem, spiritualem esse intellige* . » Tertium signum ponit D. Thomas (2.2.q.172.art. 6.ad 2.) : « *Verus propheta semper*

inspiratur a Spiritu veritatis, in quo nihil est falsitatis, et ideo numquam dicit falsum. Propheta autem falsitatis non semper instruitur a spiritu falsitatis, sed quandoque etiam inspiratur a Spiritu veritatis. Ipse etiam spiritus falsitatis quandoque enuntiat vera, quandoque falsa. »Quartum signum ponitur Deuteronomii 18., illiusque meminit D. Thomas (2.2.q. 172. art. 5.ad 3) : « *Si tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus, hoc habebis signum, quod in nomine Domini propheta ille prædixerit et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit et ideo non timebis eum.* » Quintum signum est, ut prophetæ veri habeant legitimam missionem ; falsi seipsos introducunt. Ita Jeremiæ 23 : « *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant.* » Sextum signum est,quando legitime missi ordinaria curatione a Christo Domino instituta id student, ut populum ad virtutes et bona opera excitent et eorum utilitati serviant, non propriis commoditatibus.Hoc signo deprehensi sunt pseudoprophetæ in veteri Testamento. (Ezechiel. 22.)

Dico 2. Ad distinguendas veras a falsis visio- 398.
nibus debet director advertere, an contemplativi, quibus tales visiones apparent, *delectentur phantasmatibus*, quæ ipsi formant et secum adducunt. Si enim istis delectantur, credendum est, illos videre ea tantum, quæ vel propriis oculis exterius, vel imaginariis per simulacra fabricantur. Unde hi cæci sunt, et incapaces videndi vera, sed vel a se vel a dæmone seducuntur.Sic decipit hæreticos

diabolus, qui ad imagines phantasmatum suorum, cum quibus veluti delectantur, convertit omnia Sacramenta et verba librorum sanctorum, juxta illud Ezechielis 16, 17: «*Et tulisti vasa decoris tui, de auro meo atque argento meo* (librorum scilicet sacrorum), « *quædedi tibi, imagines masculinas, et fornicata es in eis.* » Cf. D. Augustinum. (De baptimo contra Donatistas, lib. 3.cap. 14.)Sic isti visionarii abutentes divinis inspirationibus et benedictionibus faciunt cum eis, illis inhærentes et cum illis colludentes. Et ex illis producunt fœtus inanis complacentiæ et extollentiæ super alios, qui sunt characteres bestiæ, quibus anima his dedita innutritur.

399. *Dico 3. Complexio quoque videntis* tam oculo corporali, quam imaginario, vel etiam mentali diligentissime *rimanda est*, nempe an ex sua temperie vel aliquo accidenti oculi corporalis sit fortis vel debilis visus ; an sit vehementis imaginationis, ut esse solent maxime laborantes melancholia, vel nigra cholera ; similiter an sani capitis, an cerebro turbato ? Videndum etiam est, an hæc persona phrenetide laboret et an sit arreptitia ? Qui enim capite læsi sunt, ex cellularum dispositione, vel alia nativa læsione, vel ab extrinseco alio accidenti similia visa experiri possunt, prout imagines phantasiæ imprimuntur. Quod quidem epilepticis et phreneticis accidit. Idem senio confectis accidere potest. Nec infimum tenet locum inclinatio. Ex ea enim possumus cognoscere effectus inde provenientes. Ex affectu enim et inclinatione exercitia metimur. Cum enim aliquid ama-

mus, desideramus illud, si absit ; gaudemus, si adest, et tristamur, si ab eo impedimur, et odimus, quæ nos ab amato impediunt, et irascimur contra ea. Unde si persona, cui fiunt hujusmodi visiones, affecta sit ad has apprehensiones, regulariter procedunt vel a se ipsa et a sua affectione, vel a dæmone. Quod ut cognoscatur, debet director ei præcipere, ut de talibus visionibus non curet, et ut eas despiciat. Nam si hoc mandato tristatur et in directorem invehitur, signum est, tales visiones vel a se, vel a dæmone esse confictas. Qui enim Spiritu Dei aguntur, non tristantur ex tali mandato directoris, sed conformantur ; licet alias visiones, si veræ sint, non propter prohibitionem directoris deficiunt, sed potius augentur, et Christus hac obedientia maxime delectatur, ut accidit S. N. M. Theresiæ (in vita sua, cap. 3.), cui cum confessor præciperet ut resisteret visionibus Christi, et signo crucis se muniret, et eas despiceret, Christus eam tales actiones exercentem laudavit. Quod etiam cuidam monacho et Sanctæ Gertrudi accidit, ut refert Planes (* in examine revelationum, lib. 3. cap. 6. §. 5.).

Dico 4. Obedientia habentis has apprehensiones 400.
erga suum prælatum et confessorem maxime *attendenda est.* Ille enim, qui obedientiam non habet suo prælato, confessori vel directori, ultra quam quod maximam ostendit superbiam, separatur a gubernio capitis sui et impedit medium, per quem Deus ei lucem suam communicaturus est, et sic ponit se in manifesto periculo errandi. Unde D. Bernardus (serm. de multiplici utilitate

verbi Dei) ait : « *Eam cogitationem, quæ pudica videtur, nec ad vitia trahit aperte, sed virtutis prætendit imaginem, tunc a Deo noveris esse, si pacifica sit, si prælati tui atque spiritualium fratrum approbatur judicio.* » Et N. M. S. Theresia (Mansione 6. c. 9.) ait : « *Id maxime necessarium est, ut cum confesore summa veritate ambuletis, non solum in confitendis peccatis, sed etiam in referenda oratione. Si enim hoc deest, non credo, Deum esse, qui eas operetur. Nam Deus, vult quod illi, qui in suo loco est, magna veritate et claritate loquamini.* »

401. Hinc maxime dubitavi de spiritu cujusdam monialis, quæ ducta fuit a spiritu (ut illa dicebat) ad desertum interius, et putabat, se solum loca deserta videre, cum alias esset intra suam cellam, et se horribiles animalium visiones videre, ubi etiam aliquibus visionibus cœlestibus recreabatur. Ipsa vero per quadraginta dies solo pane et aqua fuit contenta. Numquam tamen officium divinum recitavit, nec Missam audivit. Et cum ei suus generalis præciperet cum præcepto formali, ut ab illo deserto exiret et divinum officium recitaret et Missam audiret et ut ad communitatem veniret, ipsa incœpit dicere : « *Dimittite me, feræ horribiles. Vultis me devorare ! Ecce ego...* » Putabat enim feras ipsum generalem et alios prælatos ibi adstantes — et fugit et non obedivit præcepto formali. Et licet aliqui Doctores Complutenses conati fuerint, hunc spiritum hujus monialis defendere, afferentes illum casum Nabuchodonosoris, qui se tamquam feram pascentem existimabat et ab omni

consortio hominum segregatus erat inter bestias, ego similitudinem numquam inveni. Nam Nabuchodonosori non fuit impositum præceptum obedientiæ, ut impositum fuit huic moniali, nec eam justificat id, quod addebant prædicti Doctores, scilicet, illam non percepisse voces præcepti obedientiæ. Nam ob id ego hunc spiritum malum reputavi. Nam si spiritus esset a Deo, procul dubio verba præcepti perciperet. Deus enim semper ducit animas per viam a se ipso edoctam. Et via secura est obedientia, ut ait D. Paulus : « *Obedite præpositis vestris.* » (Hebr. 13, 17.)

Unde videmus, quod cum S. Fr. Gil (Aegidius) esset in quodam raptu et exstasi, absque ullo sensu Summus Pontifex Gregorius IX.ei præcepit in virtute obedientiæ, ut exiret statim a raptu. Et ipse verba præcepti in raptu audivit et statim exivit ab illo et procidens venit ad Pontificem, ut ex Chronica S. Francisci refert Planes (lib. 4. examinis revelationum, cap. 23. §. 4.). Si ergo iste raptus hujus monialis fuisset a Deo, ut erat ille S. Gil, procul dubio ad præceptum sui Generalis exiisset ab illo et in ipso raptu percepisset verba præcepti, ut obediret suo prælato. Unde judicavi, illam monialem esse seductam, sicut sunt illi, qui in obedientia delinquunt suo directori. Econtra vero obedientes liberati sunt ab illusionibus, ut accidit D. Genebaldo,ut refert Surius (13. Januarii in vita S. Remigii, c. 42.); et Leander refert (discursu 1. §. 6. num. 4.) de alio casu, qui accidit S. Erhardo, cum quodam discipulo suo. Vide etiam Planes. (l. c. 3. §. 5.)

SECTIO X

Prosequuntur signa ad distinguendas veras visiones et revelationes a falsis.

SUMMARIUM

402. Ponitur primum signum et examinatur. 403. Ponitur secundum signum. 404. Ponitur tertium signum. 405. Ponitur quartum signum. 406. Revelatio, quæ revelat culpas et peccata occulta proximi, est valde suspecta. 407. Idem dicendum est de revelatione, quæ exhortatur aliquem ad rem singularem cum scandalo, et cur ? 408. Illud, quod potest sciri via humana vel diabolica, non est statim attribuendum divinæ revelationi. 409. Revelatio vel visio, quæ movet ad faciendum aliquid, de quo non certo scitur,placere Deo, vel de bonitate illius dubitatur, non est hona. 410. Persona, quæ revelat suas visiones, nisi suo directori, valde suspecta est unacum ipsius revelatione. 411. Timor aperiendi eas est signum, quod sint Dei. 412. Revelatio vel communicatio, quæ causat facilitatem ad virtutem et bona opera, est bona.

402. *Dico 1.* Ad distinguendas veras visiones et revelationes a falsis maxime attendendum est, *an persona* quæ visiones et revelationes habet, *desideret*, *illas habere*. Tale enim desiderium, ut docet S. Vincentius Ferrerius, oritur ex superbia. Idem docet M. N. S. Theresia (Mansione 6. cap. 9.). Idem docet S. Augustinus, qui cum de hoc desiderio esset tentatus, nunquam ei acquievit, ut ipse fatetur (lib. 10. confession. cap. 42.). Si ergo Augustinus non est ausus, hoc admittere desiderium, quis illud admittet absque superbia ? Sed de hoc vide latius N. S. P. Joannem a Cruce (Ascens. Carmeli, lib. 2. cap. 21. et 22.). Vide etiam casum, quem refert Planes (lib. 3. cap. 7. § 8.) de quodam monacho dicto Herone, qui cum

esset vir eximiæ abstinentiæ, fugiebat ab aliis monachis et inter eos singularis erat et dicebat, se velle conversari cum Angelis, ideo fugiebat a conversatione hominum. Ad hunc venit satanas conversus in angelum lucis, quem ipse libenter suscepit et ei promisit obedientiam. Diabolus vero, postquam eum superbia et vana gloria et propria æstimatione replevit, ei persuasit, se devenisse ad magnam sanctitatem, ob quam non posset ab aliquo cædi. Et ad id experiendum ei persuasit, ut se injiceret in puteum. Quod cum ipse fecisset, extractus fuit semivivus ab illo. Non tamen voluit credere, illam fuisse illusionem dæmonis, et tandem tertia die mortuus est a dæmone seductus, ut cognocamus, optimam dispositionem ad Dei revelationes non esse illarum desiderium, sed maximam humilitatem et intensum Dei amorem et proximi.

Dico 2. Præcipuum, quod considerandum est 403.
in aliqua revelatione ad judicandum, an sit vera vel falsa, est, *an contineat aliquid falsitatis*. Si enim hujusmodi aliquid habuerit quantumvis minimum, non est Dei revelatio, sed dæmonis, vel a propria imaginatione conficta. Ita Planes (lib. 2. cap. 2. §. 3.) et S. Vincentius Ferrerius (Tract. de vita spirituali, docum. seu cap. 3. et 4.). Et ratio est, quia in spiritu veritatis non datur locus alicui falsitati, etiam minimæ. Et ideo Christus jussit dæmoni tacere (Marc. cap. 1.). Ad cognoscendum autem, an revelatio habeat integram veritatem, videndum est, an sit *conformis sacræ Scripturæ*, an contineat aliquid contra fidem

aut bonos mores et veram Theologiam et traditiones Ecclesiæ et doctrinam communem Sanctorum Patrum ? Nam si in aliquo his contravenerit, talis revelatio falsa est, et illusio dæmonis, siquidem veritati contradicit. Ita Planes (lib. 3. cap. 10. §. 1).

404. *Dico 3.* Revelatio, ut si bona, debet habere illas conditiones, quas posuit D. Jacobus (in sua Ep. cap. 3.), ubi ait : « *Quæ autem desursum est, sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.* » Dicitur autem, « *pudica* », hoc est humilis et cum reverentia (Ita Planes, lib. 3 cap. 11. §. 1.) ; « *pacifica* », id est quæ non separat hominem per superbiam a consortio aliorum fratrum (Ita D. Gregorius.) ; « *modesta* »,id est justa, quæ tam in interiori, quam exteriori observat æquitatem et modum ; « *suadibilis* », id est obediens patri spirituali ; «*bonis consentiens*», id est admittens consilia directoris spiritualis ; « *plena misericordiæ* », id est compassione plena ; « *et fructibus bonis* », id est plena operibus misericordiæ ; « *non judicans* », id est non judicans male de proximo absque fundamento ; « *sine simulatione* », id est absque hypocrisi. Ita cum S. Beda., D. Thoma et aliis Planes (lib. 3. cap. 11. §. 1.)

405. *Dico 4.* Non solum videndum est, an materia revelationum sit bona,ut supra diximus, sed maxime attendendum est, *an talis revelatio sit necessaria et an sit de materia gravi ?* Unde revelationes, quæ docent res inutiles, et quæ non sunt ad rem, sunt illusiones. Ita Medina, quem refert et

sequitur Planes (lib. 3. cap. 11. §. 2.). Hinc fit, quod si revelatio sit de re impertinente, est suspiciosa. Videndum ergo est, an sit utilis animæ illam habenti vel animabus aliorum. Ita D. Angustinus (serm. 2. de verbis Domini.). Hinc fit, esse illusiones visiones illius qui dicit, se vidisse aliquem Sanctum ascendentem per scalam in cœlum et quod eum per manum apprehendit, et quod vidit luces exeuntes ex oculis crucifixi et quod illi B. Virgo apparuit et ei manu tetigit caput. Hæc enim omnia et similia sunt ridicula. Licet enim Deus aliquando aliquos favores concedat suis servis, ex modo et fine illorum judicandum est, an sint veri vel non, et in materia revelationum nullo modo admittendi. Debet etiam adverti, an revelatio afferat verba adulationis. Spiritus enim Dei non est adulator. Sed de hoc vide latius Planes (lib. 3. cap. 11. §. 2. et 4.).

406. *Dico 5. Revelatio, quæ revelat culpas et peccata occulta proximi, est valde supiciosa*, precipue si aliqua vox sive exterior sive interior prædicta peccata occulta propalam audiatur, quæ jubeat, ut eum reprehendat vel admoneat. Item si inde persona, cui fit revelatio, concipiat despectum illius personæ, de qua facta est revelatio, vel si desideret illius crimina occulta propalare. Nam cum Christus nos doceat correctionem cum charitate spiritus, qui docet despectum proximi et revelationem illius peccati, non est Dei, sed satanæ. Quæ omnia veriora sunt, si reprehensio debeat fieri alicui prælato, vel sacerdoti, vel personæ, cui debeatur specialis reverentia. Ita Planes

407. (lib. 3. c. 11. §. 5.). Idem dicendum est de revelatione, quæ exhortatur aliquem *ad rem singularem cum scandalo*, etiam si res in se sit bona, ut si persuadeat religioso, ut quotidie in communitate jejunaret in pane et aqua. Hæc enim revelatio valde est suspecta fraudis,nisi a directore et prælato sit approbata. Ita Planes (lib. 3. cap 12.§.1.). Idem dicendum est de revelatione, *quæ inducit ad aliquod opus bonum, quod est impedimentum alterius melioris.* Ita Planes (l. c. §. 2.).

408. *Dico* 6. Non est statim attribuendum revelationi divinæ illud *quod potest sciri via humana, vel diabolica.* Ita Gerson (*lib. 1. de vera et falsa prophetia, c. 15.). Et ratio est, quia cum diabolus plura possit efficere et scire, quæ supra (n.380 et seqq.) diximus, et alias maxime desideret, animas decipere, si non detur aliqua ratio urgens et conformis regulis assignatis, potius credendum est, talem revelationem esse a dæmone, quam a Deo. Nam Deus sine causa et utilitate non solet has revelationes efficere, præcipue si non sint de rebus maxime necessariis. Vide Planes (lib. 3. c.

409. 14. §. 5.). Tandem considerandum est, ne homo ex revelatione vel visione moveatur ad aliquid agendum, maxime si sit res gravis, *de qua non habeat certitudinem, illam Deo placere*, sed potius de bonitate illius dubitet. Qui enim sic operatur, exponitur periculo errandi.Unde antequam operetur,debet rei revelatæ circumstantias rimari et illam viro docto communicare, alias a diabolo decipietur. Ita S. Vincentius Ferrerius (Tract. de vita spirituali.), Planes (lib. 3. c. 15. §. 1.).

Dico 7. Videndum etiam est, an persona, quæ 410.
habet revelationes, eas revelet pluribus, *an solum suo confessori intra Sacramentum confessionis.* Nam si eas divulget, signum est, non dari ibi Spiritum Dei, sed spiritum vanitatis et vanæ ætimationis. Ita cum Murilto Planes (lib. 3. cap. 16. §. 2.). Licet enim aliquando conveniat, revelationem publicare, quando scilicet id necessarium est ad bonum aliorum vel Ecclesiæ,id debet fieri ex consilio et mandato superioris et directoris, et non a proprio spiritu. Illa enim voluntas revelandi prædictas revelationes, procedit ex spiritu superbiæ et vano et diabolico.Unde econtra timor 411.
aperiendi revelationes et communicationes supernaturales, est signum, quod sint Dei. Ita cum D. Gregorio Planes (l. c. §. 2.). De hoc possent plura afferri exempla. Sufficiat illud S. Francisci, qui interrogatus de divinis favoribus, respondebat : « *Secretum meum mihi.* » Et si forte aliquis pater aliquem favorem apprehendebat, illi præcipiebat, ut taceret. Et idem faciebat N. M. S. Theresia, quæ si librum vitæ suæ scripsit, hoc fecit non ad revelandos favores, sed ad eos confessori communicandos et forte talis liber publicatus fuit id permittente Deo ad magnam gloriam suam et profectum aliorum. Quod quidem etiam accidit sanctæ Gertrudi et aliis. Et de hoc habemus in Christo exemplum, qui excessum transfigurationis præcepit Apostolis, ne cui dicerent, donec moreretur.

Dico 8. Videndum etiam est, an revelatio vel 412.
communicatio *causet in anima facilitatem ad vir-*

tutem et bona opera, ut optime notavit cum Firminiano Planes (lib. 3. c. 17. §. 1.), an relinquat in anima desiderium efficax et determinationem patiendi pro Christo, desiderium tolerandi plures labores, propositum dimittendi consolationes et conversationes sæculi. Et ratio est, quia hæc via laborum et patiendi est via regia, qua Christus et ejus Sancti iter fecere. Ita cum N.M. S. Theresia Planes (lib. 3. cap. 18. §. 1.). Relinquit etiam Dei Spiritus in anima lucem et pacem et certitudinem; contra vero malus spiritus, licet in principio causet etiam aliquam certitudinem, hæc statim perit paulatim, et loco ejus intrat turbatio et confusio, ut supra diximus. Nam cum diabolus est ipsa confusio, non potest alium effectum nisi sibi similem in anima causare. Ita cum Blosio Planes (l. c. §. 1.).

SECTIO XI

Prosequuntur signa ad distinguendas veras visiones et revelationes a falsis.

SUMMARIUM

413. Ad distinguendas veras visiones et revelationes notandum est, an post communicationem spiritualem sequatur gustus et suavitas spiritualis ? 414. Hic gustus spiritualis aliquando redundat in corpus. 415. Intellectus et voluntas in his divinis gustibus occupati omnes sensus internos et externos attrahunt ad se ipsos. 416. Sensus per quamdam redundantiam lætificantur et abstrahuntur a rebus terrenis. 417. Hanc suavitatem solus exprimere potest, qui eam accipit. 418. Aliqui dixerunt, partem inferiorem per accidens et remote posse pati motus turpes, causatos ex hoc gustu spirituali in parte superiori. 419. Ponitur sententia et primus modus explicandi authoris hanc difficultatem. 420. Ponitur secundus

modus authoris eam intelligendi. 421. Ponitur tertius modus authoris explicandi hanc difficultatem. 422. Communicatio Dei causat in anima contemplativa contemptum sui. 423. Qui ex gustu, quem sentiunt in oratione, gloriantur, et non curant de proprio contemptu et de pœnitentia, a diabolo falluntur. 424. Communicatio Dei relinquit in anima magnum Dei timorem et tremorem. 425. Revelatio vel communicatio, quæ hunc timorem non relinquit, a malo spiritu procedit.

Dico 1. Ad distinguendas veras Dei communi- 413.
cationes a falsis videndum est, an post communicationem spiritualem *sequatur gustus et suavitas spiritualis*, quam Deus in anima causat. Solet enim Deus post prædictas communicationes spirituales talem gustum spiritualem in anima causare, ut ait D. Bonaventura (De 7 itiner. aetern. 6. dist. 6.). Hic autem gustus spiritualis aliquando 414.
est adeo eminens, ut etiam *redundet in corpus*, juxta illud Psalm. 83 : « *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum* », et juxta illud Psalm. 34 : « *Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi ?* » Ex hoc enim gustu spirituali animæ redundat in imaginatione gustus quærendi solas res spirituales et dimittendi sensuales. Et 415.
idem accidit in aliis potentiis. Unde intellectus et voluntas occupati in his deliciis divinis omnes sensus internos et externos attrahunt ad se ipsos ad participationem gustuum illorum supernaturalium, non quia sensus percipiant illam dulcedinem spiritualem, hoc enim impossibile est, cum illius sint incapaces, sed quatenus omnes sensus per 416.
quamdam redundantiam lætificat et abstrahit a rebus terrenis et inclinat, ut delectentur exercitiis et rebus spiritualibus. Quam suavitatem solus 417.
exprimere potest, qui eam experitur, ut optime

notat Planes (lib. 2. §. 5. c. 7.), et constat ex illo loco Apocalypsis 2 : « *Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum et in calculo nomen scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit !* « Solus enim, qui accipit hoc calculum candidum, scit illius suavitatem. Econtra vero ad communicationes et revelationes diabolicas sequuntur libidinosi et sensuales delectationes in carne. Nam cum diabolus est spiritus immundus, seminat in carne hanc corruptionem similem sibi.

418. An autem dari possit, quod cum mens est occupata circa rerum spiritualium contemplationem et delectationem, simul inferior hominis pars non quidem per se ex vi spiritus seu affectionis spiritualis, sed mere concomitanter et per accidens occasione ex delectatione circa res spirituales per accidens et remote desumpta, patiatur motus aliquos turpes et inhonestos, provenientes ex ipsius naturæ seu partis inferioris debilitate absque ullo consensu voluntatis, immo cum renitentia et displicentia ipsius ? Affirmat N. Nicolaus a Jesu Maria (Elucidatio phrasium myst. Theol. p. 2. c. 10.) defendens doctrinam S. P. N. Joannis a Cruce, qui (lib. 1. Obscuræ noctis, cap. 4.) ait : « *Crebro siquidem evenit, ut in ipsismet spiritualibus exercitiis, absque eo quod hoc in eorum situm sit potestate, impuri sensualitatis motus exsurgan et sentiantur. Et hoc interdum tunc fit, cum spiritus sublimem exercet orationem vel certe pœnitentiæ ac Eucharistiæ Sacramentis utitur. Qui motus, cum non sint (ut dixi) in illorum potestate, ex una e tribus causis oriuntur. Primo loco hujusmodi*

commotiones (quamquam raro et in hominibus debilis complexionis)a suavitate, qua in rebus spiritualibus demulcetur natura, interdum promanare solent. Cum enim spiritus sensusque suavitate illa fruantur, refectione seu recreatione illa quælibet etiam hominis pars secundum proportionem et proprietatem suam ad delectationem provocatur. Tunc enim spiritus, qui est superior pars, ad oblectandum et se in Deo recreandum excitatur. Sensualitas vero, quæ inferior est portio, ad sensibilem suavitatem et delectationem promovetur. Non enim novit illa alio delectationis modo frui (*). *Unde accidere potest, animam secundum spiritum in oratione Deo esse intentam, ex alia vero parte secundum sensum rebelliones ac commotiones sensuales passive, non absque gravi sua renitentia et nausea, experiri. etc.* » Hæc Doctor noster mysticus. Quam proportionem defendit N. Nicolaus a Jesu Maria (Phrasium mysticæ Theologiæ B.P. Joannis a Cruce elucidatio, p. 2. cap. 10.) ex influentia partis superioris in inferiorem ob colligantiam virium animæ et corporis in uno esse compositi. Quam influentiam approbat D. Thomas (q. 26. de veritate, art. 10.). Concludit igitur N. Nicolaus, quod per accidens ratione hujus colligantiæ virium superiorum et inferiorum potest aliquando ex debilitate personæ resultare per accidens et remote et concomitanter in corpore delectatio sensualis ex gaudio et delectatione circa

(*) Porque entonces el espiritu se mueve a recreacion y gusto de Dios, que es la parte superior ; y la sensualidad, que es la porcion inferior, se mueve a gusto y deleite sensible, porque no sabe ella tomar ni tener otro.

419. res spirituales. Quod etiam probat plurimorum Sanctorum Patrum authoritate.

Verum ego multiplici alio faciliori modo explico dictam doctrinam nostri Doctoris mystici, dicendo, simul posse animam esse cum Deo in oratione et in aliis spiritualibus exercitiis secundum spiritum, et secundum sensum sentire rebelliones et motus sensuales, non quidem causatos ex delectatione spirituali — spiritus enim et caro adversantur, et communicatio Spiritus Sancti est ad reprimendum vitia et opponitur omni delectationi carnali, — sed ex tentatione diaboli, ut colligitur ex verbis D. Gregorii (*in lib. Moralium), ubi ait : « *Cum ad contemplanda cœlestia animus ducitur, objectis actionis illicitæ imaginibus reverberatur. Cœlum ergo simul et infernus coarctantur, cum unam eamdemque mentem et sublevatio contemplationis illuminat et importunitas tentationis obscurat* ». Ubi, ut vides, illam rebellionem sensualem ad tentationem inferni reducit. Videns enim diabolus hominem totum in Deo occupatum, illi proponit objecta turpia, ex quibus oritur illa sensualitas et involuntaria libido. Et idem ait D. Bernardus (De interiori domo, cap. 49*) : « *Cum ad cor meum redire volo, desideriorum carnalium turbæ tumultusque vitiorum tentationibus suis cogitationem meam dissipant et intentionem cordis in oratione perturbant* ». Non ergo illa perturbatio oritur ex delectatione spirituali, sed ex

(*) In editione Veneta operum S. Bernardi 1781, cap. 26. Ceterum hic Tractatus « de interiori domo » non est D. Bernardi, sed cujusdam monachi regulam S. Benedicti profitentis.

tentatione dæmonum excitantium objecta prava in oratione, quæ animam inquietent et auferant ab oratione.

Vel dicito, quod illa rebellio, quæ multoties oritur in anima occupata in oratione et in deliciis spiritualibus, oritur non a tentatione diaboli semper, sed aliquando a propriæ carnis stimulis et a propria concupiscentia. Cum enim homo adhuc sit vivus, ex occasione visionis alicujus rei pulchræ in oratione repræsentatæ, vel alterius rei delectabilis, caro concupiscit adversus spiritum excitando objecta turpia. Quæ commotio et excitatio objectorum commovet corpus ad sensualitatem cum displicentia et renitentia ipsius voluntatis, quæ solum volebat delectari in re spirituali, ut dicebat Paulus (ad Romanos 7.): « *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* » Non ergo hæc delectatio carnalis oritur ex gustu spiritual tamquam a causa, sed habet se concomitanter ad illum. Spiritus enim opponitur carni, sicut lux opponitur tenebris. Unde sicut ex luce non possunt tenebræ oriri, nec etiam per accidens, ita neque ex gustu spirituali potest oriri etiam per accidens delectatio sensualis ; sed sicut ubi apparet lux, tenebræ disparent, ita ubi datur delectatio spiritualis, omnis delectatio carnalis exstinguitur. 420.

Vel dicito, et hæc expositio est magis conformis textui S.P.N. Joannis a Cruce et doctrinæ præ- 421.

dicti Nicolai a Jesu Maria, quod posita delectatione spirituali in anima commovetur maxime calor naturalis hominis ratione intensæ contemplationis. Et commoto calore naturali hominis liquefit humor seminalis,et liquefacto illo humore naturaliter excitantur motus carnis præter voluntatem contemplantis, immo ipsa voluntate renitente. Sed hoc solum accidit in aliquibus personis ratione debilitatis naturæ.Unde talis commotio carnalis non provenit a delectatione et gustu spirituali etiam per accidens, sed a calore naturali. Qui calor non a gustu spirituali, sed a nimia intentione intellectus et voluntatis fuit excitatus. Unde melius dicetur, illam delectationem carnalem provenire ex propria concupiscentia et ex debilitate humana. Hæc enim est causa naturalis illius motus inordinati, ut ait A. Tostatus (in Matth. 4. q. 68. ad 5.) his verbis : « *Calefacto corpore insurgit in homine motus libidinis, etiam sine aliqua imaginatione præcedenti vel præsenti. Et iste motus est prorsus naturalis, nec habet rationem peccati.* » Et hic est sensus legitimus illius doctrinæ nostri Doctoris mystici. Illa enim verba S. P. N. Joannis a Cruce : « *Qui motus ex una e tribus causis oriuntur.Primo loco... a suavitate, qua in rebus spiritualibus demulcetur natura.*» etc., debent intelligi occasionaliter et non tamquam ex causa etiam remota et per accidens.Ideo enim caute N. Doctor mysticus dixit : « *Proceden de una de tres cosas*», et non : « *de una de tres causas* », quia non procedit illa commotio carnalis a delectatione spirituali tamquam a causa etiam

per accidens et remota, sed tamquam ab occasione remotissima, ut latissime et doctissime explicat N. Nicolaus a Jesu Maria (loco cit.). Et in hoc sensu intellecta illa propositione nullam in ea reperio contradictionem.

Dico 2. Ad cognoscendum, an communicatio 422.
spiritualis sit Dei, videndum est, *an causet in anima contemptum sui* et cognitionem propriæ miseriæ. Quando enim Deus alicui communicatur, quo major est Dei communicatio, eo magis homo cognoscit suam nihilitatem et miseriam et appetit ad nihilum deduci propter Deum. Unde maximas pœnitentias desiderat et exsequitur, ut faciebat Job (cap. 42.): « *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo et ago vœnitentiam in favilla et cinere.* » Ubi videns Job Deum et videns se, conversus est ad pœnitentiam et ad cognitionem suæ miseriæ. Spiritus enim Dei relinquit hunc amorem pœnitentiæ et proprii contemptus in anima. Unde sicut Moyses exiens ex consortio et loquela Domini non videbat splendores suæ faciei (Exodi 34.) : « *Et ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini* » — et Chaldæa legit : « *Ignorabat Moyses, quod multiplicatus esset splendor gloriæ vultus sui* » — sic viri sancti et amici Dei, licet ex consortio Dei sint pleni virtutum heroicarum, ipsi eas non vident, nec in se cognoscunt nisi pulverem et favillam, siquidem vident majorem lucem Dei, in cujus conspectu omnis alia lux sunt tenebræ. Unde illi, qui ex gustu, quem sen- 423.
tiunt in oratione, se reputant maxime spirituales,

et qui de virtutibus suis gloriantur et non curant de proprio despectu et pœnitentia, procul dubio a diabolo falluntur. Beata enim virgo Maria, quando ab Angelo fuit visitata et mater Dei appelata, ipsa se servam recognovit dicens : « *Ecce ancilla Domini* ». Bonus enim et Dei spiritus in se non cognoscit aliquam excellentiam in conspectu Domini, sed se nihil reputat, ut faciebat David (Psalm. 72.) : « *Quia inflammatum est cor meum et renes mei commutati sunt. Et ego ad nihilum redactus sum et nescivi.* »

424. *Dico 3.* Aliud signum, quod revelatio vel visio supernaturalis sit Dei, est, *si relinquat in anima magnum Dei timorem et tremorem.* Et ratio est, quia visitatio vel revelatio, quæ tollit hunc timorem, non est conformis illi dicto Pauli (ad Philippenses 2.) : « *Cum metu et timore vestram salutem operamini*,» nec illi Psal. 118, 120 : « *Confige timore tuo carnes meas.* » Debet igitur bonus spiritus relinquere in anima illum habentem hunc timorem et tremorem Dei. Hoc enim timore roboratur homo, ne in aliquo etiam minimo delinquat, et causat magnam circumspectionem circa proprias obligationes, ne Deo displiceat. Econtra

425. vero revelatio vel visio, quæ hunc timorem tollit et solum relinquit magnam fiduciam et facilitatem absque circumspectione, non a bono, sed a malo spiritu procedit. Malus enim spiritus expellit timorem Dei ab anima, ut fecit serpens ad nostram matrem Evam, quando ei dixit : « *Nequaquam morte moriemini.* » Et postquam ab ea timorem Domini expulit, eam in peccatum præci-

pitavit : « *Et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit* ». Vides effectum malignæ visionis. Se dalius fuit effectus visionis angelicæ in Maria, quæcum audisset, turbata est. Aspectus ergo angelicus turbationem et timorem causavit. Unde dixit Angelus ei : « *Ne timeas, Maria.* » In hoc enim differt bona visio a mala. Nam visio Dei, licet in principio causet timorem, statim illum aufert et confortat animam ad omne bonum et relinquit timorem ad culpam. Econtra vero malus spiritus licet aliquando stupefaciat animam, non eam consolatur, nec in ea relinquit timorem peccandi, sed relinquit ariditatem et audaciam ad peccandum, ut fecit cum Eva, et id quotidiana experientia docet. (Confer, quæ supra diximus sect. 8. num. 378).

SECTIO XII

Quid debeat facere persona, quæ habet revelationes ?

SUMMARIUM

426. Qui habet a Deo illuminationes, non eas debet multum æstimare. 427. Plus debet æstimare infimum gradum charitatis. 428. Revelationibus et visionibus nihil meretur. 429. Melius est exercere quodcumque opus virtutis, quam gaudere visionibus et revelationibus. 430. Persona habens visiones et revelationes, non debet statim illas credere, et quando debeat eas credere ? 431. Dum non habet specialem lucem de cœlo, non debet de eis curare, et timere, ne illudatur. 432. Persona habens revelationes, debet maxime eas abscondere. 433. Debet eas secrete directori suo spirituali revelare.

Dico 1. Qui a Deo revelationibus illuminatur, non eas debet multum æstimare, nec de eis cu- 426.

427. rare. Sed *plus debet Estimare minimum gradum charitatis, quam innumerabiles visiones et revelationes.* Ita D. Bonaventura (De prof. Religiosor. lib. 2. c. 75. ed. Vivès t. XII. p. 433 *), S. Vincentius Ferrer. (Tract. de vita spirituali), Planes lib. 3. cap. 23. §. 1.). Et ratio est, quia revelatio aliquando facta est malis hominibus, ut Caiphæ, Balaam et aliis. Secus vero dicendum est de gratia et charitate. Nam augmentum illarum solis justis conceditur, et plus valet minima pars gratiæ habitualis et charitatis, quam omnes gratiæ gratis datæ. Unde persona habens revelationes, non debet eis intumescere, existimans, se ad culmen perfectionis devenisse, cum possint alii esse, quibus non sunt factæ similes visiones, et revelationes, qui perfectiores et sanctiores sint.

428. *Dico 2.* Debet persona habens revelationes advertere, his revelationibus et visionibus nihil
429. mereri. Unde melius est, exercere quodcumque opus mortificationis, in quo est meritum, quam talibus gaudere visionibus et revelationibus. Ita
430. S. Bonaventura (l. c.) et Planes (l. c. §. 2.) Debet etiam non statim illas credere, si simul cum revelatione non veniat lux Dei, ut accidebat antiquis prophetis, ut cum S. Augustino et S. Gregorio optime declarat Planes (lib. 2. examinis revelatio-
431. num, cap. 2. §. 2.). Quodsi desit ista lux prophetica, debet timere, ne illudatur a diabolo, et inte-

(*) Hic liber, qui etiam inscribitur : « De processu religionis, non est Divi Bonaventuræ, sed attribui debet Fr. Davidi Augustano, O.Min., ✠ 16. Nov. 1271. Vide novam editionem operum S. Bonaventuræ (Quaracchi, tom. VII. p. XCV. et Hurter, Nomenclator, IV. 295 squ.

rim de talibus revelationibus non curare, non illas contemnendo, sed humilitate ut minus utiles rejiciendo, ut fecit D. Petrus (Lucæ 5.) dicendo Christo : « *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine* », et indignus talium revelationum, quas in hac vita nec desidero, nec volo ; sed eas a me dimitto, et rogo, ne illas mihi concedas, sed tantum te ipsum.

Dico 3. Persona habens prædictas revelationes, 432.
debet eas maxime abscondere, juxta consilium Raphaëlis Archangeli ad Tobiam (Tob. 12.): « *Sacramentum regis abscondere bonum est* ». Et Isaias (Is. 24.) dixit : « *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* ». Et ratio est, quia publicare absque causa revelationes, generat vanam gloriam et turbationem in populo et in viris doctis suspicionem.
Debet ergo vir prudens suas revelationes, solo 433.
suo directori manifestare. Sicut enim est tempus tacendi, ita et loquendi. Et hoc est, quod voluit dicere Raphaël ad Tobiam (l.c.): « *Opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est.* » Cum tota igitur humilitate ad honorem et gloriam Dei, et non ex alio motivo debet persona a Deo illuminata cuncta patri suo spirituali cum omni claritate et veritate, vel si ille desit, viro docto revelare, ut ipse judicet, an in tali visione bene procedat. Ita docet N. M. S. Theresia (Mansione 6. cap. 1. et 9.), et Planes (lib. 3. cap. 23. §. 6.).

SECTIO XIII

Quomodo se debeat habere confessor cum persona, quæ habet revelationes et visiones, vel alios favores supernaturales ?

SUMMARIUM

434. Confessor inveniens in aliqua persona has communicationes, debet primum ad Deum recurrere et ab eo lucem postulare. 435. Ad recipiendam hanc lucem debet se præparare purificando animam et tradendo se orationi mentali. 436. Etiamsi videat director in tali persona aliquam imperfectionem, non debet statim eam de malo spiritu judicare. 437. Non debet statim revelationes approbare, sed personæ eas habenti persuadere, ut de eis non curet. 438. Si revelatio est Dei, hoc maxime juvat ad proficiendum. 439. Debet director persuadere habenti tales revelationes, virtutem non consistere in illis, sed in bonis operibus. 440. Non debet ei ostendere, ie perronam propter Dei favores aestimare. 441. Debet eam ex levi causa reprehendere et durum se ei ostendere. 442. Debet in hoc uti prudentia, ne sit causa desperationis. 443. Non debet statim approbare vel condemnare revelationes, sed judicium suspendere et res attente considerare. 444. Debet director summum habere secretum. 445. Quando debeat prædictas revelationes publicare?

434. *Dico 1.* Director spiritualis, si aliqua persona ad eum accedat cum visionibus, revelationibus vel aliis Dei favoribus, *debet statim ad Deum recurrere* et ab eo lucem enixe postulare et gratiam discretionis spirituum et donum consilii petere, ut talem personam possit docere in via salutis. Absque enim Dei speciali luce nihil in hac re pro-
435. ficiet. Ad recipiendam autem hanc lucem divinam debet se præparare purificando animam a culpis et imperfectionibus et dando se orationi mentali. Ita Planes (lib. 3. cap. 23. §. 1.). Secundo non debet personam, quæ ad eum accedit, accipere

cum mœrore, *sed eam libenter audire* et percipere ea quæ dicit, et spiritum illius penetrare. Nam si tales personas cum voluntate bona non recipiat, præbent illi occasionem tacendi veritatem. Deinde non ex eo quod in talibus personis videat 436.
aliquam imperfectionem, *non statim debet eas de spiritu condemnare*, ut advertit N.M. S. Theresia (Mansione 6. cap. 1.) et Planes (l. c. §. 1.).

Dico 2. Confessor, postquam hæc omnia fecit, 437.
non statim in principio debet personæ ad eum accedentis *revelationes approbare*, sed potius debet ei dicere, quod de talibus visionibus et revelationibus non curet. Nam si revelatio vel communi- 438.
catio est Dei, hoc maxime juvat ad proficiendum, et spiritus probatus magis crescit, ut ait N. M. S. Theresia. (Mansione 6. cap. ultimo.) Et licet confessor possit in hoc errare, persona tamen obediens semper bene agit, et Deus hac obedientia maxime delectatur, ut fecit cum N. M. S. Theresia, et notat Planes (l. c. §. 3.). Debet etiam 439.
persuadere his personis, quod virtus non consistit in habendo revelationes et visiones, sed in bonis operibus et augmento gratiæ et charitatis, et quod plures fuere viri sanctissimi, qui tales communicationes non habuerunt, et quod habentibus illas remanet magna obligatio ex his favoribus receptis meliorandi vitam et magis proficiendi in virtutibus. Ita cum N. M.S. Theresia Planes. (l.c. §. 4.)

Dico 3. Director spiritualis, quando ad eum 440.
accedit persona habens similes Dei favores, *non debet ei ostendere, se eam propter hæc æstimare*, vel ut sanctam reputare, immo eam ex parva 441.

causa et occasione reprehendat et humiliet, probando eam per verba aspera, ita ut non concipiat, haberi ut sanctam, sed potius credat, directorem illam parvi pendere et ut peccatricem tractare et dubitare de suo spiritu. Ita Planes (l. c. §. 5.). Et ex defectu hujus documenti aliquæ animæ, quæ prospere inceperunt, finem malum habuerunt, ut cum Gersone, Marilto, et aliis probat

442. Planes (l. c. §. 5.). Debet autem in hoc confessor prudentia procedere, ne nimiam afflictionem tali personæ causet et ne eam ducat in desperationem, vel perdat amorem et opinionem de suo directore, juxta illud Pauli (ad Thessalonicenses 5.) : « *Spiritum nolite exstinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate : quod bonum est tenete.* »

443. *Dico 4.* Director non statim debet approbare vel condemnare hujusmodi favores, sed *suum debet suspendere judicium* et audire et videre res et illas examinare et considerare. Ita Valentia (* 1. 2. q. 1. disp. 1. punct. 1.). Debet etiam director *summum habere secretum* et non revelare aliis has Dei visiones et communicationes. Ita Rodriguez (* tom. 3. Questionum regularium

444. q. 33. art. 10.), Planes (l. c. §. 1.). Unde ut aliqua revelatio populo publicetur, debet prius ab

445. Ordinario esse approbata, qui eam approbare debet ex consilio doctorum. Aliter autem revelationes populo revelare, est magna imprudentia, ut advertit Planes (l. c.), etiam si nomen personæ reticeatur. Hoc enim ad nihil aliud deservit nisi ad causandam vanitatem et vanam gloriam in

persona habente tales Dei revelationes. Sed de his vide latius Planes (l. c.).

SECTIO XIV

Quomodo discernendi sint raptus veri a falsis.

SUMMARIUM

446. Præter communes regulas pro revelationibus distinguendis veris raptibus a falsis aliqua signa dantur. 447. In raptu falso nulla arcana divina videt anima, sed solum manet alienata. 448. Per raptum vero ducitur anima ad desponsationem cum Deo. 449. In eo communicat Deus animæ multa arcana et Dei secreta et alia multa. 450. Non semper communicat eadem in omi raptu, sed magis vel minus juxta excellentiam majorem vel minorem raptus. 451. Hos favores videt anima aliquando visione imaginaria. 452. Quando est in supremo gradu unionis, videt illa visione intellectuali. 453. In hac visione intellectuali quædam videt distincte, quædam confuse, et quæ ista sint, declaratur. 454. Post raptum non potest homo dicere, quæ vidit in confuso. 455. Post raptum recordatur illorum, quæ vidit distincte, et quare? 456. Secundum signum veri raptus est, quod fiat sine notitia certa illius, qui rapitur. 457. Hic subitus raptus causat magnum timorem. 458. Magici habent raptus, quando et quomodo volunt. 459. Aliquæ personæ valde exstaticæ audiendo aliquod verbum Dei, rapiuntur, et cur? 460. Tertium signum veri raptus est magna suavitas ante raptum. 461. Hoc signum non est infallibile, sed absque eo aliquando potest dari verus raptus. 462. Quartum signum veri raptus est obedientia suo prælato et directori. 463. Persona rapta, qua jussa a suo prælato, ut exeat, ab illo non exit, non vere rapta, sed illusa est. 564. Ponitur circa hoc casus admirabilis. 465. Quintum signum veri raptus est filialis timor. 466. Sextum signum veri raptus est recollectio animæ et abstractio ab omni creatura. 467. Persona in altissimo raptu vel Dei unione non debet fugere passionis Christi memoriam. 468. Septimum signum est humilitas post raptum. 469. Explicatur id exemplo D. Pauli.

Pro explicatione hujus sectionis notandum est, 446.
quod cum raptus (ut diximus Tract. III. disput. 1. sect. 12) possit accidere vel ex causa naturali, scilicet ex infirmitate, vel ex causa corporali, ut

ex spasmo, vel ex ebrietate, vel ex medicamentis somniferis, vel ex lassitudine in oratione, vel ex nimio studio, vel humore melancholico, crasso, impediente fluxum spirituum, vel ex magnitudine amoris ex violentia affectus, ut tenet D. Thomas (2.2. q. 175. art. 2.) et Vallgornera (quæst. 3. disp. 3. art. 9. n. 639.), vel ex magnitudine jucunditatis, ut docet cum D. Thoma Vallgornera (l. c. n. 641.), vel ex admiratione pulchritudinis rei, vitæ amore et jucunditate, ut notat Vallgornera (l. c. n. 643.), ultra signa assignata pro veris revelationibus et visionibus, quæ omnia etiam debent inveniri in raptibus, alia etiam propria ipsorum raptuum danda sunt, ut cognoscamus, quando ex causis naturalibus supra relatis, vel ex virtute divina vel diabolica procedant.

447. *Dico 1.* In raptu, qui procedit ex aliqua causa ex enumeratis, nulla divina arcana videt anima, sed solum manet soporata et veluti alienata. Ita N. M. S. Theresia (Mansione 6. cap. 4.). ubi ait: « *Raptus, in quo secreta divina non intelliguntur, non est raptus, sed quædam mentis alienatio.* » Ita etiam tenet Planes (lib. 4. cap. 23. § 6.). Et ratio est, quia, ut ait N. Josephus a Jesu Maria
448. (*Paradis. spiritual. lib. 2. cap. 8.), per verum raptum ducitur anima ad desponsationem cum divino Sponso. Nam, ut ait S. Mater (l. c.), si anima ad tam altam unionem absque raptu assu-
449. meretur, statim moreretur homo. Ergo etiam in primo raptu communicat Deus animæ sic raptæ multa arcana divina, summam pacem et suavitatem, et dat cognitionem sui ipsius, quo gaudet

per unionem desponsationis. Ergo raptus, in quo hæc non reperiuntur, non est verus raptus.

Adverte tamen, hæc non eodem modo accidere 450.
in omnibus raptibus. Nam in aliquibus plura, in aliis pauciora arcana et majores vel minores favores communicantur, juxta majorem vel minorem unionem animæ cum Deo, ut advertit N. Josephus a Jesu Maria (l. c.). Nam si in desponsatione tot favores Deus animæ communicat, in matrimonio spirituali majores procul dubio communicabit. Hos autem favores et gratias videt 451.
anima aliquando visione imaginaria, ut diximus (Tract. III. disp. 1. sect. 12. n. 112.), aliquando tamen, quando est in supremo gradu unionis, 452.
videt illa visione intellectuali (ut ibi diximus n. 113.), cum hac differentia, quod quædam videt 453.
distincte et quasi in visione imaginaria, et alia videt in confuso ; illa, quæ videt distincte et ad modum visionis imaginariæ sunt circa res creatas, ut circa Angelos sanctos Dei. Nam cum in hac vita non possimus cognoscere substantias incorporeas, nisi per comparationem ad corporales,ita nobis in raptu repræsentantur. Cf. D. Thomam (1. p. q. 84. art. 7. ad. 3.) et N. Josephum a Jesu Maria (l. c. cap. 10.). Unde hæc visio fit per immissiones intellectuales ad modum Angelorum, ut factum fuit Adæ in suo raptu, ut advertit N. Josephus a Jesu Maria (l. c. cap. 9.). Illa vero, quæ videt in confuso et indistincte,sunt circa creatorem et circa divinam essentiam, ut accidit Paulo in suo raptu,quando raptus fuit ad tertium cœlum.

454. Hinc fit, quod post raptum (ut diximus Tract. III. disp. 1. sect. 2.) non potest homo dicere, quæ vidit in confuso. Cujus ratio est, quia tam substantia illarum rerum, quam modus repræsentationis fuit supra rationem et modum humanum intelligendi, ut advertit cum N. M. S. Theresia N. Josephus a Jesu Maria (l. c. cap. 4.). Recor-
455. datur tamen illorum, quæ distincte vidit. Nam licet ea viderit per visionem intellectualem (ut vult N. Josephus a Jesu Maria, l. c.), cum illa viderit per species veluti imaginarias, memoria intellectualis recordatur illorum, ut advertit D. Thomas (de anima q. un. art. 19. ad 18.) et optime declarat N. Josephus a Jesu Maria (l. c. cap. 10.).

456. *Dico 2.* Secundum signum veri raptus est, quod fiat *absque notitia certa illius, qui rapitur*. Nam ante hunc motum repentinum non certo persentitur Deus, et quando magni sunt impetus amoris, non potest ei resisti. Vult enim Deus animæ manifestare, quod habet non solum naturale dominium ejus titulo creationis, sed sibi toties ab ipsa datum, dum se sponsa dispositioni divinæ commisit. Et sic ad libitum de illa disponens rapit,
457. quando vult et ubi vult. Unde tam subitus et acceleratus animæ sentitur, quod magnum ipsis potentiis causat timorem. Propterea opus est fide, fiducia et magna conformitate ad voluntatem Dei, ut ipse juxta beneplacitum suum de anima disponat. Non est parva turbatio, ut quis compos sui se subito rapi videat in anima et aliquando etiam in corpore, nesciens quomodo, vel a quo.

Econtra vero in raptu magico. Nam hic est in manu illum habentis, et toties illum habet, quoties vult et quando et quomodo vult, ut cum Delrio notat Planes (lib. 4. cap. 23. §. 1.). Verum quidem est, dari aliquas personas adeo ecstaticas, quod audiendo de Deo loqui, statim rapiuntur. Sed hoc non fit ex illorum voluntate, sed quia anima alicujus verbi, quod audivit, recordatur alicujus gratiæ sibi factæ et vehementer ardet, et crescente paulatim amoris scintilla sursum ad Deum operam et sensum suum cum impetu tendit et rapitur ac veluti phœnix igne cœlesti consumpta renovatur. Et sic puram ac mundam secum unit Deus, ad se rapit et tanquam propriam ac dilectissimam sponsam elevat de terra, a sensibus alienat, secum ducit et manifestare jam incipit in terra, quæ in cœlo paravit. Sic multoties accidit S. Fr. Gil (prout refert Planes l.c. §. 1.), qui audiendo verba Paradisi, statim rapiebatur. Et idem accidit sæpe N. M. S. Theresiæ et N. P. S. Joanni a Cruce. 458. 459.

Dico 3. Tertium signum veri raptus est *quædam suavitas magna* spiritualis ante raptum. Qua dulcedine nihil in hac vita sentitur jucundius. Nihil sic animam ab amore mundi elongat, ut notat Vallgornera (q.3. dist. 3. art. 9. num. 639.). Et ratio est, quia raptus habet pro sui dispositione vehementem Dei amorem. Sed hic, quo major est, eo major est suavitas, quam causat in anima illum habente. Ergo magna quædam suavitas spiritualis signum erit veri raptus. Ita Planes (lib. 3. cap. 23. §. 3.) et N. S. P. Joannes a Cruce 460.

461. (In Cantico spirituali, cap. 17.). Adverte tamen, hoc signum non esse infallibile, aut de essentia raptus. Nam cum raptus fiat repente, a Deo potest fieri absque hac dispositione, ut accidit N. M. S. Theresiæ, quæ repente multoties rapta fuit. Qualis autem suavitas sit hæc, quæ frequenter ante raptum habetur, solum qui hæc accipit, explicare poterit.

462. *Dico 4.* Quartum signum veri raptus est *obedientia* suo prælato *ad redeundum ad se ex raptu.* Obedientia enim prælatorum etiam a mortuis
463. venerata est. Unde persona, quæ cum sit in raptu, jussa a prælato, ut exeat a raptu, non statim exit ab illo, signum est, talem raptum non esse verum, sed fictum vel diabolicum. Ita Planes
464. (lib. 4. cap. 23. §. 4.). Et ita videmus, quod cum S. Gil in quodam raptu esset, Gregorius IX. ei præcipit, ut exiret a raptu et statim exiit ab illo, ut testatur Planes (l. c.). Et ratio est, quia Deus vult, ut subditi obediant suis prælatis. Non ergo per raptum debet impedire hanc obedientiam.

465. *Dico 5.* Quintum signum veri raptus est *filialis timor*, qui oritur ex eo, quia vidit, quam suavis est Dominus, et quia, qui multum amat, non vult amatum perdere. Ita N. Philippus a Ss. Trinitate (p. 2. tr. 1. discurs. 3. §. 4.) et Planes (lib. 4. cap. 23. §. 5.).

466. *Dico 6.* Sextum signum est quædam *recollectio animæ* et abstractio ab omni re creata, nisi necessitas aliter suadeat, ut sic soli Deo vacet. Immo etiam in oratione refugit imagines et solum vult Deo adhærere, et nihil scit, nisi amare. Ita

Josephus a Jesu Maria (*l. c. lib. 2. c. 13.). Per 467.
hoc tamen, quod anima sit in tali gradu constituta, non debet omittere meditationem passionis Christi. Nemo enim venit ad Patrem, nisi per Filium. Ille enim est via, veritas et vita. Unde illius recordatio etiam in altissimo gradu unionis non poterit esse impedimentum ad unionem cum Deo. Ita N. M. S. Theresia (in vita sua, cap. 22. et Mansione 6. cap. 7.) et N. Philippus a Ss. Trinitate (p. 3. tract. 1. dist. 3. art. 3.).

Dico 7. Septimum signum est *maxima humili-* 468.
tas, quam post raptum sentit anima. Ita Planes (l. c. §. 8.). Et ratio est, quia anima recordata illius majestatis, quam in raptu vidit, et videns suam nihilitatem, necessario debet se humiliare. Unde quo magis humiliatur, eo magis elevatur raptu. Et patet hæc doctrina in D. Paulo, qui cum esset raptus in tertium cœlum, dedit ei 469.
Deus stimulum carnis suæ, qui eum colaphizaret,ne magnitudo revelationum eum extolleret, ut ipse fatetur. Unde si raptus non relinquit hunc spiritum humilitatis, signum est, non esse a Deo, ut quotidie videmus.

TRACTATUS IV

DE VIA UNITIVA ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ PROPRIA PERFECTORUM

DISPUTATIO I

De intima unione animæ contemplativæ cum Deo.

SECTIO I

Datur actualis unio animæ contemplativæ cum Deo, quæ est fruitiva illuminatorum.

SUMMARIUM

1. Sensus quæstionis declaratur. 2. Datur unio animæ contemplativæ cum Deo, et quando fiat ? 3. Probatur locis Sacræ Scripturæ. 4. Probatur auctoritate Sanctorum Patrum. 5. Probatur auctoritate Doctorum mysticorum.

Pro intelligentia hujus sectionis notandum est, in præsenti non esse sermonem de unione, qua Deus ratione suæ immensitatis est in omnibus rebus per essentiam, præsentiam et potentiam : per essentiam ut dans omnibus esse ; per præsentiam ut omnia prospiciens ; per potentiam ut de omnibus disponens. Nam licet hoc modo omnibus illabatur, et cunctis sit magis unitus et præsens, quam lumen aëri et anima corpori, hæc tamen unio animæ cum Deo est generalis, communis 1.

omnibus, et ordinis naturalis. Unde non est unio, de qua loquimur in præsenti, quamvis ad illam præsupponatur. Nec etiam nobis est sermo de unione animæ contemplativæ cum Deo per gratiam sanctificantem, qua fimus divinæ consortes naturæ. Hæc enim unio, quamvis sit ordinis supernaturalis, non tamen est actualis et fruitiva, de qua loquimur hic, quia prædicta unio per gratiam est per modum habitus ordinarie loquendo. Et licet sit aliquando per cognitionem fidei et dilectionem charitatis utcumque actualis, parum tamen durat. Nec proprie est fruitiva sicut hæc, de qua loquimur, tum quia illa justis omnibus conceditur, non tamen hæc.

2. *Dico 1. Datur unio animæ contemplativæ cum Deo per quemdam contactum substantialem Dei ad animam, quo præsens et unitus sentitur.* Et perficitur hæc unio, quando etiam potentiæ spirituales animæ, quantum patitur vitæ præsentis status, Deo adhærent, intellectus per cognitionem pene unitivam ac velut evidentem, voluntas vero per amorem, non tantum desiderii, sed quodammodo satietatis et fruitionis. Adduntur autem hi termini diminutivi, quia in hac vita saltem ordinarie non datur cognitio Dei evidens in se ipso, nec perfecta satietas aut plena fruitio. Hæc autem veritas probatur primo *authoritatibus Scripturæ*, deinde *authoritatibus Sanctorum Patrum*, deinde *authoritate theologorum.*

3. Et imprimis quantum attinet ad *loca Scripturæ*, infinita possent afferri. In præsenti sufficiat primus locus ex Exodi 33., ubi Dominus ostendit

Moysi faciem suam ; secundus sit ex Psalm. 62. ubi dicitur : « *Sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam* ; » tertius sit ex Isaiae 58 : « *Requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam* » ; quartus sit ex Joannis 14 : « *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* ». Quæ verba non possunt intelligi de donis gratiæ creatis. Nam (ad Roman. 5.) dicit Apostolus : « *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* ». Sed frustra distingueretur inter charitatem diffusam et Spiritum Sanctum datum, si dari Spiritum Sanctum non esset aliud, quam dari dona gratiæ, seu charitatem diffundi. Ergo. Tum quia Spiritus Sanctus dicitur dari nobis ; sed quod pluribus datur, non potest esse gratia. Nam gratia non infunditur pluribus simul, sed dividitur singulis, prout Spiritus Sanctus vult, ut ait Apostolus. Ergo Deus vere in nobis manet ut in templo, et non solum per modum gratiæ.

Confirmatur, quia Apostolus (2.ad Corinth. 12.) ait de se ipso : « *Scio hominem raptum usque ad tertium cœlum... Et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* ». Sed Apostolus hic non potest loqui de communicatione gratiæ et aliorum donorum. Nam de his licet homini loqui, et ipse sæpius loquitur. Ergo loquitur de alia intima communicatione et Dei unione. Mitto alia loca, quæ enumerare esset infinitum. Hæc enim est pax, quæ exsuperat omnem sensum. Hinc in divinam caliginem instar Moysi vocatur spiritus.

Hic in sibilo auræ tenuis sentitur Dominus. Hic in thalamo dormit et requiescit Salomon pacificus et Benjamin adulescentulus in mentis excessu. Hic gustatur favus mellis. Hic sedet solitarius, et levat se supra se, ubi Dominus loquitur ad cor ejus. Hic dicit Petrus : « *Domine, bonum est, nos hic esse* ». Hic introducitur anima in cellam vinariam, ubi bibit ebriam sobrietatem spiritus. Hic sponsa dormit, et cor ejus vigilat. Hic divinum silentium, hic sibilus auræ tenuis. Mitto alia innumera loca, quæ congerit Gerson (Serm. de Spiritu S., consider. 2.).

4. Quantum vero ad *authoritatem Sanctorum Patrum*, id etiam in illis passim reperitur. Ita enim docet Dionysius (cap. 1. de myst. theologia.) ; D. Gregorius Nazianzenus (orat. 21.) ; S. Cyrillus Alexandrinus (lib. 10. in Joannem, cap. 2.) ; D. Ambrosius (lib. de Isaac et anima, c. 3.) ; D. Augustinus (lib. 10. Confession., cap. 4.) ; S. Gregorius Magnus (Super cant. cantic. expos. c. 2.) ; D. Bernardus (in Sermonibus super Cant.) ; D. Thomas (opusc. 61 ; in edit. Vivès, Paris. 1875, opusc. 54. De dilect. Dei et proximi : De 10 gradibus amoris.) ; S. Bonaventura (De 7 itiner. ætern. 5. dist. 6.) ; Hugo de S. Victore (Commentar. in hierarch. coelest. S. Dionys. Areopag., c. 7. lib. 6. et 7.) ; Richardus de S. Victore (De gratia contemplationis.) et alii.

5. Quantum vero ad *authoritatem Doctorum in theologia mystica*, tam uniformis et communis est, quod nullus in hac parte de intima unione

animæ contemplativæ cum Deo dubii locus esse possit. Omnes quippe Doctores in hac unione principaliter ipsam theologiam mysticam constituunt. Primus sit Joannes Gerson jam citatus ; secundus sit Rusbrochius (de calculo filior. Dei.); tertius sit Dionysius Carthusianus (*Comment. in myst.theol.S.Dionysii, art. 8.) ; quartus Joannes Taulerus (Institut. c. 12.) ; quintus Ludovicus Blosius (Specul. spiritual., c. 11.) ; sextus Henricus Harphius (*lib.3.theol. myst., p.3.c.24.); septimus N. V. P. Joannes a Jesu Maria (de theol. mvst. c. 5.) ; octavus N. V. P. Thomas a Jesu (lib. 4. de oratione divina) ; nonus N. P. Philippus a S. Trinitate (p. 3. Summæ theol. myst., tr. 1. discurs. 1. art. 1.) ; decimus Vallgornera (theol. myst. q. 4. disp. 1. art. 4.) ; undecimus Olleme (de liberalitate Dei, inquis. 1.) ; duodecimus Planes (lib. 3. concordiæ mysticæ) ; tertius decimus N. P. Josephus a Jesu Maria (*ascens. animæ ad Deum, p. 2.).

SECTIO II

Quid sit actualis unio fruitiva animæ contemplativæ cum Deo ?

SUMMARIUM

6. Quid sit hæc actualis unio fruitiva, explicatur. 7. Iste modus in anima contemplativa est distinctus a modo existendi in ea per immensitatem, supponit tamen illam. 8. Probatur ratione. 9. Iste modus existendi Dei in anima contemplativa per unionem fruitivam est etiam distinctus a modo existendi in animabus justorum per gratiam. 10. Probatur ratione efficaci et quadam confirmatione

11. Quid sit hæc unio fruitiva, explicatur. 12. Probatur ratione. 13. Confirmatur primo. 14. Confirmatur secundo. 15. Confirmatur tertio. 16. Ponitur quædam objectio et ejus solutio. 17. Ponitur alius modus explicandi hanc divinam unionem. 18. Ponitur alius modus explicandi hanc divinam unionem.

6. Pro explicatione hujus sectionis notandum est, unionem nihil aliud esse quam id, quo ex duobus vel pluribus unum fit. Quare, quod in præsenti investigamus, est, quid est illud, quo ex Deo et anima quid unum in contemplatione fiat ? Et in
7. primis suppono (ut jam supra tetigi), istum modum existendi Dei in anima contemplativa esse *distinctum a modo existendi in ea per immensitatem* et esse modum superadditum ad illam et
8. præsupponere illam. Et ratio est, quia iste modus specialis existendi Dei in anima justi est sicut cognitum in cognoscente et amatum in amante. Sed hæc præsentia maxime differt a præsentia, quæ est per immensitatem. Nam per immensitatem non dicitur Deus proprie unitus nec animæ essentiæ nec ejus potentiis, sed tantum est præsens et inest nostris mentibus et habet contactum sicut agens suo effectui immediato. Quæ præsentia est improportionata et imperfectioris ordinis, utpote conveniens omnibus creaturis. Per istam vero est præsens Deus ut objectum cognitum et amatum intra animam. Ergo hæc præsentia non est præsentia, quæ habetur per immensitatem, sed supponit illam. Patet consequentia, quia diversa præsentia est agentis et objecti. Adverte tamen, hanc præsentiam non esse tam perfectam et consummatam sicut in patria, quia ambulamus per fidem et non per speciem. Et ita licet Deus uniatur realiter nos-

tro intellectui in ratione speciei intelligibilis, non tamen intellectus illum clare et intuitive videt, sed obscure et veluti in caligine, non ex defectu speciei et objecti, quod intime unitum et præsens est intellectui, sicut in patria, sed ex defectu potentiæ et luminis eam elevantis, ut dicemus infra in fine hujus sectionis et infra, sectione 8.

9. Secundo suppono, istum modum existendi Dei in anima contemplativa per unionem fruitivam esse etiam *distinctum a modo existendi in animabus justorum per gratiam*. 10. Et ratio est, quia licet unio Dei, quæ fit per gratiam, non sit solum unio per affectum et amorem, sed sit unio per naturæ divinæ communicationem, juxta illud : « ut efficiamur divinæ consortes naturæ » et per inhabitationem Spiritus Sancti in nobis, ita ut simul cum gratia sanctificante illabatur Deus supernaturaliter mentibus justorum et præsens fiat, ita ut si alias ratione suæ immensitatis non adesset justorum mentibus ratione gratiæ et justificationis, omnino in eas venire diceretur secundum illud Joanis 14 : « *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* » Attamen hæc unio, quæ fit per gratiam, est veluti habitualis, et in actu primo et est communis omnibus justis etiam pueris baptizatis ante usum rationis, et ordinatur ad ulteriorem et perfectiorem cum Deo unionem per actualem cognitionem et amorem. Ergo in illa non potest consistere hæc unio fruitiva quæ fit in contemplatione. Patet consequentia : quia hæc unio fruitiva (ut infra dicemus) consistit in actuali Dei cognitione et amore, in quibus hujus

vitæ felicitas consistit, in quantum isti actus contemplationis et amoris proveniunt a dono sapientiæ. Sed unio per gratiam et charitatem est habitualis et quasi in actu primo, et solum in ea consistit beatitudo hujus vitæ, quatenus ad beatitudinem jus tribuit. Ergo in ea non potest consistere hæc unio fruitiva, quæ est beatitudo inchoata, que in hac vita suo modo reperitur, et multo minus beatitudo completa, qua fruuntur beati in cœlis.

Confirmatur primo. Quia hæc unio fruitiva, seu (ut ita dicam) inchoata beatitudo in hac vita consistit in operatione, sive in actuali cum Deo conjunctione. Ergo sicut beatitudo completa consistit in illapsu Dei præexistentis antea in animæ essentia in potentias animæ, quo Deus quasi latens in centro animæ tam intellectui clare videndum, quam voluntati fruendum se offert, ita eodem modo in unione ista felicissima animæ cum Deo, quamvis non ita perfecte, contingit.

Confirmatur secundo. Quia ipse Deus, ut est author supernaturalis gratiæ, est omnino præsens secundum suam essentiam ac per gratiam habitualem et charitatem quasi in actu primo unitus et conjunctus, omnino tamen absconditus. Non enim ejus præsentiam experiri aut percipere valemus, nisi id ex speciali gratia et favore contingat. Sed per hanc unionem fruitivam manifestat se Deus mentibus defæcatis et ab omni labe purgatis, ita ut ejus præsentiam immediate per cognitionem et per unitivi amoris amplexum experimentaliter percipiant et gustent. Ergo hæc manifestatio Dei fit per praesentiam specialem Dei

in potentias animæ, ita ut Deus per essentiam et substantiam sit præsens, licet non ita perspicue ac in gloria intellectui ac voluntati Sanctorum, ita ut ab illorum potentiis intellectus et voluntatis in ratione objecti tangi, amplecti ac deosculari vitali sensatione et gustu dulcissime possit.

Dico 1. Actualis fruitiva animæ contemplativæ 11.
unio eum Deo est perceptio experimentalis et immediata Dei, quæ fit in potentiis intellectus et voluntatis per realem pærsentiam ipsius Dei, non quia intellectus eum intuitive et quidditative cognoscat, sed quia ejus præsentiam non solum per fidem cognoscit, sed etiam per donum sapientiæ, per gustum et experientiam percipit. Ratio est, quia 12.
hæc unio non fit per presentiam, qua Deus est in anima per immensitatem, nec per gratiam habitualem (ut supra diximus). Ergo necessario debet dari alia specialis præsentia, ratione cujus anima ad altissimam, realem et actualem cum Deo unionem sublimetur, et qua Deus liberalissime et perfectissime in mentibus fiat præsens atque intime per se ipsum earum potentiis unitus ; sed hoc fit per experimentalem perceptionem Dei ejusque donorum, prout est quædam actio, qua anima Deo conjungitur, cujus principium sunt gratia et charitas. Ergo actualis animæ contemplativæ unio fruitiva est perceptio experimentalis et immediata Dei, quæ fit per Dei illapsum, quo Deus fit præsens intellectui et voluntati contemplativorum.

Confirmatur primo. Quia præsentia, qua Deus 13.
mediante gratia se manifestat in hac fruitiva unione est manifestatio objecti intimi facientis se cognosci

et amari per experientiam et familiaritatem, vel tale objectum sic cognitum et amatum ut intimum, etiam in quantum objectum realiter, et non solum intentionaliter est præsens intellectui,quia se ipso et sua realitate reddidit se manifestum et cognitum et sui experimentali cognitione attactum. Ergo talis præsentia est realis et intima, non solum quando Deus intuitive et clare videtur, et per modum speciei unitum, sicut cum substantia Angeli suo intellectui unitur ut objectum, sed etiam quando cum fide obscura cognoscitur et experimentali quadam cognitione occulta attingitur, sicut cum anima nostra nobis in hac vita manifestatur.

14. *Confirmatur secundo*. Quia Deus non solum cognoscitur per fidem, sicut communiter contingit peccatoribus et justis, sed etiam per donum sapientiæ quasi per gustum et quamdam experientiam internam, sicut ab omnibus existentibus in gratia, ut docet D. Thomas (2. 2. q. 45. art.4. et 5.). Sed hæc sapientia habetur ex quadam experientia divinorum, quæ dari non potest nisi de objecto realiter præsenti. Ergo habere Deum realiter præsentem in ratione objecti intellectus et voluntatis,non solum pertinet ad statum gloriæ, ubi Deus intuitive videtur, sed etiam ad statum viæ, ubi Deus etsi obscure et per fidem agnitus, tamen quasi experimentali quodam tactu cognoscitur, etsi non visu. Patet consequentia. Nam sicut animam nostram non videmus et tamen experientia animationis sentimus quasi objectum præsens, quia informat nos realiter et informa-

tionis indicia nobis repræsentat, sic Deus suæ intimæ præsentiæ, quam habet ut agens et principium totius esse, nobis specialiter per gratiam demonstrat, tamquam objectum intime et experimentaliter cognitum, hic occulte et per indicia, in patria per visionem, sed tamen jam nobis specialiter et realiter præsens et quasi stans post parietem.

Confirmatur tertio. Quia Deus dicitur illabi 15.
in animæ essentia ratione infusionis gratiæ eo solum, quod ibi incipiat esse novo modo ut principium supernaturale, cum antea jam esset in anima ratione immensitatis. Et Deus etiam dicitur illabi in intellectu et voluntate beatorum, quia in eis incipit esse intime præsens ac in ratione objecti supernaturalis immediate unitus intellectui et voluntati beatorum, ita ut lumine gloriæ illustrati possint videre et amare Deum. Sed etiam Deus in via in ista unione supernaturali fruitiva incipit esse novo modo præsens, scilicet ut objectum supernaturale videndum intime intellectui et voluntati, cum qua reali conjunctione et dulcissimo amplexu copulatur. Ergo Deus per hanc unionem vere dicitur intime præsens et illabi intellectui et voluntati contemplativorum.

Dices : Si daretur illapsus Dei in intellectu, 16.
videretur Deus clare et intuitive, sicuti est, quemadmodum contingit in gloria. Sed de facto Deus in hac unione fruitiva non videtur intuitive. Ergo in illa non datur illapsus Dei in intellectu, sed tantum in voluntate. Major patet. Nam illapsus nihil aliud est, quam fieri Deum præsentem secundum suam essentiam potentiis cognoscitivis

in ratione objecti. Ergo si Deus hac ratione uniretur et illaberetur intellectui, intellectus illum perciperet ac ejus essentiam clare intueretur. Respondetur negando majorem. Ad probationem respondetur, illapsum vel posse dari per præsentiam realem objecti in se cogniti per modum speciei, sicut Angelus cognoscit suam essentiam intuitive, vel per realem præsentiam objecti non in se intuitive cognoti per modum speciei, sed tantum experimentaliter per indicia, sicut homo in hac vita cognoscit animam suam per indicia informationis et vivificationis. Licet ergo iste illapsus non sit adeo perfectus, ut est ille, qui fit in gloria, realiter tamen Deus est præsens et unitus, non solum voluntati, ut aliqui volunt, sed etiam intellectui in ratione speciei intelligibilis. Nam licet intellectus Deum clare et intuitive non videat, id non procedit ratione objecti, quod est intime præsens et unitum intellectui, sed ob defectum luminis, quo intellectus elevatur. Nam licet tale lumen sit participatio luminis gloriæ, deficit tamen a perfectione illius tum in ratione manifestativi et elevativi. Unde intellectus tantum cognoscit Deum per hoc speciale lumen veluti in caligine, juxta illud Joannis : « *Et lux in tenebris lucet* », sive « *per cancellos* », ut ait Sponsa, et experimentaliter per indicia. In hac cognitione sentit Deum sibi intime notum, conjunctum ac experimentaliter notum, ut dicemus infra (sect. 8.). Hæc autem experientia non habetur sola cognitione, sed affectu et gustu, quia est per fruitionem, licet imperfectam, qualis haberi potest in hac

vita. Hoc enim donum nemo scit, nisi qui accipit ut dicitur Apocalypsis 2.

Sed quia adhuc aliquibus videbitur obscurum, quomodo Deus in intimo mentis recessu præsens sentiatur ab anima, cum mediis speciebus illum non apprehendat, sed per immediatum ejus contactum ad animam, ideo brevius et clarius dico, quod *hic immediatus Dei contactus consistit in communicatione suavitatis spiritualis saporem habentis vitæ æternæ, tam in intellectu comtemplante quam in voluntate fruente*, qua Deus velut in effectu causa præsens indicatur et prædictis potentiis intellectus et voluntatis illum anima tunc apprehendit, licet non videat. Nam sicut nos animam nostram non videmus, et tamen experientia animationis eam sentimus quasi objectum præsens, quia informat nos realiter et informationis nobis indicia repræsentat, sic anima in illo affectu et cognitione sentit Deum ut sibi intime conjunctum et experimentaliter notum. Quæ experientia sola cognitione non habetur, sed etiam affectu et gustu, ut supra diximus. Nulla vero remanet difficultas, quando Deus speciali lumine se ipsum intellectui manifestat jam apprehensum modo explicato. 17.

Dico 2. Alii aliter explicant istam unionem fruitivam animæ contemplativæ, et dicunt, *istam unionem esse illud pretiosum donum, quo Deus in ipso recessu seu profundo ipsius animæ centro clarissima luce se illi præsentem et eam intuentem ac tenerrime diligentem ostendit*, quo memoria ipsius animæ huic Deo sic sibi manifestato tenacis- 18.

sime adhæret, ita ut unione durante ab eo avelli separarique non possit intellectus. Cum clarissima luce inspicit Deum et ut quoddam totum, in quo est omne bonum, vel secundum aliquam vel aliquas perfectiones intelligit, ita ut ab eo in aliquid aliud diverti nequeat. Voluntas ardentissimo amore constringitur, qui instar ignis erumpens omnia videtur absumere, ita ut anima jam in se non vivat, neque actionibus naturalibus intendat, sed in eum dulcissimum Sponsum toto affectu transeat, a quo arctissimo apprehensa est amplexu. In hoc gradu anima non tam agit,quam recipit, bene tamen consentit ; non tam inspicit et amat, quam ipsum splendidissimum intuitum et amorem ardentissimum Dei intra semetipsam reperit, non aliter quam si quis cibum non manducans nec potum glutiens ipsos in stomacho optime dispositos sentiret, quibus absque minimo etiam labore manducandi et bibendi semetipsum roboraret. In eo anima suum esse non amittit, sed aliud esse recipit, quod esse naturale prorsus absorbet. Nam sicut pomum saccharo conditum quoad naturam ipsum quidem est, sed quoad gustum et alimentum et usum ipsum non est, quia saccharo est in aliam conditionem mutatum, ita anima igne divini amoris excocta et admiranda suavitate condita naturam quidem retinet, sed et minimas distractiones deponit et quid cœleste ac divinum apparet. Ita D. Thomas (opusculo 60, ed Vivès, Paris, 1875, op. 54., art. 24.), N.M.S. Theresia (Mansione 5. c. 1. et Mansione 7. c. 1.), B. Angela de Fulginio (*c. 27. ejus vitæ.)

SECTIO III

Hæc unio animæ cum Deo declaratur similitudinibus et exemplis.

SUMMARIUM

19. Hæc unio actualis et fruitiva cum Deo ut in se est, concipi et declarari non potest. 20. Declaratur aliquo modo per analogiam ad sponsationem et matrimonium. 31. Declaratur alio exemplo aquæ fluidæ cadentis in vase. 22. Declaratur tertio exemplo solis. 23. Declaratur quarto exemplo arboris insertæ. 24. Declaratur quinto exemplo guttæ aquæ infusæ in vino. 24a. Declaratur sexto exemplo ignis et ferri. 25. Declaratur sexto exemplo oppositionis duorum speculorum. 26. Declaratur septimo exemplo bombicis.

Dico 1. Hæc tam sublimis unio actualis fruitiva 19.
animæ contemplativæ cum Deo, quamvis, ut in se est, concipi non possit et multo minus exprimi, declaratur tamen aliqualiter per analogiam ad aliqua exempla. Et primum sit *sponsatio et matri-* 20.
monium. Nam sicut quis dum virginem, quam summe diligit, in sponsam eligit, multis muneribus et signis amoris allicit et multoties visitat et cum ea habet multa eloquia et jam inito sponsalitio casta oscula et amplexus succedunt, ita Christus dum devotam aliquam animam in sponsam sibi eligit, post concessa multa spiritualia munera, post dona virtutum pretiosa, post exhibita amoris signa in via illuminativa suaviter illam ad sponsationem allicit et eam in viam unitivam introducit, et jam inito spirituali sponsalitio dulces amplexus et suavia in Spiritu Sancto succedunt oscula. Et tandem celebrato spirituali

matrimonio jam fit maxima unio actualis fruitiva (de qua in presenti loquimur) et indissolubilis conjunctio, quanta in hac mortali vita esse potest, donec perfecte consummato hoc spirituali matrimonio in cœlesti gloria talis conjunctio firmetur in æternum. Ita Richardus de S. Victore (De 4 gradibus violentæ charitatis).

21. *Dico 2.* Secundum exemplum sit *aquæ*. Sicut enim aqua fluida sponte vasi apte supposito debiteque collocato illabitur, sic et quando interiora nostra Deo subjiciuntur et accomodantur, Deus
22. in animam ad se conversam illabitur. Tertium exemplum sit *solis*. Nam sicut sol splendorem suum in terram sibi directe substratam, ubi nullum obstat medium, diffundit, et ibi primo omnes humores, exhalationes, sordes ex terra attrahit ipsaque calefacit, purgat, exsiccat et ad sphæram suam usque adducit, ubi crassi illi vapores in tantam abeunt lucem et puritatem, ut instar stellarum fugeant; sic et homini interno ac introverso Deoque sine medio substrato usuvenire solet. Enimvero sol divinus in ejus præclarum fundum continue lucis suæ mittit radios dulcique splendore suo omnem impuritatem et terrenæ delectationis vaporem extrahens, ipsum spiritum magis ac magis sustollit, donec ad suæ divinitatis adducat sphæram ipsumque prorsus divinum efficiat, adeo ut jam hujusmodi homo Deum sibi multo præsentiorem sentiat inveniatque, quam sit vel ipse sibi, vel aliquid quodcumque; ipsumque in fundo suo multo fulgere lucidius, quam sol iste corporalis oculis suis

externis resplendeat atque adeo se cum ipsa luce unum experiatur.

Dico 3. Quartum exemplum sit *arboris*. Nam 23.
sicut surculus arboris inseritur alteri, a quo nutrimentum accipit, et non fructum, quem solus ferret, sed fructum valde similem fructui alterius arboris, cui insertus est, profert, sic anima sentit, se a Deo suscipi et ab illo gratiæ auxilia et amorem perfectissimum accipere, quibus illi in vita spirituali valde similis reddatur. Quintum exemplum sit *guttæ aqu æinfusæ dolio vini.* Nam 24.
sicut illa aqua amittit propriam naturam, et convertitur in vinum, et fit unum cum eo in colore, odore et sapore et omni qualitate, ita anima cadens (ut ita dicam) in magnitudinem Dei, non amittit propriam naturam, sed ea retenta vires ejus deificantur et Deo similes efficiuntur. Sextum exemplum sit *ignis et ferri.* Nam 24ª.
sicut si ferrum in ignem injiciatur, ignem imbibit et ex nigro candescit, lucescit et calescit et comburit, ita anima in suo esse manens, si Deo uniatur, ignescit, ejus lucem et efficacitatem induit et altius ascendit.

Dico 4. Septimum exemplum sit de *oppositione* 25.
duorum speculorum. Nam sicut si duo specula contra se invicem ponantur, unum recipit imaginem alterius et ab illo invicem recipitur, ita quando hæc duo specula Dei et mentis humanæ contra se invicem ponuntur, hæc recipit claritatem et colorem illius, adeo ut in intellectu et affectu imago ilius pulcherrima videatur. Octavum exemplum sit *bombicis.* Nam 26.

sicut bombix ex vili semine virtute caloris generatur et fit vermiculus, deinde fastidiens inferiora ima deserit et sursum ascendit et facta cellula ibi in interiori ejus absconditus in silentio commoratur et in ipsa tranquillitate manens tandem ibi moritur, sed gloriose, non in vermem iterum terrestrem, sed in aviculam cœlestem resurgens ex sua morte totus renovatus ac multo pulchrior apparet, ita anima priusquam calore gratiæ in vitam spiritualem Dei vocantis et trahentis virtute regeneretur, quasi semen vile ac informe videtur, sed jam virtute divina regenerata et directa movetur, alimento gratiæ nutritur, virtutibus augetur et sic in via purgativa mutata superius ad viam illuminativam ascendit, uti delitescens interioris conversationis cum Deo colit exercitium, sed adhuc ad interiorem recessum vocata in intimo cordis centro recondita soli sibi et Deo vacat ibique tandem propria mortificatione terrenis omnibus moritur et tandem gloriosior de imorte resurgens ad viam unitivam evolat, ut ib in columbam transformata et Deo suo suaviter unita cœlestem, non terrenam aspiret auram, divinam, non humanam ducat vitam. Tunc non amplius hæc inferiora quærit, sed sursum tendit, nec ante volare desinit, donec omni creata luce superata ad increatam, quæ est Deus, utcumque in hac vita, et perfecte post mortem edito jam æternæ vitæ fructu pertingat. Ita N. M. S. Theresia (in ultimis mansionibus Castelli interioris.).

SECTIO IV

Hæc actualis fruitiva unio animæ contemplativæ cum Deo dividitur in ebriam et sobriam.

SUMMARIUM

27. Unio fruitiva dividitur in ebriam *et* sobriam. 28. Quid sit unio sobria, explicatur. 29. Hujus radix ut in plurimum est donum sapientiæ. 30. Quid sit unio fruitiva ebria, exponitur. 31. Dicitur unio passiva, et cur ? 32. An hac unione mereatur anima ? 33. In ea reperitur libertas. 34. Ecstasis, quæ datur in unione ebria, aliquando oritur ex manifestatione objecti manifestati. 35. Tres dantur ecstaticæ unionis fruitivæ gradus, qui explicantur. 36. In supremo gradu unionis duplex status distinguitur, qui explicatur.

Dico 1. Unio fruitiva dividitur in *sobriam et ebriam.* Sobria est illa, in qua anima manet totaliter compos sui. Et de ea dicitur Canticor. 5 : « *Bibite, amici,* » per distinctionem ad ebriam, de qua dicitur : « *Inebriamini, charissimi.* » Dicitur etiam activa, eo quod in ea anima divinis auxiliis præventa propria industria cooperatur, se ad Dei contemplationem elevare, et ad aliqualem ejus fruitionem pertingit. Dicitur etiam unio affectuosa. Per affectum enim charitatis nos Deo unimus et propterea Apostolus vocat charitatem vinculum perfectionis. Ejus radix ut in plurimum est donum sapientiæ, cujus suavi cognitione perfusus intellectus voluntatem allicit et ad actum charitatis utcumque fruitivæ inflammat. Qui actus non solum suaviter, sed etiam spontanee procedit. 27. 28. 29.

Dico 2. Unio fruitiva ebria est illa, per quam 30.

anima in ecstasim rapitur. Dicitur etiam passiva ratione principii moventis, non quia ipsa ad suos
31. actus non concurrat, sed quia anima divini Spiritus impetu potius agitur, quam agat. Non enim tunc ad eam sua industria procedit, sed ad eam rapitur cum potentiarum suspensione et sensuum alienatione. Non tamen ideo dicitur passiva,quia ibi intellectus et voluntas nihil penitus operentur, cum certum sit,contemplationem et amorem actus esse vitales.Sed dicitur passiva,quia non se ipsam libere applicat anima, ut facit in unione sobria sed impetu divini Spiritus acta ad illos eliciendos applicatur non coacte,sed efficaciter et spontanee.
32. Non enim credendum est, quod tunc nihil me-
33. reatur. Et ad meritum requiritur libertas, saltem quoad exercitium, ut optime concludit S. M. N. Theresia et cum ea N. P. Philippus a SS. Trinit. (p. 3. tr. 1. art. 4.).
34. *Dico 3.* Ecstasis, quæ datur in unione ebria aliquando oritur *ex admiratione objecti manifestati*, quod sæpe accidit in principio vitæ spiritualis. Cum enim Deus velit tunc animam a sæculi miseriis eductam vel a peccatorum sordibus ereptam in studio virtutis confirmare, cœlestes ei vel in visionibus vel in revelationibus vel in internis suavitatibus gratiæ sensibilis communicationes concedit. Et tunc anima favorum hujusmodi novitate commota et admiratione suspensa rapitur, quia ab assuetis non fit passio. Aliquando tamen etiam contingit animabus perfectis ecstasis in statu intimæ unionis,quando anima sentiens Sponsum præsentem ejusque amore fruens audita

interiore ejus voce, tunc vehementius amor inflammatur et animam extra se ad Sponsum rapit. Et tales ecstases summam animæ, cui contingunt, perfectionem indicant, nec ita sunt frequentes, sicut aliæ a sola admiratione procedentes.

Dico 4. Tres dantur ecstaticæ unionis fruitivæ 53.
gradus. Primus, qui perficitur in inferiori parte animæ, quando aliqua participatio sensibilis gratiæ ad vires sensitivas redundat. Et hic communicatur incipientibus, adhuc in via purgativa ambulantibus. *Alius* contingit in superiori parte animæ, quando anima non utens speculo creaturarum ad divina immediate contemplanda assurgit et illorum contemplationi suaviter inhæret, ex cujus vehementi amore supra se rapitur. Et hæc illis, qui sunt in via illuminativa, solet evenire. *Tertius* gradus est, quando homo supra id, quod intelligi potest per omnium creaturarum ablationem et negationem ingrediens divinam caliginem vitali sensatione divinam præsentiam sentit et per amorem fruitivum quodammodo in eum transformatur. Hic raptus in suprema parte animæ seu in ipsius centro contingit. Et solum conceditur his, qui viam unitivam feliciter percurrunt et quasi perficiunt.

Dico 5. Adhuc in hoc tertio et supremo gradu 36.
unionis duplicem statum distinguo, alium *affectivum* et alium *effectivum*. Affectivus est, quando anima per ardentissimum et fruitivum amorem ipsi Deo suaviter adhæret, non tamen cum effectu, sed tantum per affectum ipsi Deo immediate unitur, nec ejus amplexum seu defixam præsentiam

percipit. Et licet experiatur aliquando miram dulcedinis suavitatem, ardentissimum ardorem et radios divini solis in animæ substantia commorantis, non tamen ipsum solum attingit, et ideo adhuc Deum præsentem suaviter sentire desiderat. Effectivus vero est, quando Deus animæ ipsi hanc intimam et experimentalem unionem desideranti immediate communicat et ei illabitur quantum viatoris conditio patitur, et ad se vicissim elevat animam intra se ipsam, vel etiam extra vel supra se ipsam rapit, blande deosculatur ac se intuendum, gustandum, possidendum et amore fruendum se liberaliter offert. Et hæc est unio felicissima (ut statim dicemus), non solum in affectu, ut reliquæ, sed etiam simul in effectu reali consistens, quæ tantum in statu matrimonii spiritualis haberi solet.

SECTIO V

In hac actuali fruitiva unione animæ contemplativæ cum Deo consistit hujus vitæ felicitas et inchoata beatitudo.

SUMMARIUM

37. In solo Deo possesso et dilecto beatitudo perfecta consistere potest. 38. Juxta modum, quo possideri potest Deus, est modus beatitudinis magis aut minus perfectus. 39. In gloria est beatitudo omnino completa. 40. Inchoata beatitudo in hac vita consistit in intima unione cum Deo tum per cognitionem experimentalem præsentiæ ipsius, tum per amorem fruitivum. 41. Discrimen, quod datur inter beatitudinem completam in gloria et inchoatam hujus vitæ, declaratur.

37. Pro hujus sectionis intelligentia notandum est,

quod cum objectum voluntatis sit bonum universale, sicut objectum intellectus est verum universale, manifeste sequitur, quod in nullo objecto creato, sed in solo Deo possesso et dilecto talis beatitudo perfecta consistere possit. Sed juxta 38.
modum, quo possideri et haberi potest Deus, erit
modus beatitudinis magis aut minus perfectus. In 39.
vita gloriosa est beatitudo omnino completa, quia comprehensores virtute luminis gloriæ Deum perfecte possident, cum per illud disponatur intellectus humanus ad realem cum Deo unionem in ratione objecti visibilis et ad claram ejus visionem eliciendam simul elevatur, voluntas autem fruitivo charitatis amore ipsi suaviter inhæret. In via autem solum est hæc beatitudo inchoata, quia quamvis intellectus Deum præsentem sentiat, non tamen intuetur. Et quamvis voluntas per charitatem illo fruatur, non tamen complete, quia voluntas non possidet Deum inamissibiliter, quod requiritur ad perfectam beatitudinem, sed amissibiliter, ex quo remanet appetitus aliqualiter inquietus.

Dico 1. Inchoata beatitudo in hac vita consistit 40.
in intima unione animæ cum Deo, tum per cognitionem experimentalem præsentiæ ipsius, tum per amorem fruitivum. Et ratio est, quia ex una parte Deus, qui est objectum beatitudinis, conjunctus est intellectui in ratione summæ lucis, et voluntati in ratione summi boni et delectabilis, quantum in hac vita status viatorum per fidem ambulantium permitit. Ex alia vero parte perfectissimi actus, quibus anima Deo inhæret et ipsum

pergustat, potius sunt assecutiones finis, quam mediorum. Sed beatitudo consistit in assecutione finis et in actu nostro perfectissimo. Ergo inchoata beatitudo in hac vita consistit in hac intima unione fruitiva, ita ut homo jam dicere possit cum Propheta : « *Quid mihi est in cœlo et a te quid volui super terram ? Defecit caro mea et cor meum. Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum.* » (Ps. 72.). Quasi diceret : Transcendit capacitatem intelligentiæ meæ illud decus, illa celsitudo, qua nobis in abscondito faciei suæ Jesus Christus reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Ita exponit D. Augustinus et docet S. Bonaventura.(De prof. Religiosor. lib. 2. c. 73. ed. Vivès, t. XII p. 430 *.)

41. *Dico 2.* Inter beatitudinem completam in gloria et inchoatam hujus vitæ datur *hoc discrimen*, quod perfecta beatitudo consistit essentialiter in clara visione ac intima Dei in se ipso contemplatione. Et tantum amor fruitivus requiritur ut complementum illius. Inchoata vero beatitudo principalius in amore fruitivo Dei præsentis, quam in ejus contemplatione consistit.Cujus discriminis ratio est, quia beatitudo consistit essentialiter in summi boni possessione. Sed solus intellectus intra se in gloria Deum intuetur. Ergo solus intellectus Deum perfecte possidet, non vero voluntas. Nam voluntas non attrahit ad se objectum ut intellectus, sed potius trahitur ab objecto extra se ipsam et in ipsum transformatur. Unde ejus

* vide notam ad num. 427. Tract III.

fruitivus amor non est possessio objecti, sed possessionem supponit. Ergo beatitudo in solo actu intellectus essentialiter consistit. In inchoata vero beatitudine, quia nondum intellectus clare Deum videt, sed adhuc in ænigmate, et verius absentem quam præsentem contemplatur, quamvis sæpe præsentem dixerimus intellectui ob specialem ejus notitiam experimentalem. Quia tamen hæc notitia experimentalis ad possessionem simpliciter dictam non sufficit, inde est, quod in fruitivo amore voluntatis potius in hac vita summi boni possessionem constituimus, quam in actu quantumcumque perfecto intellectus. Ita Abbas Vercellensis apud D. Bonaventuram (De septem itinerib. æternitatis, dist. 6. edit. Vivès, t. 8. p. 471.), Gerson (tr. 9. super Magnificat, p. 4.), N. Philippus a Ss. Trinit. (p. 3. tr. 1. disc. 1. art. 5.).

SECTIO VI

Debent omnes, et maxime Deo specialiter consecratæ animæ ad actualem fruitivam unionem cum Deo aspirare et tendere.

SUMMARIUM

42. Anima, quæ perfectionis viam fuit ingressa, necesse est, quod tendat ad intimam Dei unionem. 43. Ut anima debite tendat ad divinam unionem, prius debet percurrere viam purgativam et illuminativam. 44. Quomodo anima se debeat excitare ad hanc divinam unionem, explicatur. 45. Quomodo divinæ præsentiæ exercitium sit medium aptissimum ad perveniendum ad hanc divinam unionem, explicatur.

Dico 1. Cum omnes intellectuales creaturæ 42.
beatitudinem naturaliter appetentes eam semper

et ubique procurent, necesse est, quod anima, et specialiter Deo consecrata, quæ perfectionis viam Deo excitante et adjuvante fuit ingressa, non sistat in via purgativa laborum et dolorum difficultate perterrita; nec sedeat in via illuminativa deliciis viæ spiritualis recreata; sed necessarium est, ut pergat ulterius *totamque viam, etiam unitivam, percurrat*, ut tandem Deo intime unita prædicta felicitate ac beatitudine inchoata fruatur. Non enim potest anima alibi quiescere, alibi satiari, quam in hac perfecta sui cum Deo unione. Deus enim est centrum animæ et locus naturalis, extra quem numquam ei bene erit. Nam cum cor hominis semper sit inquietum, non quiescit, nisi in perfecta cum Deo unione et amplexu. Cujus ratio est, quia cum objectum voluntatis sit summum bonum, dum eum non assequitur, debet illum absentem continuo desiderare et desiderando tendere, ut consequatur, nec prius sistere, quam ei conjungatur et tanta propinquitate uniatur, quod nihil mediet et ipsum complectatur et osculetur, licet illum intuitive non videat, sed per speculum in ænigmate contempletur. Sed totum hoc habet anima in hac beatitudine inchoata et fruitiva animæ. Ergo ad illam debent omnes animæ, specialiter Deo consecratæ, aspirare.

43. *Dico 2.* Ut anima debite ad Deum tendat et ut ei intime uniatur, non debet statim temere ad dulces ejus amplexus et oris osculum aspirare, sed *prius velut humilis ancilla ad pedum osculum in via purgativa accedat*, Magdalenam imitata. Deinde velut filia dilecta ad osculum manuum

properet in via illuminativa. Et denique velut sponsa dilectissima ad sacrum oris osculum fidenter in via unitiva consurgat. Sic enim ipso Domino admittente tam arcte cum Deo conjungetur, quod erit unus cum ipso spiritus. Tunc enim consummabitur in nobis illa nostri Salvatoris ad Patrem oratio : « *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* » (Joann. 17, 21.) Quod fiet, quando illa unitas, quæ nunc est Patris cum Filio et Filii cum Patre, in nostrum fuerit sensum mentemque transfusa, hoc est, quemadmodum Deus nos sincera, pura atque indissolubili diligit charitate, nos quoque ei perpetua et inseparabili dilectione jungamur. Ita Cassianus (Collat. 10., cap. 7.).

Dico 3. Aptissimus modus, quo se anima de- 44.
bet excitare, ut ad hanc intimam sui cum Deo unionem perveniat, est, *ut suaves erga illum aspirationes efformet*, cum Spiritu Dei fortiter simul ac suaviter moventis agetur. Unde quieta debet in intimo sui recessu permanere et cum silentio potentiarum ipsi Deo vacare, donec ipsa ab eodem Domino ad similes aspirationes excitetur, quæ potius corde quam ore promendæ sunt, nec tam studio quam amore debent efformari et in fundo ipsius animæ cum fervore productæ ad Deum dirigi. Et ad id poterit aliquas Patrum sententias vel sacræ Scripturæ loca legere, ut affectum excitet et amorem ostendat. Nec homo debet cessare ab oratione, donec ex illo fonte bibere mereatur. Nam si vel guttam fontis salientis in vitam æternam biberit, solum Dei amorem sitiet,

in quo amore quanto amplius creverit, tanto magis in unione divina proficiet, et quo perfectius Deo unitus fuerit, tanto clarius cognoscet eum, et quanto eum lucidius cognoverit, tanto ardentius diliget.

45. *Dico 4.* Facilis erit introitus ad centrum animæ, ad intimum regis æterni cubiculum, *si divinæ præsentiæ quis vacare sedulus assuescat;* et maxime si potius intellectuali Divinitatis intra seipsum existentis, quam imaginariæ alicujus mysterii fidei se frequentius occupet. Imaginaria namque in ipso conversionis principio videtur efficacior ad rerum mundanarum eruendas imagines e memoria, dum novæ sacrorum mysteriorum supervenientes illi imprimuntur, sed postea ad recolligendam intra se animam prædicta intellectualis Dei præsentia aptior apparet, quia facilior et utilior. Unde quamvis ab humanitate Christi Domini conveniens sit in oratione vel recollectione incipere, non tamen est spiritui resistendum ad interiora Divinitatis arcana in centro animæ contemplanda vocanti et allicienti.

SECTIO VII

Quæ necessariæ sint tam præviæ quam simultaneæ dispositiones ad prædictam unionem animæ cum Deo?

SUMMARIUM

46. Quando Deus vult alicui formam communicare tam in ordine naturæ quam gratiæ, prius illum disponit dispositionibus formæ proportionatis, licet sine illis absolute posset formam introducere.

47. Via unitiva disponit ad hanc divinam unionem contrarias dispositiones removendo. 48. Quidquid in via illuminativa accidit, disponit positive ad hanc unionem. 49. Dantur alia duo genera dispositionis ad hanc unionem, aliud activum et aliud passivum. 50. In quo consistat dispositio activa, exponitur. 51. In quo consistat dispositio passiva, declaratur. 52. Ultima dispositio causatur efficienter ab illo, qui causat formam.

Pro hujus sectionis intelligentia notandum est, 46.
quod quando Deus alicui perfectam tam in ordine naturæ quam gratiæ vult formam communicare, quamvis absolute possit, si velit absque dispositionibus, plures tamen antea dispositiones præparat introductioni talis formæ proportionatas, quæ vocantur præviæ, quibus subjectum ad illam disponitur, et concomitantes ipsam formam subjecto impressas conservat, ut mediis illis forma conservari diu valeat. Cum igitur unio fruitiva cum Deo sit suprema forma,quæ in hac vita intra ordinem gratiæ communicari possit, sequitur, quod multæ debent dispositiones præcedere et multæ comitari, de quibus in hac sectione dicemus.

Dico 1. Via purgativa disponit ad hanc unio- 47.
nem *contrarias dispositiones removendo*. Et ratio est, quia via purgativa moderatur omnes actus sensuum externorum et omnes actus intellectus et voluntatis et passiones. Ergo disponit ad hanc unionem tam in purgatione activa quam passiva. Unde illud tædium, quod reperitur in purgatione passiva, est dispositio ad hanc unionem, quia est malum pœnæ. Et idem dicendum est de angustiis et tribulationibus, quæ in ea inveniuntur, juxta illud Isaiæ 1 : « *Et convertam manum meam ad*

te et excoquam ad purum scoriam tuam et auferam omne stannum tuum ». Ubi D. Thomas ait : « *Et excoquam igne tribulationis.* » Et ratio est, quia sicut nemo potest in aliud transformari, nisi a sua forma quodammodo recedat, ita anima non potest in Deum transformari in ista unione, nisi prius relinquat suam formam naturalem. Hoc autem fit moderando omnes sensuum passiones et exornando animam omnibus virtutibus et magna justitiæ rectitudine roborando,ut ait D. Gregorius (ad cap. 3 Canticor.).

48. *Dico 2.* Quidquid in *via illuminativa* accidit, *disponit positive* ad hanc unionem. Et ratio est, quia illa clarissima lux, quæ intima cordis arcana et centrum animæ penetrans omnes ejus defectus quantumcumque latentes et minimos ei manifestat, adjunctis circumstantiis maxime personæ offendentis et offensæ, mirabiliter animam cruciat et imperfectiones et defectus tam actuales quam habituales in anima remanentes, quas purgatio passiva partis sensitivæ non potuit eradicare, penitus evacuat. Ergo quidquid in via illuminativa accidit, disponit ad hanc fruitivam unionem ; immo multo magis disponit ad illam via illuminativa quam purgativa, quia in ea datur purgatio partis intellectivæ, quæ directe et immediate concurrit ad dictam unionem.

49. *Dico 3.* Dantur alia duo genera dispositionum ad hanc unionem, unum *activum* et alterum *passivum*. Sub *activo* continentur omnes illæ dispositiones, quas anima, divinis tamen auxiliis præventa et roborata solet propria cooperans in

dustria paulatim acquirere. Sub passivo autem continentur aliæ, quas Deus animæ non cooperanti, sed tantum consentienti infundit. Per primum genus dispositionis dicitur anima proprie seipsam disponere ; per secundum dicitur a Deo proprie disponi. Dispositio activa consistit in auxiliis divinæ gratiæ, quibus mediis Deum tanget animam, non tactu corporeo, sed virtuali. Et de hoc actu loquitur Sponsa Canticor. 5 : « *Et venter meus intremuit ad tactum ejus.* » 50.

Dico 4. Dispositio *passiva* consistit primo in quadam liquefactione, in qua anima cœlesti liquore roboratur, confortatur et instruitur ad contemplationem radiorum veritatis ; secundo in volatu, sive elevatione quadam animæ supra se ipsam,quo oblito homine exteriori propius accedit ad fontem divini amoris seque erigit, quantum fieri possit, ad æterna ; tertio in ardentissimi divini amoris violentia, qua Deus animam amoris jaculo vulneratam ad ipsius unionem et complexum producit. Consistit autem hæc violentia divini amoris in majori radicatione omnium virtutum, et præcipue charitatis, quæ major radicatio efficienter causatur in anima a solo Deo absque ulla industria aut operatione nostra. Et ratio est, quia hæc est ultima dispositio ad divinam unionem fruitivam. Sed ultima dispositio causatur efficienter ab illo, qui causat formam. Ergo cum unio fruitiva a solo Deo causetur, ab illo causatur etiam in anima major virtutum et præcipue charitatis radicatio. Ita D. Bonaventura (de septem gradib. contemplationis),et 51. 52.

cum Richardo a S. Victore N. Thomas a Jesu (de oratione divina, lib. 4. cap. 24.), N. Philippus a Ss. Trinitate (p. 3. tr. 1. art. 7.) et alii communiter. Et colligitur ex illo Canticor. « *Vulnerata charitate ego sum.* » Signa autem externa hujus amoris sunt, ut ait Richardus : gemitus, suspiria, vultus pallens atque tabescens, quæ omnia operatur amor vehemens. Sed de his vide latius N. Thomam a Jesu (l. c.)

SECTIO VIII

Quomodo se habeat intellectus in ordine ad intimam animæ cum Deo unionem.

SUMMARIUM

53. Intellectus et memoria in parte superiori animæ sunt eadem potentia. 54. Operationes intellectus et memoriæ etiam in parte superiori distinguuntur. 55. Memoria in statu unionis remanet tranquilla in recordatione Dei, et quomodo ? 56. Transacta unione manet memoria in Deo fixa, sicut antea. 57. Intellectus non sic manet occupatus in Deo transacta unione, ac in ipsa unione. 58. Intellectus, quomodo se habeat ad Dei unionem antecedenter ad ipsam, exponitur. 59. Quomodo se habeat intellectus concomitanter ad ipsam ? 60. Quomodo fiat Dei intellectui manifestatio ex porte principii, explicatur. 61. Explicatur, quomodo fiat ex porte termini. 62. Quomodo se habeat intellectus ad hanc unionem consequenter, exponitur.

53. Pro hujus sectionis intelligentia suppono, quod licet in parte superiori animæ intellectus et memoria sint eadem potentia, utpote potentia superior, quod non accidit in phantasia et memoria
54. in parte inferiori, attamen operationes intellectus et memoriæ etiam in parte superiori distinguun-
55. tur. Unde in hoc statu unionis memoria ex spe-

ciali Dei influxu remanet ordinarie tranquilla, et in recordatione Dei, quem interius percipit et experimentaliter sentit, penitus absorpta, ita ut
etiam transacta unione ita in eum fixa maneat, 56.
quod rerum terrenarum vix possit meminisse, et
ejus conversatio tantum in cœlis sit. Intellectus 57
vero non sic in Dei contemplatione manet occupatus transacta unione, sicut erat in ipsa unione. Et ratio est, quia tempore unionis in illa divina caligine, quæ est inaccessibile lumen, in quo Deus habitat, totaliter absorbetur et taliter illa inaccessibilis claritas intellectum offuscat, quod nihil distincte videat, non secus ac si esset in caligine. Transacta tamen unione potest se ad alia divertere. Unde necesse est, explicare, quomodo intellectus se habeat antecedenter ad unionem, et quomodo concomitanter et quomodo consequenter.

Dico 1. Antecedenter ad hanc actualem fruitivam unionem intellectus sic prædicta caligine 58.
divina circumdatur, involvitur et ligatur, quod solum confusæ Dei cognitioni vacet. Ipsum tunc cognoscit incomprehensibilem, summe visibilem, infinite perfectum. Nihil tamen distincte in eo videt, sed in quadam cognitione confusa, ut si quis ipsam solis lucem in ipso sole formaliter existentem intueretur, solum videret confusionem lucis et nullo modo quid distinctum in ipso sole, sed quamdam in oculis caliginem ob nimiam solis claritatem, ut ait Dionysius Carthusianus (* de laude vitæ solitariæ, cap. 6.) Sic anima contemplans Deum et in illo eum humilitate et amore

figens oculum mentis, solum cognoscit, ipsum esse simplicissimum, esse incircumscriptum, bonitatem infinitam, veritatem increatam, unitatem summam, et sic de cæteris perfectionibus. Et in hac contemplatione inflammatur cor sicque Deo profundius unitur et tamquam ignoto pariter et obscuro ferventissime infigitur. Et in hac cognitione non intime, sed satis profunde, non distincte, sed tantum confuse divina cognoscuntur attributa. Et hæc est prævia tantum cognitio ad hanc intimam unionem animæ cum Deo.

59. *Dico 2. Concomitanter* ad hanc unionem fruitivam intellectus non sic divina caligine ligatur, sed clarius et distinctius quam antea Deum intuetur in gloria. Cognoscit tamen semper, quod Deus est incomprehensibilis et in infinitum magis visibilis, quam videtur. Tunc namque Deus revelata facie se animæ manifestat, ita ut velut tenuissima tantum tela velatus appareat. Mysterium Sanctissimæ Trinitatis sic ei contemplandum exhibetur, quod velut aperte conspiciatur. Illic namque cognoscit, tres personas esse unam eamdemque substantiam, unam sapientiam et denique unum Deum, taliter, ut ea, quæ hic per fidem credimus, tunc anima quasi intuitive, ut ita dicam, videat, etsi non oculis corporeis, sed mentis, ut ait N. M. S. Theresia (Mansione 7. cap. 1. et 2.). « *Illic spiritus a Deo in admirabile lumen suum taliter deducitur et rapitur* », ut ait Taulerus (cap. 12. Institutionum), « *ut natura in quamdam deiformitatem elevetur ; ibi plane spiritus præ lumine absque luce, præ cognitione absque*

cognitione, præ amore absque dilectione efficitur, non quod absque dilectione sit, sed quia omnis ejus cognitio amorque suus nimis parva videntur ad suum Deum comprehendendum. » Et licet anima suis potentiis operatur, potius dicitur patiens divina, quam agens, ob suavitatem nimiam, quam operantur. Et in hoc sensu capiendum est id,quod ait N. M. S. Theresia (in vita sua, c.18.), scilicet : « *Cum anima non possit comprehendere, quod intelligit, est non intelligere intelligendo.* »

Quomodo autem hæc divinorum manifestatio 60.
fiat, discrepant Doctores mystici. Nam aliqui volunt, quod lux illa, quam intellectus videt, sit Deus ipse in intellectum illapsus, et quod eminentes aliquas species in ipso intellectu imprimat velut in purissimo divinitatis speculo, in quibus veritates manifestatas quodammodo intuetur. Sed hoc dici non potest, saltem de potentia ordinaria. Nam intellectus intrinsece debet elevari ad tam sublimem contemplationem, sed Deus non potest esse principium formale formaliter complens virtutem naturalem intellectus, cum principium formale debeat subordinari potentiæ, cui deservit, quæ imperfectio indispensabilis non potest Deo convenire.Ergo illa lux non est Deus ipse,sed lux creata, supernaturalis tamen et multum eminens, divinorum manifestativa. « *Omne enim, quod manifestatur* », ut ait Apostolus (ad Ephes. 5.) *lumen*, sive lux, *est* ». Et hoc ex parte principii.

Ex parte vero termini seu objecti visi potest 61.
dici, quod medium, in quo hæc divina videntur, sunt aliquæ species admodum eminentes, quæ

quodam eminentissimo modo talia repræsentant objecta ; vel etiam et forte melius dici potest, quod illa lux superioris ordinis intellectui communicata est quædam participatio luminis gloriæ, et disponit intellectum, ut Deus immediate secundum se uniatur ei in ratione speciei intelligibilis, sed deficienter, ita quod videatur quidem Deus in se ipso, non tamen clare et perfecte, sicut in gloria, quia prædicta lux tum in ratione dispositionis tum in ratione virtutis manifestativæ ac elevativæ deficit a perfectione luminis gloriæ. Unde visio, quæ ad illam consequitur, est quidem immediata, sicut illa Dei in se ipso, sed non est clara sicut illa, sed dicitur in tenebra. Ex quo sequitur quod intima hac visione Deus illabitur non solum in essentiam animæ per insignem gratiam sanctificantem, sed etiam in intellectum per communicationem hujusmodi lucis, et in voluntatem per incrementum singulare charitatis ; et sic speciali modo reperitur.

62. *Dico 3. Consequenter* ad hanc intimam unionem, quamvis intellectus ad alia objecta creata possit se divertere, in divinis tamen antea visis sic affixus est, quod de eis semper cogitet, vel propter vivacitatem specierum intelligibilium, quas juxta primum modum dicendi asseruimus impressas, quæ transacta luce prædicta remanent vel juxta secundum modum dicendi propter determinationem intellectus ipsius per verbum productum in dicta visione, ex qua habet intellectus continuo recordari, quod tam eminenti modo Deum viderit ; et tam firmiter illis subjectis di-

vinitus revelatis contemplatione, quamvis minus perfecta, inhæret, quod necessarium sit, ut Deus illi inspiret, quod exterius debet agere in ordine ad salutem proximi. Hæc in genere dicta contingunt in divinis gradibus orationis in posterum explicandis, ubi distributa sigillatim patebunt.

SECTIO IX

De oratione unionis.

SUMMARIUM

63. Unio est id, quod ex duobus fit. 64. Unio animæ cum Deo non fit per hoc, quod anima amittat suum esse et convertatur in Deum. 65. Non fit per hoc, quod Deus animæ sit intime præsens per immensitatem vel charitatem. 66. Ad hanc unionem non sufficit gratia et charitas. 67. Hæc unio celebratur in potentiis animæ, scilicet in intellectu et voluntate, vel active per conformitatem, vel passive per Dei contemplationem. 68. Cur ista unio dicatur activa, explicatur. 69. Cur dicatur passiva, exponitur. 70. Quid sit unio passiva ? 71. Quam supernaturalis sit oratio unionis, explicatur. 72. Quomodo resultet ex cognitione intellectus affectus ardentissimi amoris in voluntate ? 73. Unio activa est quædam conformitas voluntatis nostræ cum divina. 74. Quid debeat facere homo, ut ad hanc unionem perveniat ? 75. Unio conformitatis fundatur in amore Dei et proximi. 76. Sæpius orationis exercitium et sensibilis devotionis gustum tenemur dimittere ad bonum proximi.

Pro hujus sectionis intelligentia suppono, unio- 63.
nem, ut supra dixi, nihil aliud esse, quam id, quod ex duobus unum fit. Quare, quod hic quærimus, est, quomodo ex Deo et anima in oratione unum fiat ? Et in primis certum est, hanc unionem non fieri per hoc, quod anima amittat suum esse et 64.
convertatur in Deum. Hoc enim est impossibile. Nam cum Deus sit immutabilis, nihil potest in

ejus simplicissimam naturam converti. Nec etiam
65. hæc unio fit per hoc, quod Deus sit intime præsens animæ. Nam commune est omnibus rebus, in quibus Deus per immensitatem est præsens ut auctor naturalis. Si vero loquamur de esse per gratiam, per eam et per charitatem, omnes justi sunt Deo uniti : « *Nam qui manet in charitate, in Deo*
66. *manet et Deus in eo.* (Joan. 4, 16.). Unde ad hanc unionem, de qua loquimur, non sufficiunt gratia et charitas. Nam plures sunt in gratia et charitate, quibus nec donum contemplationis, nec donum hujus unionis datum est. Dicendum ergo est, *hanc*
67. *unionem celebrari in potentiis animæ*, scilicet in intellectu et voluntate, et in his actibus prædictarum potentiarum perfici, vel active per conformitatem nostræ voluntatis ad Dei voluntatem, vel
68. passive per altissimam Dei contemplationem. Dicitur autem illa fieri active, quia anima divinis auxiliis roborata propria industria potest, si voluerit, ad hanc Dei altissimam unionem perve-
69. nire. Hæc vero dicitur fieri passive, quia hæc unio per contemplationem non propria industria acquiritur, sed eam dat Deus, cui vult.

70. *Dico 1. Unio passiva*, de qua hic loquimur, *est illud pretiosum donum, quo Deus in ipso intimo animæ clarissima luce se illo præsentem et eam intuentem ac tenerrime diligentem ostendit*, quo memoria Deo tenacissime adhæret ; intellectus totum bonum clarissima luce intelligit, ita ut in aliquid aliud diverti nequeat ; voluntas ardentissimo amore constringitur et toto affectu omnibus aliis relictis in Sponsum transit, a quo arctis-

simo apprehensa est amplexu. In hoc gradu anima non tam agit, quam recipit, in eo non tam inspicit et amat, quam ipsum intuitum splendidissimum et amorem ardentissimum Dei intra semetipsam reperit, non aliter quam si quis cibum non manducans nec potum glutiens ipsos in stomacho optime dispositos sentiret, quibus absque minimo labore manducandi et bibendi semetipsum roboraret. In eo anima nequaquam per incilia viridarii sui aquam ducit, ut ait N. M. S. Theresia (in vita sua, c. 17.), sed pluvia largissima desuper emissa irrigatur, quia ad hoc maximum bonum, quod sentit, nulla humana præparatur industria.

Dico 2. Ista oratio unionis, tum supernaturalis 71.
elevatio mentis ad Deum, est tam alta contemplatio et deificatio, quod gratia Dei præveniens ac pertransiens sensum perstringit amantis et eripit eum illi et infigit sibi. In ista oratione unionis repletur anima incredibili pace, quam nullus eventus turbat, roboratur ad adversa et difficilia, zelo et desiderio salutis animarum accenditur, profundissima humilitate perficitur, nullo modo aliqua inani gloria inflatur, non mortem timet, sed potius eam desiderat, ut perfecta unione potiatur. De hac unione loquens N. M. S. Theresia (Mansione 5. cap. 1.) ait, quod *non est possibile, delicias hujus orationis voce explicare vel intellectu concipere.* Licet autem hæc unio sit tam sublimis, non ideo anima, quæ in illa à Domino constituitur, debet esse in sua custodia negligens, sed occasiones fugere. Non enim est clausura tam arcta, quam diabolus non ingrediatur, siquidem

et in cœlum et in paradisum ingressus est. Omnes ergo occasiones debet præcludere, amorem proprium et vanam gloriam fugere, nullo prætextu, etiam humilitatis, orationis exercitium sine urgenti causa dimittere, et si forte dimisit, iterum ad illud denuo redire, ut notavit N. M. S. Theresia (Mansione 5., c. 4.).

72. *Dico 3.* In ista unione fruitiva animæ cum Deo prævia intellectus cognitione resultat in voluntate ardentissimus amoris et delectationis affectus ac mira suavitas, pax et tranquillitas exsuperans omnem sensum, appetitus ejus pro hoc statu satiatur. Unde summe delectatur in hac possessione summi boni et suaviter illo fruitur, taliter quod si hæc animæ unio diu permaneret, jam anima paradisi gaudia hic haberet. Sed quia cito transit (ordinarie enim vix ad dimidiam horam pertingit, ut notavit N. M. S. Theresia in vita sua cap. 18.), talis suavitas plurimum mitigatur, non tamen omnino tollitur. Nam cum ei, transacta unione, remaneat habitualis memoria unionis præteritæ et spes sæpius futuræ, effluunt ex illa in intellectum vivæ quædam et admodum expressivæ rerum cœlestium species, quæ animæ deserviunt ad perfectam, quamvis abstractivam illorum contemplationem, et ex illa manet quodammodo sigillata voluntas divini Sponsi amore, unde facile cætera despicit.

73. *Dico 4. Unio activa est quædam conformitas voluntatis nostræ cum divina voluntate.* Hanc autem conformitatem potest quælibet anima divinis auxiliis roborata acquirere. Nam ad hanc

unionem non requiritur, quod Deus potentias suspendat ; est tamem necesse, quod anima sibi ipsi moriatur per omnimodam propriæ voluntatis abnegationem, quod hic difficilius accidit, cum hoc propria fiat industria et cum multa repugnantia. Si tamen major est hic labor, major quoque erit præmium, si victoriam de se ipsa reportaverit. *Hanc unionem cum Deo debet quælibet anima contemplativa appetere* et continuo tamquam magis utilem et securam a Deo petere. Sed væ nobis ! Quam pauci ad illam perveniunt ! Nam licet multi Deum graviter non offendant, ob multa venialia ad hanc intimam Dei unionem numquam pertingunt. Non requiritur ad hanc unionem, quod Deus nobis interiores delicias gratiæ sensibilis communicet ; sufficit, quod Filium suum Jesum Christum nobis concesserit, qui verbo et exemplo viam nobis demonstravit. Unde hæc unio conformitatis propriæ voluntatis cum divina, debet esse universalis et in omnibus.

Dico 5. Ut ad hanc unionem perveniamus, 74.
debemus dicere cum Domino : « *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra* » ; si tibi placitum fuerit, fiat hoc ; ita, Domine, si fuerit honor tuus, fiat ; si mihi videris expedire et utile esse probaveris, tunc dona mihi, hoc uti ad honorem tuum, sed si mihi nocivum esse cognoveris, nec animæ meæ saluti prodesse, aufer a me tale desiderium. Semper igitur cum timore Dei et cordis humilitate desiderandum est et petendum, quidquid desiderabile menti occurrit. Maximeque cum propria resignatione Deo totum committendum

est atque dicendum : « Da, quod vis, sicut scis et sicut tibi magis placuerit. Tua voluntas mea sit, et mea voluntas tuam semper sequatur. Da mihi omnibus mori, quæ in mundo sunt, et propter te contemni et nesciri in hoc sæculo. In hac pace inidipsum dormiam et requiescam. »

75. *Dico 6.* Hæc unio conformitatis fundatur in amore Dei et proximi, si in utroque nos amore exercuerimus, et præsertim in amore proximi ; plus enim et certius amorem proximi in nobis experimur, quam amorem Dei. Multæ namque et evidentes circa proximum dilectionis occasiones occurrunt, quæ circa Deum varius contingunt. Unde merito concludit Evangelista, quod, *si non diligimus proximum, quem videmus, nec Deum diligimus, quem non videmus.* (1. Joan. 4, 20.) Possumus igitur ex amore proximi facile ex nobis colligere, qualis sit et quam magnus amor Dei, maxime quia Deus in præmium amoris proximi, quem nobis tam stricte præcipit, magnum amoris sui incrementum præbet. Et si quis defectus in amore proximi, saltem frequentes et voluntarios, adverterit, certissime sibi persuadeat, quod ad hanc unionem divinam non pervenit, quantumcumque sensibilis gratiæ ac devotionis gustum sentiat, et aliqualem in oratione quietis suspensionem experiatur. Postulet ergo a Domino, ut sibi perfectum amorem proximi concedat.

76. *Dico 7.* Ex hoc concluditur, quod sæpius orationis exercitium et sensibilis devotionis gustum tenemur dimittere, cum aliquid in bonum proximi juste præstandum occurrit, maxime si ex

obedientia suscipiatur, quæ certa in omnibus, præsertim religiosis, esse debet agendi regula. Unde licet orationis studium alias dimittere, sit valde nocivum et animæ periculosum, utile tamen et securum est, ob amorem proximi et ex obedientiæ præcepto, saluti animarum vacare, prætermissa sæpius interna conversatione. Et hac via ad perfectam cum Deo unionem perveniemus. Sed si charitas non exigat nec obedientia præcipiat, foras exire minus tutum est, et in intimis recessibus contemplationi immorari securum. Inde tamen non sequitur, quod summa perfectio consistat in gustibus internis, nec in ecstasibus, raptibus, visionibus ac revelationibus, nec in aliis similibus, quæ tantum sunt media ad illam, sed consistit in conformitate ac unione voluntatis nostræ cum divina. Ad hanc autem properamus tum medio orationis exercitio, tum, si æquali animo et prompta voluntate cuncta nobis præcepta, sive facilia, sive ardua, sive dulcia, sive amara, fideliter exsequamur, divinæ dispositioni immobiliter subjecti. Non enim est unica via Deo, nos ad perfectionem perducendi. Unde qui aliqua ex his viis processerit, securus ad unionem cum Deo perveniet.

SECTIO X

De oratione recollectionis.

SUMMARIUM

77. Quid sit recollectio animæ, explicatur. 78. Dantur duo modi orationis recollectionis, alius activus, alius passivus. 79. Ad primum modum sufficit considerare Deum intra nos ipsos. 80. Iste modus orationis non est oratio supernaturalis, quamvis haberi non possit absque speciali auxilio Dei. 81. Secundus modus orationis recollectionis, scilicet passivæ, est supernaturalis, et cur? 82. Signum et effectus hujus recollectionis explicantur.

77. Pro hujus sectionis intelligentia notandum est, *recollectionem nihil aliud esse, quam secessum, quo anima cum omnibus suis viribus ad interiora* 78. *recipitur et ab exterioribus elongatur.* Duo sunt hujus recollectionis modi: primus quidem *activus*, secundus autem *passivus*. Primus industria nostra, sed cum auxiliis divinæ gratiæ, solet acquiri; secundus ex pura liberalitate Dei supernaturaliter communicatur.

79. *Dico 1.* Ad primum modum sufficit considerare Deum intra nos ipsos et quod ad alloquendum Deum non est necesse, cœlos ascendere, nec in alio loco illum quærere, quam intra nosmet-ipsos. Nec indiget voce, ut audiat; sed si oratio in corde prolata bona sit, infallibiliter a Deo audietur. Ita D. Augustinus et N. M. S. Theresia (in via perfectionis, cap. 28.). Vocatur autem iste modus recollectionis, quia suas potentias colligit anima et se ipsam intrat, ibique divinus Magister illam instruit et orationem recollectionis

concedit. Ibi anima collecta potest passionem Christi considerare et illum sibi repræsentatum Deo offerre. Qui hoc modo in centro suæ animæ se recolligit, credat, quod per viam bonam incedat, et sine dubio in brevi ad fontem aquæ vivæ perveniet.

80. *Dico 2. Iste modus recollectionis non est oratio supernaturalis,* quamvis haberi non possit absque speciali Dei auxilio. Potest tamen cum illo a nobis acquiri ; sed necesse est, ut ab omni re exteriori nos liberemus, et interius Deo adhæreamus. Et si necessaria instet occupatio, saltem per momentum identidem nos colligere debemus in intimo cordis, recordati, quod ibi habemus societatem valde utilem. Ad hanc recollectionem valde conducit, assuescere intellectum, quietare, ut attendat his, quæ dicit illi Deus, cum quo loquitur. Ad hoc enim necesse est, sensus externos colligere intra se ibique eos occupare. Tandem necesse est, credere, quod ad loquendum Deo non est necesse clamare, cum Deus ipse præsens habeatur. Sufficit igitur, scire, illum intra nos esse et velle concedere, quæ petimus, nec a nobis exigere verba composita. Multum doleamus, quod sæpe Deum existentem intra nos solum relinquamus, et in posterum sæpius in die nos ad eum interius colligamus.

81. *Dico 3. Secundus modus recollectionis est supernaturalis.* Et sæpe accidit, quod, antequam quis de Deo cogitet, potentiæ interius colliguntur, quasi voce divini Pastoris collectæ. Et quamvis hæc interna collectio multum suavis percipiatur,

non tamen facile concipitur, quomodo contingat. Hunc favorem solet Deus concedere illis, qui se a mundanis negotiis expediunt, et maxime postquam diutius priori modo recollectionis propria industria vacaverint. Ibi non suspenduntur potentiæ, nec ligantur, sed liberæ manent, ut in Domino suaviter occupentur. Quando quis se hoc modo sentit intra se collectum, si Dominum præsentem,inspicientem et auscultantem percipiat, cum suavi potentiarum silentio et interna mentis quiete ipsi adhæreat et amoroso potius intuitu, quam formato discursu cum eo colloquatur. Immo si vellet intellectualem discursum formare, suam quietem et intimam Dei communicationem turbaret.Debet igitur anima sic intra se ad Deum collecta se totam ipsi Domino dirigendam relinquere, nec de quovis alio curare. Quælibet namque ejus operatio vel particularis advertentia sacrum hoc otium impedire potest et imaginationem ad operationes distractivas excitare.Quando enim suspendit Dominus intellectum a sua connaturali operatione, in alio solet occupare, superiorem ei communicans lucem, et tunc brevi tempore plus discit, quam longo disceret industria sua.

82. *Dico 4.* Signum et simul effectus hujus recollectionis est, quod anima sic intra se collecta et Deo adhærens *res omnes mundanas et caducas ut tales æstimet* et ut nihil eas despiciat, quantumcumque prius eas æstimaret, immo eas abhorreat. Solet, qui est in hoc statu, clausis orare oculis. Internam animæ fortitudinem experietur, quam-

vis corpus ipsum debilitetur. Et quamvis non statim a principio hæc omnia percipiantur, cum in hac recollectione sit magis et minus, brevi tamen percipiuntur, si talis recollectio a Domino animæ concedatur. Non tamen inde æstimationis propriæ vel superbiæ exsurget sensus, immo majoris humilitatis occasio nascetur. Hoc enim proprium habet lux divina in hoc sublimi statu communicata, licet aliquando ex defectibilitate animæ occasio superbiæ ex hujusmodi gratiis accidere possit.

SECTIO XI

De oratione quietis.

SUMMARIUM

83. Quid sit quies in præsenti, explicatur. 84. Hæc quies ordinarie oritur ex interiori recollectione. 85. Ordinarie non communicatur nisi illis, qui mentalis orationis exercitium diu habuerunt. 86. Iste gradus orationis est effectus doni sapientiæ. 87. Magis pertinet ad gratias gratis datas, quam ad gratiam gratum facientem. 88. Cum hac quiete summa satisfactio et gaudium animæ maximaque corpori delectatio accidit. 89. Hac via prætendit Dominus, quod intelligat anima, Deum sic ei præsentem esse quod non indigeat nuntiis, quibus cum eo possit immediate loqui. 90. Dum anima in hoc gradu orationis constituta fruitur interna pace, si advertat intellectum distractum, quid debeat facere? 91. Qui sunt in hoc gradu orationis, quomodo communicatis favoribus debeant uti? 92. In quo differat hæc oratio quietis ab oratione unionis, exponitur. 93. Explicantur effectus veræ orationis quietis. 94. Effectus, qui sequuntur ad falsam vel fictam quietem, declarantur.

Dico 1. Quies, prout ad præsens attinet institu- 83.
tum, *nihil aliud est, quam jucunditas quædam voluntatis nihil quærentis, nisi sic in Deo perse-*

verare. Videt se anima juxta Deum, videt se ab eo amatum et magno pretio habitam et singulari ejus providentia protectam. Et in hoc amore voluntas quiescit tamquam in complemento sui desiderii, quod jam consecuta est. Hæc autem quies
84. ordinarie oritur ex interiori recollectione. Unde
85. ordinarie non communicatur nisi his, qui mentalis orationis exercitium diu tenuerunt ; quamvis etiam aliquando a principio concedatur. Nam Dominus sua dona concedit quando, cui et quo-
86. modo vult. Est autem iste gradus orationis effectus doni sapientiæ. Non est tamen commune omnibus habentibus gratiam gratum facientem,
87. sed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus Sanctus tribuit, prout vult, juxta illud 1. ad Corinth. 12 : « *Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ* » etc.

88. *Dico 2. Simul cum hac quiete summa satisfactio et gaudium animæ maximaque corpori accidit delectatio.* Tam quietæ sunt potentiæ ut ait N.M. S. Theresia (cap. 31. viæ perfect.), quod non audeant se movere, non quod suspensæ sint, immo sentiunt, se prope Deum stare, et memoria et intellectus sunt liberi ad proprias operationes ; sola voluntas manet captiva et Deo unita. Quodsi in hoc statu patiatur aliquid, est sentire, quod ad suam libertatem pristinam redire potest. Nollet intellectus aliquid aliud intelligere, nec memoria in aliis occupari. Vident enim clare, quod hoc unum est necessarium, et cætera omnia multum inquietant. Nollent, quod corpus moveretur, timent enim, ne minimo motu pacem, quam pos-

sident, amittant. Hic accidunt quædam lacrymæ dulces. Nihil illis causat laborem. Denique toto tempore, quo quies durat, voluntas propter delicias, quibus fruitur, manet absorpta, et libenter diceret cum D. Petro : « *Domine, bonum est, nos hic esse* ».

Dico 3. Hac via prætendit Dominus, quod in- 89.
telligat anima, Deum sic ei præsentem esse, quod non indiget nuntiis, quibus cum eo possit agere sed quod ipsa possit cum eo immediate loqui in intimo cordis sui recessu, ubi Deus ei infundit aliqualem suæ gloriæ notitiam experimentalem, communicando ei internam satisfactionem, quam anima nescit, unde ei venerit ; nec anima scit, quid faciat, quid velit, quid petat, siquidem ei videtur, se omne bonum invenisse, et nescit, quid invenerit. Ita S. M. N. Theresia (cap. 14. vitæ suæ.). *Ad hunc quietis statum multæ pertingunt animæ, præsertim religiosæ.* Unde necesse est, quod anima in hoc statu cognoscat dignitatem suam et cum reverentia gratiam sibi concessam æstimet. Sic evitabit pericula, illam amittendi. Et credat, quod Deus eam ad magnum aliquid patrandum elegit. Non debet tunc, qui est in hoc statu, procurare sua industria gustus et suavitates internas sibi communicatas conservare, sed debet illis frui cum resignatione, si Deus aliter non disposuerit. Non debet tamen sua incuria tales communicationes amittere, sed se Dei dispositioni totaliter committere, quæ tunc ipsum in omnibus diriget, sive in recipiendo, sive in sperando.

Dico 4. Dum anima in hoc gradu orationis 90.

constituta quiete fruitur interna pace, si discurrentem hinc inde et distractum advertat intellectum aut imaginationem, *non multum in eis coërcendis laboret*, quia vix poterit tunc illas potentias continere, et se ipsam videndo labore perperam assumpto perturbans internæ suæ quieti nocebit. Et sic nihil proficeret et multum perderet. Sciat, quod absque intellectus diligentia, sed suavi communicatione divina talibus deliciis fruitur. Unde tunc anima fruatur pace illi communicata, et parum curet de inordinatis intellectus et imaginationis discursibus. Contingit hic aliquando, quod anima simul cum voluntate manens pacifica permittat alias potentias vacare his, quæ sunt divini obsequii et utilitatis proximi. Et sic anima simul Mariam in vita contemplativa et Martham in activa repræsentat.

91. *Dico 5.* Qui sunt in hoc gradu orationis, *considerent propriam complexionem*, et juxta dictum prudentis directoris favoribus communicatis utantur. Potest enim accidere, ut qui sunt debilioris complexionis, viribus corporis exhaustis, paulatim consummantur et capite læso desipiant, si plus nimio internæ quietis gustibus adhæreant. Et tunc raptus hanc orationem quietis consequentes potius sunt animæ deliquia mere naturalia vel orta ex humore melancholico, quam veri raptus, cujus signum erit, si anima in tali raptu nihil videt, avertit vel audit. Nam in supernaturali raptu hæc omnia habet anima, ut advertunt communiter Doctores mystici. Quod magis periculosum erit, si hujusmodi favores desiderent. Desiderium

namque imaginationem ad eos fingendos excitabit. Quodsi superbia moventur, possent alios fictis imaginationibus decipere. Unde qui sic male sunt affecti, non debent ultra vires internis occupari orationis hujus exercitiis.

Dico 6. Differt hæc oratio quietis ab oratione unionis. Primo, quia in oratione unionis habet se anima velut passive. In hac autem oratione quietis aliquantulum laborat, quamvis tam suaviter, quod laborem non sentiat. Secundo in oratione unionis omnes animæ potentiæ sæpius a suo connaturali operatione suspenduntur, ut internis deliciis plene Deo unitæ perfruantur. In oratione vero quietis intellectus et imaginatio sæpe hinc inde discurrunt, licet facilius revocentur, quam in oratione recollectionis. Tertio in hac oratione quietis anima quasi somnians dubitat, an ea, quæ percepit, vera sint. In oratione vero unionis nec imaginatio, nec memoria vel intellectus possunt tantum bonum impedire, vel dæmon immisceri vel damnum afferri. Quarto in oratione quietis laborat anima in cibo deglutiendo, quem Deus illi præbet. In oratione vero quietis invenit in stomacho veluti cibum communicatum, nesciens, qua via id acciderit, quia tunc Deus est in intimo ejus centro, ubi maximas ei gratias infundit, nec aliud, quam consensum ab ea petit. 92.

Dico 7. Duplex alia datur quies. Alia naturalis, quæ tunc accidit, quando quis denudat sensus tuam internos quam externos ab omnibus suis objectis et operationibus et otiosus quiescit absque ulla operatione, ut accidit illis, qui dormiunt.

Et de hac quiete loquitur N.M. S. Theresia (in vita sua, cap. 15.), quando dicit, quod hæc quies incipit in devotione et finit in quiete a nobis ipsis procurata. Alia quies datur,causata a dæmone, quæ tunc habetur, quando dæmon, ut aliquos decipiat, se transformat in angelum lucis, causando in contemplativis quamdam falsam suavitatem, similem illi, quam Deus causat in anima contemplativa et devota. Sed hæ quietes cum sint a talibus principiis causatæ et naturæ ipsi rationali nocivæ et oppositæ, statim per effectus, quos in anima causant, dignoscuntur a viris expertis, ut asserto sequenti dicemus.

93. *Dico 8. Effectus veræ orationis quietis* sunt pax interna, remanens etiam transacta illa quiete,profunda humilitas et dispositio ad exercitia spiritualia, lux cœlestis in intellectu, et in voluntate firmitas ad bonum et omnes virtutes, quas Dominus ipse multo excellentiores concedit, quam propria possent industria acquiri, desiderium proficiendi in oratione, nec ipsius exercitium dimittendi, licet in eo continuando plurimum foret laborandum, quædam certitudo moralis propriæ salutis, sed humilitati conjuncta, quæ servilem excludens damnationis timorem includit filialem amorem Dei absque propriæ utilitatis aut mercedis intuitu, desiderium solitudinis, ut ibi abundantius tanto bono frui possit, quæ dam moralis certitudo, quod hujusmodi quieta communicatio sit Dei secum familiariter agentis gustus et mira suavitas, quam Deus ponit in anima, quæ est multa major illa, quæ habetur meditationibus et

virtutibus nostro labore acquisitis. Nam gustus nostro labore acquisitus non dilatat cor nostrum, licet terminetur ad Deum. Gustus tamen in oratione quietis a Deo communicatus cor mirabiliter dilatat et expellit timorem amittendi salutem in pœnitentiis et exercitio virtutum ; mundi gaudia despicit et tandem in omni virtute animam perfectam reddit, licet anima non omnes hos effectus in principio percipiat, sed successu temporis ex diuturna perseverantia illos consequatur.

Dico 9. Effectus, qui sequuntur ad falsam vel fictam quietem ab imaginatione vel a dæmone causatam sunt, quod quies a nobis ipsis procurata, quæ nullum causat effectum in intellectu nec aliquem affectum in voluntate, et statim deest, et relinquit quamdam ariditatem, ut ait N. M. S. Theresia (in vita sua, cap. 15.), ut supra diximus. Effectus vero quietis causatæ a dæmone sunt perturbatio, defectus humilitatis, inhabilitas ad exercitia spiritualia, defectus lucis in intellectu et firmitatis in voluntate. Sed anima in his experta facile causam horum effectuum dignoscet, et quamvis ex illis inferat, esse dæmonem, non tamen multum affligi debet. Si namque gustum et suavitatem in quiete perceptum ad Deum dirigat et in ipso sua desideria collocet ac simpliciter et cum recta procedat intentione, parum vel nihil damni dæmon ei poterit affere. 94.

SECTIO XII

De oratione raptus.

SUMMARIUM

95. Raptus aliquid addit super ecstasim, et quid hoc sit, exponitur. 96. Excessus contingit quandoque ex causa interiori. 97. Quandoque contingit a causa superiori. 98. Ad ecstasim concurrit tam vis appetitiva, quam cognoscitiva. 99. In potentia cognoscitiva est formaliter. 100. In vi appetitiva est causaliter et dispositive. 101. Idem dicendum est de raptu ac de ecstasi. 102. Ecstasis, si perfecta sit contemplatio, potest vi sua causare alienationem a sensibus externis. 103. Quomodo hoc fiat, explicatur. 104. Raptus potest accidere ex causa naturali. 105. Potest etiam nasci ex causa corporali. 106. Potest contingere virtute dæmonum. 107. Potest etiam contingere virtute divina. 108. Quomodo distinguendum sit, an raptus procedat a causa naturali, vel a malo spiritu, vel a divino, colligitur ex ejus effectibus, et quomodo ? 109. Oratio raptus superior est oratione recollectionis et quietis et oratione unionis ordinariæ. 110. Repentinus hic animæ raptus talis est, quod extra corpus differi videatur. 111. In raptu multa videt anima admirabilia. 112. Hæc cœlestium arcanorum manifestatio non fit per visionem intellectualem, sed imaginariam. 113. Aliquando imaginariæ visioni adjungitur intellectualis. 114. Quando visio est imaginaria, transacta visione, de rebus visis recordatur et potest loqui anima. 115. Quando visio est intellectualis, suspenduntur potentiæ et solum Deo manent unitæ, et non potest loqui de visis in ea. 116. Cur anima tot mirabilia visa in raptu vix eorum recordetur in particulari, et multo minus exprimere possit ? 117. Licet oratio raptus sit eximium donum amicitiæ Dei, non per hoc anima debet remanere secura de propria salute, et cur ?

95. *Dico 1.* Licet *oratio raptus idem sit* apud mysticos *ac oratio volatus seu elevatio spiritus seu ecstasis*, re ipsa tamen *raptus aliquid addit super ecstasim*. Nam ecstasis importat simplicem excessum mentis in se ipsa, secundum quem aliquis extra suam cognitionem propriam ponitur. Raptus

vero super hoc addit violentiam quandam ab aliquo extrinseco, ratione cujus fertur in aliquod objectum naturale seu supernaturale speculandum modo sibi non naturali per ligationem. Cf. D. Thom. (2. 2. q. 175. art. 1.). Anima sic rapta aliquando etiam corpus ad se trahit, ut legitur de multus Sanctis, qui per aëra a terra elevabantur a spiritu. Quod fit virtute divina, licet etiam aliquando Deo ita permittente etiam a dæmone fieri potest.

Dico 2. Excessus contingit quandoque ex causa 96.
interiori, ut quando videt stupenda, ex quibus fit intra se, ut Actorum 3. legitur : « *Impleti sunt stupore et ecstasi.* » Quandoque contingit a causa 97.
superiori, quando scilicet contemplatur quis divina et rapitur extra se vel supra se, id est extra cognitionem sibi connaturalem vel propriam, in quantum vel ad ea ; quæ sunt supra sensum et rationem, tendit, vel cum ad inferiora vel dementiam cadit. Et hæc ecstasis est infra se potius, quam supra se. Concurrunt autem ad ecstasim 98.
tam vis appetitiva, quam cognoscitiva. In cognos- 99.
citiva est formaliter, quia ex intenta meditatione unius abstrahitur intellectus ab aliis ; in appeti- 100.
tiva est causaliter, vel dispositive. Ex amore enim nascitur, ut quis cogitet de amato. Non enim contentus proprio bono quærit frui aliquo extra se, et simpliciter talis amans dicitur ferri extra se ; secundum quid vero rapi dicitur, dum illud extrinsecum bonum quærit ut bonum sibi. Idem dicendum est de raptu, qui formaliter per- 101.
tinet ad cognoscitivam, causaliter vero appetiti-

vam. Ex amore enim vel violentia affectus nascitur, ut homo ab aliis alienetur. Amor autem est in virtute appetitiva.

102. *Dico 5. Ecstasis, si perfecta sit contemplatio, potest vi sua causare alienationem a sensibus externis* eos absorbendo et ligando, ne a suis objectis excitentur. Ita D. Thomas (1. 2. q. 28. art. 3.). Et ratio est, quia cum anima sit virtutis limitatæ, tanta intentione potest rebus divinis incumbere, ut omnem sensum derelinquat, ita ut nec ferrum aut ignem corpori suo admotum percipiat. Vehemens enim interior occupatio alienationem sen-
103. suum naturaliter causat. Hoc autem fieri potest dupliciter. Primo cum ponitur homo extra cognitionem sibi propriam, non amplius sensibus utendo; altera alienatio est, cum apprehensiva fertur supra sensum et hominem, quod non contingit, nisi cum versatur apprehensio circa objecta supernaturalia, quæ sensum et rationem exsuperant. Et hæc est ecstasis supernaturalis, in qua quantum anima magis a corporalibus abstrahitur, tantum intelligibilium abstractorum fit capacior. Et ideo in somniis et alienationibus a sensibus corporis magis divinæ revelationes percipiuntur et prævisiones futurorum.

104. *Dico 4. Raptus potest accidere ex causa naturali*, ut accidit in illis, qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur. Potest etiam nasci
105. ex causa corporali, ut ex spasmo et ebrietate et ex medicamentis somniferis et ex lassitudine in oratione vel nimio studio. Exsiccatis namque spiritibus vitalibus destituuntur sensus suis func-

tionibus. Similiter causari potest ex humore crasso impediente fluxum spirituum. *Potest etiam* 106.
contingere virtute dæmonum, ut patet in arreptitiis. Non enim est super vires dæmonum, magos et sagas in ecstasim rapere, impedientes sua vi naturali spiritus, ne defluant ad exteriores sensus. Unde impedita sensatione ecstatici sunt. *Potest etiam contingere virtute divina*, cum ali- 107.
quis a divino Spiritu elevatur ad aliqualia supernaturalia cum abstractione a sensibus, juxta illud Ezech. 8 : « *Elevavit me spiritus inter cœlum et terram et adduxit me in Jerusalem in visione Dei.* »

Quomodo autem distinguendum sit, *an raptus* 108.
procedat a causa naturali, *vel a malo spiritu*, *vel a divino*, majus est dubium. Respondeo tamen, *id colligi ex ejus effectibus*. Unde quando quis volatur ad superiora cum oblivione eorum, quæ retro sunt, ut contemplationi vacet, signum est, talem raptum esse a Deo. Et idem dicendum est, quando ex jubilo interiori exterius manifestatur gustus spiritualis et dulcedo, quæ totum corpus concutere videtur. Unde quidam lacrymis, vocibus, suspiriis indicant illam spiritus dulcedinem et internam amoris violentiam ; alii gestibus dicuntur saltare et discurrere, canere, manibus plaudere, membris tremere, et similibus, quamvis in his saltibus et hujusmodi actionibus videndum est, an sint ordinati vel inordinati. Si ordinati, possunt esse a Spiritu Dei. Et sic saltantes vocantur jubilarii. Verba vero erumpentes appellantur eruptores. Si motus vero sint inordinati, suspecti esse debent.

109. *Dico 5. Hæc oratio raptus superior est oratione recollectionis et quietis et etiam oratione unionis ordinariæ, et habet effectus multo excellentiores.* In unione ordinaria possumus spiritui resistere, quia compotes nostri sumus, quamvis aliquando propter ejus vehementiam difficulter resistatur. Sed in raptu nullum penitus aut vix nullum est remedium resistendi, venit enim tam improviso, vehementi ac accelerato impetu, quod statim absorbet et a sensibus alienat. Contingit namque aliquando, quod anima alicujus verbi, quod audivit a Domino, recordata vel memor alicujus gratiæ sibi factæ, vehementer ardeat, et crescente paulatim amoris scintilla, sursum ad Deum, sphæram et centrum suum, cum impetu tendat et rapiatur, secum etiam aliquando ferens e terra corpus. Quæ corporis sublevatio aliquando etiam fit mysterio Angelorum, ut accidit Habacuc, quando arripuit eum Angelus et Balylone constituit. Quo casu anima magno timore concutitur et in admirationem rapitur, cum sine consensu suo a sensibus abstrahitur, et in luce et igne amoris, quem nescit, tam mirabiliter ponitur. Ante enim motum hunc repentinum non certo persentitur Deus. Et quando magni sunt impetus amoris, non potest eis resisti.

110. *Dico* 6. Repentinus hic animæ raptus talis est, quod extra corpus deferri videatur, vel saltem judicari non potest cum Apostolo, *utrum fuerit in corpore vel extra corpus.* Ipsi apparet, quod ad aliam regionem multo differentem ab ista fuerit tlransata, in qua lucem clarissimam et diversæ

rationis a nostra, et tot alia mira videt, quæ, 111.
etiamsi per intellectum vel imaginationem diu
cogitando vellet illa fingere et efformare, nullo
modo posset. Hæc cœlestium arcanorum mani- 112.
festatio non fit per visionem intellectualem, sed
per imaginariam, qua clarius videt anima, quam
oculis corporeis, et absque verbis ei prolatis
multa conspicit. Videt aliquando Sanctos aliquos,
quos cognoscit, quasi diu cum eis egisset. Con-
tingit etiam aliquando, quod imaginariæ visioni 113.
conjungatur intellectualis, qua videt Angelorum
Dominum notitia quadam mirabili absque eo,
quod oculis corporeis quidquam videat. Est
tamen magna differentia, quando visio est tantum
imaginaria. Nam tunc transacto raptu potest 114.
anima de arcanis, quæ vidit, loqui. Sic enim
illa objecta memoriæ manent impressa, ut num-
quam ab ea deleantur. At quando visio est intel- 115.
lectualis, ligantur et suspenduntur potentiæ et
soli Deo manent unitæ cum quadam generali
notitia ipsius Dei. Unde si aliquid in particulari
sentiunt, vix possunt illud dicere et multo minus
exprimere. Sunt enim ea, quæ vidit, tam subli-
mia, quod *de eis non licet hominibus loqui*, ut ait
Apostolus de his, quæ in mirabili suo raptu vide-
rat et audierat ; quia solum sensibilibus et terre-
nis assueti vel ea non credent, vel saltem non
capient. Sunt tamen aliqua sic intellectualiter per-
cepta, quæ possunt explicari.

Unde vero procedat, quod anima post tot 116.
mirabilium in raptu visionem vix eorum recor-
detur in particulari et multo minus exprimere

possit, apta comparatione, quam N. M. S. Theresia adducit (Mansione 6. cap. 4.), demonstrari potest. Nam sicut cum quis cubiculum regis ingreditur, ubi conspiciuntur multæ picturæ rari artificii, multa vasa aurea vel argentea, multi lapides pretiosi, plura diversæ rationis opera ex chrystallo vel alia materia admodum rara miro ordine disposita, licet ea omnia conspexerit, vix in particulari quid potest dicere, licet dicat in genere, se multa et mira vidisse. Quod maxime contingit, si non noverit, quæ vidit. Sic in supernaturalibus objectis a Deo communicatis accidit, quæ nostram naturalem capacitatem totaliter excedunt.

Dico 7. Licet oratio raptus sit donum Dei maximum et insigne testimonium amicitiæ ipsius,
117. non per hoc tamen sic secura remanere debet anima de propria salute, quod nullo modo timeat, cum hoc sit contra consilium Apostoli dicentis : « *Cum metu et tremore salutem vestram operamini* » (Philip.2,12.). Nec sic debet confidere, quod Deo sit fruitura, quin de fideliter obsequendo divinæ ipsius majestati assidue cogitet. Nec sic debet amorosis Dei frui deliciis, quin de flendis peccatis non sæpius attendat. Immo dolor peccatorum tanto magis crescere debet quanto favores et gratiæ Dei sunt majores. Unde cum in hoc gradu orationis sint maximæ gratiæ, dolor peccatorum debet esse intensissimus. Et hunc contritionis spiritum Sancti omnes in se ipsis conservare procurarunt tamquam certum modum salvationis et placendi Deo, timentes, ne cœlestium

favorum communicatione evacuetur. Et potius ista carere desideraverunt, quam illo privari. Unde de S. N. M. Theresia legimus, quod cum eam Dominus tot favoribus cœlestibus locupletaret, ipsa sæpius exclamans peteret, beneficiis in se divinis modum imponi, ne forte eorum occasione celeri oblivione culparum suarum memoria tolleretur.

SECTIO XIII

De oratione impulsus.

SUMMARIUM

118. In quo consistat oratio impulsus, exprimitur. 119. Iste impulsus est effectus gratiæ actualis et liberalitatis Dei. 120. Hi impulsus, quos anima sentit in sui centro, sunt simul fortes et suaves. 121. Multum differunt ab aliis communicationibus et ab omni motu sensibili, quem proprio studio procurare valemus. 122. Anima nihil cogitans aliquando se sentit a Deo veluti sagitta transfigi et excitari. 123. Cognoscit anima, vulnus illatum esse a Deo, quamvis nihil videat. 124. Clare sentit anima, cum Deo stare, et tamen sentit pœnam. 125. Hæc pœna est illi dulcis. 126. Hæc pœna deliciosa non semper est in eodem gradu, aliquando cito transit, aliquando diu durat. 127. Cum hac pœna magis contenta est anima, quam cum suspensione orationis quietis. 128. Qui tales impetus non fuerit expertus, non potest eos cognoscere. 129. Hi impulsus a Deo proveniunt, et noscit anima, quomodo se habeat. 130. In hac suavi pœna et in hac infirmitate vult anima semper esse. 131. Quando vulnus amoris non ita vehementer infligitur, aliquod remedium potest anima adhibere ad mitigandum illum dolorem deliciosum. 132. Quando vulnus amoris est vehementer inflictum, nullum suppetit remedium mitigandum dolorem illum deliciosum. 133. Quomodo Deus loquatur animæ in prædictis gradibus orationis, sive recollectionis, quietis, unionis ordinariæ, sive impetus, vel raptus ?

118. *Dico 1. Oratio impulsus est illa, in qua recipit anima quosdam impulsus a Domino, quibus excitata magno spiritus impetu tendit ad ipsum.* Est
119. autem ille impulsus effectus gratiæ actualis et liberalitatis Dei, quo Deus prævenit animam, nec
120. spectat consensum ejus. Sunt autem hi impulsus, quos anima sentit in intimo sui centro, fortes et simul suaves et tam delicati et subtiles, quod vix
121. ulla comparatione possunt exprimi. Multum differunt non solum a prædictis communicationibus, sed etiam ab omni motu sensibili, quem proprio studio nobis procurare valemus. Contingit enim
122. aliquando, immo frequenter, quod anima, nihil tale cogitans, nec Dei memoriam tunc habens, sentiat se subito velut sagitta a Domino immissa, vel tonitruo quodam excitari. Et quamvis sensi-
123. bilem non sentiat rumorem, cognoscit, vulnus illatum esse a divino Sponso, et ipsum vocantem audit tam evidenti signo, quod dubitare non potest, Sponsum sibi esse præsentem ; nescit, quid
124. petat ; clare namque sentit, cum Deo stare, et ta-
125. men adhuc pœnam sentit. Hæc tamen pœna est illi dulcis, nec vellet, quod umquam cessaret. In principio vulnerata tota tremit et lamentatur, et licet vulnus sentiat, nescit tamen, quomodo vel
126. a quo vulnerata fuerit. Hæc pœna deliciosa non semper est in eodem gradu. Nam aliquando diu durat, aliquando cito transit, juxta Dei beneplacitum. Nihil enim ibi humana cooperatur industria. Quando diutius durat, intenditur et remitti-
127. tur, nec in eodem statu permanet. Cum hac tamen pæna magis contenta est anima, quam cum

suspensione orationis quietis, quæ conjunctam non habet pœnam.

Dico 2. Qui tales impetus non fuerit expertus, 128.
non potest eos dignoscere. Non enim sunt ad instar quorumdam vehementium, qui ex sensibili devotione causati plurimum inquietant et quasi obruunt naturam. His enim cooperatur natura,et si non moderantur, sanitatem destruunt. Isti autem impetus, de quibus loquimur, sunt multum differentes. Non enim ad illos naturaliter cooperamur, sed a Deo proveniunt. Non enim procu- 129.
rat anima, quod vulnus ex absentia Domini causatum ipsi dolorem excitet, et tamen fixam in intima cordis sentit sagittam. Unde nescit, quomodo se habeat, aut quid sibi velit Deus. Nam sagitta est odio sui temperata propter amorem,in cujus obsequio propriam vitam libenter perderet. Non potest satis exprimi nec extolli modus, quo Deus vulnerat animam. Hæc pœna tam suavis est, quod nulla in hac vita sit delectatio, quæ tantum satisfaciat. Vellet anima semper hac infirmi- 130.
tate mori. Hæc pœna gaudio mixta tenet animam velut extra se et quasi dementem. Non enim sapere potest, quomodo hoc esse possit.

Dico 3. Quando vulnus amoris non ita vehe- 131.
menter infligitur, *aliquod ei remedium potest anima mediis quibusdam mortificationibus adhibere ;* quæ tamen vix sentiuntur, nec plus doloris afferunt, licet usque ad effusionem sanguinis exerceantur, ac si corpus esset mortuum. Modos et inventiones quærit, ut aliquid arduum et afflictivum propter Deum operetur. Sed primus dolor

sic urget et penetrat,ut tolli non possit,sed tantum prædictis modis mitigari. Solus Deus remedium dare potest, et aliud non apparet quam mors,qua mediante ad perfectam sui boni fruitionem perve-
132. niet.Sed quando dictum vulnus amoris vehementer inflictum viscera et cordis interiora penetrat, nullum etiam ad mitigandum dolorem illum deliciosum suppetit remedium.Sic enim corpus disrumpit et debilitat, quod nec pedes nec manus movere potest, sed aliquando stat, aliquando sedet velut interdicta, nec potest respirare, tantum exigua voce, quamvis sensu maximos, gemitus edit. Impetus prædicti nec ab humore melancholico, vel a dæmone, vel ab imaginatione causari possunt,sed manifeste percipitur,quod sunt a Deo. Unde qui similem favorem recipit,non timeat deceptionem ex parte dæmonis, sed ingratitudinem ex parte sua. Unde gratias Deo agens ei conetur fideliter inservire, et videbit majores et perfectiores Dei favores. Solent tandem hujusmodi impetus ad ecstasim terminari.Licet tamen hæc communicatio sit valde divina,sublimior est alia pœna deliciosa in raptu communicata,ut infra dicemus.

133. *Dico 4.* In unoquoque ex prædictis gradibus orationis, nempe *recollectionis*, *quietis*, *unionis ordinariæ*, *impulsus*, *raptus*, *vel etiam unionis specialis*, quæ fit in matrimonio spirituali (ut infra dicemus), aliquando assequitur Deus animam. Unde voces audiuntur ab exterioribus aliquando procedentes et in auribus receptæ percipiuntur aliquando in superiori parte animæ, et aliquando in intimo ejus centro, et tam distincte, quod de

illis dubitari non potest. Hæ voces aliquando deserviunt ad animæ afflictæ solatium, aliquando ad ejus instructionem, vel ad aliorum profectum, vel etiam ad Ecclesiæ utilitatem. Communicat se etiam aliquando Deus in his gradibus orationis per visiones, sive corporeas, sive imaginarias,sive etiam intellectuales. Sed quia de his jam supra egimus,ideo in his explicandis amplius non immoramur.

DISPUTATIO II

De effectibus intimæ ac præsertim fruitivæ unionis animæ cum Deo

SECTIO I

De effectibus unionis passivæ.

SUMMARIUM

134. Ponitur primus effectus unionis passivæ. 135. Ponitur secundus effectus. 136. Explicatur tertius effectus. 137. Ponitur quartus effectus ejusdem unionis. 138. Declaratur quintus effectus orationis passivæ. 139. Ponitur sextus effectus illius, et elucidatur. 140. Ponitur septimus effectus illius.

Dico 1. Primus effectus hujus orationis est maximum *animæ gaudium* cum quadam liquefactione totius naturæ adeo magna, ut anima languens penitus deficere videatur. Nec in sola anima tale gaudium sistit, sed aliqualiter ad corpus redundans deliciarum spiritualium gustum et saporem juxta captum ipsius communicat. Secun- 134. 135.

dus effectus est tenerrimus *devotionis sensus*. Transacta siquidem hac oratione vellet anima se totam consumere, non pœnis, sed deliciosis quibusdam lacrymis. Suavitas autem concomitans hunc lacrymarum imbrem tam magna est, quod omnia terræ gaudia longe superet. Videtur hoc quidem paradoxum, verumtamen sic res se

136. habet. Tertius effectus est *memoria cœlestium communicationum*, quas tempore hujus unionis recipit anima. Nam licet, quando fiunt, maneat ipsa velut absorpta, Deus tamen ita se præcordiis animæ imprimit, quod in se ipsa reversa nullo modo dubitare potest, quin fuerit in Deo et Deus in ipsa. Quæ veritas tam firmiter inhæret ei, quod quamvis per multum tempus Deus eamdem gratiam ei non faceret, non tamen posset anima illius oblivisci. Et hæc certitudo de facta sibi tali communicatione sic est effectus et signum illius unionis ; quod si abesset, infallibiliter concluderetur non fuisse tunc unionem totius animæ cum Deo, sed alicujus potentiæ, vel fuisse diversum favorem a Deo communicatum.

137. *Dico 2*. Quartus effectus est *ingens animus*, ita ut, si propter Deum aliquid foret animæ tolerandum, immo patiendum usque ad mortem, velut magnum solamen et mirabile beneficium arbitraretur. Habet etiam hic anima summam humilitatem et cognitionem propriæ vilitatis et solum se judicat dignam inferno. Unde ab ea abest tota-

138. liter vana gloria. Quintus effectus est *desiderium laudandi Deum* , unde maxime cupit, ut Deus ab omnibus laudetur et ab omnibus cognoscatur.

Hac gratia anima roborata despicit tormenta et quasi nihil esse ducit quidquid ex parte sua tolerarunt Martyres, sciens, unde robur eis adveniret.
Sextus effectus est *desiderium juvandi proximum*, 139.
et quasi nesciens illum adjuvat per hoc, quod alii, virtutum ejus odore tracti, ad desiderabilem et suavissimum earum fructum carpendum currunt. Et hoc desiderium non est superficiale, sed sic intimum, quod viscera penetrans animam efficaciter urgeat. Septimus effectus est *gradus heroicus* 140.
omnium virtutum, ut ipsamet advertit anima. Quod autem cruciat hanc animam, est, considerare, quod de tam sublimi statu debeat iterum redire ad proprium judicium, ad sollicitudines hujus sæculi, quibus omnibus liberam se esse desiderat. Unde dormire est illi fastidiosum, comedere molestum ; non vult in se vivere, sed in Christo, in quo vita ejus abscondita est. Unde ait cum Apostolo : « *Vivo ego ; jam non ego, vivit vero in me Christus ;* » item : « *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* » Qui enim sic Deo manent uniti, habent conversationem jam in cœlis cum Deo, non quidem per realitatem existentiæ, sed per affectum amicitiæ. Unde jam cœlestem cum Christo ducunt vitam, nihil aliud quam ipsum cogitantes.

SECTIO II

De effectibus orationis unionis activæ.

SUMMARIUM

141. Ponitur primus effectus orationis unionis activæ. 142. Ponitur secundus effectus orationis unionis activæ. 143. Ponitur tertius effectus orationis unionis activæ. 144. Ponitur quartus effectus orationis unionis activæ. 145. Ponitur quintus effectus orationis unionis activæ. 146. Ponitur sextus effectus orationis unionis activæ.

141. *Dico 1.* Primus hujus orationis unionis effectus est *maximus meritorum cumulus.* Cum enim præter generales meriti conditiones requiratur puritas intentionis (ex una parte cum debitis circumstantiis, et ex alia multiplicatio bonorum operum, ad hoc, ut meritum plurimum augeatur, nihil tam cooperatur ad utrumque, quam continua conformitas voluntatis nostræ cum divina,ac perfecta resignatio ad Dei voluntatem. Nam qui perfectam suæ voluntatis cum divina conformitem habet, non suam, sed Dei voluntatem in ombus quærit. Unde pure propter Deum operatur, quando vult, ubi vult, quomodo vult. Secundus
142. effectus est *summa pax interna et externa.* Qui enim in omnibus, quæ contingunt, divinam scit compleri voluntatem vel beneplaciti in bonis, vel permissionis in malis, cuncta approbat ut recte facta, vel patienter tolerat ut juste permissa. Unde cum tollatur voluntatis propriæ repugnantia cum his, quæ passim contingunt, nulla succedit

inquietudo, seu interius in anima, seu exterius in aliorum conversatione. Et sic summa pax tam interna quam externa conservatur.

Dico 2. Tertius effectus est *internæ suavitatis* 143.
abundatia, quia sicut ex pace externa sequitur ubertas fructuum, quos bellum dissipat, sic ex pace interna sequitur ubertas spiritualium charismatum et miræ suavitatis abundantia, quæ singula turbatio mentis dissipat. Cum igitur, ut dictum est, in hac unione sit maxima pax interna et externa, viget etiam maxima suavitas spiritus ex influentia divinorum charismatum emanans, ita ut possit etiam de istis intelligi, quod de beatis dicitur : « *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* » Quartus 144.
effectus est *quædam participatio beatitudinis* et imitatio beatorum.Nam sicut beati videntes divinæ voluntatis rectitudinem, ei totaliter conformantur,unde eorum beatitudo turbari non potest, quidquid in rerum natura fiat, sic qui ad hanc unionem conformitatis propriæ voluntatis cum divina pervenerunt, ex nullo accidenti turbari possunt. Omnia siquidem ex divina providentia humiliter suscipiunt. Unde benedicunt Dominum cum Psalmista omni tempore.

Dico 3. Quintus effectus est *immutabilitatis* 145.
divinæ communicatio. Deus namque est immutabilis omnino,tam quoad substantiam,quam quoad operationem, ita ut semper uniformis et æqualis sibi ipsi permaneat.Hanc autem immutabilitatem quodammodo Deus communicat his, qui ad hunc statum unionis per conformitatem pervenerunt.

Nam licet quoad substantiam sint mutabiles et corruptibiles, quamdiu sunt in hac vita, in sua tamen operatione sunt quodammodo immutabiles, quia per conformitatem omnimodam cum divina voluntate sunt semper ita dispositi, ut eorum cogitatio sit stabilis in Deo, ad quem omnia cogitata reducit, et eorum voluntas Deo
146. firmiter adhæreat. Sextus tandum effectus est *quædam deificatio operationum,* non solum quia in hoc gradu unionis constituti potius Spiritu Dei aguntur, quam agant, sed quia hic divina voluntas consideratur ut causa proxima et immediata operationum ipsi ut regulæ proximæ correspondentium. Unde eas informat et quodammodo deificat. Et propterea sicut operationes Christi dicuntur theandricæ sive Dei-viriles, quia suppositum eas eliciens erat Deus homo, sic talium operationes possunt aliqualiter dici theandricæ per conformitatem at quandam transformationem voluntatis creatæ in divinam.

SECTIO III

De effectibus orationis impulsus seu unionis impulsivæ.

SUMMARIUM

147. Ponitur primus effectus orationis impulsus. 148. Ponitur secundus effectus orationis impulsus. 149. Ponitur tertius effectus orationis impulsus.

147. *Dico 1.* Primus effectus orationis impulsus est *maximus mundi contemptus.* Cum enim hic mens

cœlesti lumine perfusa rerum omnium merita dignoscat, clamat cum Ecclesiaste : « *Vanitas vanitatum et omnia vanitas* ! » Et supposita hac divina luce statim insurgunt vehementes impetus in anima, quibus mundi vanitates sic despicit et horret quod multum affligitur, illas intueri et in illis quamvis invicta commorari. Sic interius omnes dignitates spernit, quod quamvis exterius imperatores, reges et principes tamquam Dei ministros juxta Apostoli præceptum veneretur, in animo tamen parum æstimat, si vitiis occupatos et scandalosos noverit. Solos colit ex corde fideles Dei servos et omnibus potentatibus præfert, quia solam virtutem credit esse laudabilem. Vehementes hos impetus sentiens, vellet omnibus prædicare, quæ novit, vellet ab amore visibilium omnes abstrahere et ad invisibilia desideranda transferre.

Dico 2. Secundus effectus est *vehemens æternorum desiderium*. Nam cum terrenis puram experiatur vanitatem, ad æternorum desiderium vehementi consurgit impetu et ad Deum jugiter aspirat, in quo super omnia et in omnibus requiescere debet, cum sit Sanctorum æterna requies. 148.

Tertius effectus est *amor laborum propter Deum*. Cum enim anima videat, se nondum posse ad Sponsum suum transvolare, labores ardenter appetit, quibus ad ipsum se pervenire posse et se placituram ipsi credit. Talis erat impulsus ille, quo N. M. S. Theresia dicere solebat : « *Domine, aut pati, aut mori* ! » Quod faciebat non solum propter meritum, sed etiam propter solatium, 149.

quod in laboribus inveniebat. Unde Dominus tali animæ sæpe pluribus viis dolores et labores concedit, qui sic animam affligunt, ut pœnas purgatorii, si non inferni, pati videatur.

SECTIO IV

De effectibus orationis raptus seu unionis ecstaticæ.

SUMMARIUM

150. Ponitur primus effectus orationis raptus. 151. Ponitur secundus effectus orationis raptus. 152. Ponitur tertius effectus orationis raptus.

150. *Dico 1.* Primus effectus orationis ecstaticæ est in *corpore*, quod ita remanet, ac si per animam non informaretur. Infrigidatur enim calore naturali deficiente, clauduntur suaviter oculi et alii sensus amittuntur. Contingit tamen aliquando, quod corpus infirmum in hac oratione sanitatem
151. recuperat. Secundus effectus est accensum *desiderium*, quod habet anima, *serviendi Deo.* Vellet enim habere mille vitas, ut eas in obsequium Domini posset exponere; vellet, quod omnia, quæ sive in cœlo sive in terra sunt, verterentur in linguas, ut secum divinæ majestati laudes concinerent. Maximum patiendi et pœnitentiæ desiderium habet, nihilque, quantumcumque difficile et arduum, refugit, si Deo in aliquo placere possit. Cætera enim nihil esse ducit in comparatione
152. illius. Tertius effectus est multo major *contemptus mundi,* quam fuerit in præcedentibus orationis gradibus. Cum enim anima in hoc gradu majorem

rerum divinarum notitiam acquirat, omnia temporalia arbitratur quasi stercora et vivit in hoc mundo cum labore et fastidio, et solum æstimat, quæ possunt ad divinum cultum et obsequium conducere.

Dico 2. Quartus effectus est *notitia tum divinæ majestatis tum propriæ infirmitatis*. Multa namque de divinis perfectionibus animæ in ecstasi constitutæ manifestantur, ex quibus plus Deum cognoscit, ac simul seipsam magis cognoscit. Contraria siquidem juxta se posita magis elucescunt. Quintus effectus est *ardentissima sitis Dei viventis*. Cum enim in hac oratione tam sæpe aquæ fontis vivi ad eam defluant, ad ipsum fontem Dei pervenire desiderat. Unde anxie mori appetit et cum lacrymis ab hoc exilio postulat liberari. Sextus effectus est *pœna maxima, sed deliciosissima*, sive pœna simul cum gaudio et jubilo. Est autem hæc pœna causata ex absentia Dei, cujus incremento Deus ipse cooperatur, ut animam purificet et pretiosiorem efficiat, ut sic eam suorum charismatum varietate decorare possit et simul pœnam purgatorii debitam suaviter et anticipate solvat. Unde hæc pœna est major, quam illa, quæ habetur in oratione impulsiva. Nam illa est communis animæ et corpori, nec est tam vehemens. Ista solum tangit animam et est vehementior. Illa est ad instar ignis urentis, sed tolerabilis. Ista est ad instar ignis inflammantis et intolerabilis. Unde anima in hoc statu dicere potest cum Job (10, 16) : « *Mirabiliter me crucias* » ; et solum habet solatium, si reperiat vi-

153.

154.

155.

rum expertum, cum quo de suo vehementi tormento tractaret. Quamvis autem anima plurimum patiatur, hanc tamen pœnam deliciosissimam experitur, tum quia via crucis securior est, tum quia hæc pœna est pure spiritualis. Solet autem hæc pœna magno raptu vel cœlesti visione terminari, qua Deus consolatur et fortificat animam, ut patienter et libenter acceptet, hic vivere, quamdiu divinæ voluntati placuerit.

156. *Dico 3.* Septimus effectus est, *quidam mentis jubilus et quidam gradus orationis extraordinarius*, quem anima capere non potest et minus exprimere. Tantum novit in confuso, esse magnam potentiarum unionem, quæ tamen a Domino liberæ relinquuntur, ut communicatis gaudeant deliciis, quæ etiam ad sensus aliqualiter redundant. Credit se tunc securam, et merito. Non enim possibile videtur, quod tantus jubilus mentis in intimo ipsius centro resonans cum tam profunda pace, cum tam ineffabili lætitia, quæ ad laudandum Deum omnes invitat, possit ab alio, quam a Deo procedere. Multum est, quod tunc taceat et quod divinas laudes incessanter non declamet. Unde N. M. S. Theresia (Mansione 8. cap. 2.) ait : « *Mirum est, quod in hac via spirituali complexio naturalis resistere possit, ne penitus vita deficiat.* » Nam pœna tam vehemens ex una parte, qualem descripsimus, et ex alia gaudium tam excessivum vires naturæ superare videntur. Unde opus est in patiente similia non solum animo, sed etiam speciali Dei protegentis

auxilio, qui simul « *mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.* » (1. Reg. 2, 6.)

SECTIO V

De effectibus orationis unionis fruitivæ.

SUMMARIUM

157. Ponitur primus effectus orationis unitivæ. 158. Ponitur secundus effectus orationis unitivæ. 159. Ponitur tertius effectus orationis unitivæ. 160. Ponitur quartus effectus orationis unitivæ. 161. Ponitur quintus effectus orationis unitivæ. 162. Ponitur sextus effectus orationis unitivæ. 163. Ponitur septimus effectus orationis unitivæ. 164. Ponitur octavus effectus orationis unitivæ.

Dico 1. Primus effectus orationis unionis fruitivæ est, in se percipere quasdam *inspirationes secretas*, quæ dant vitam ipsi animæ Christo jam desponsatæ, ita ut vere cum Apostolo dicat : « *Mihi vivere Christus est* ». Et aliquando tantam habent vivacitatem, quod animam penetrantes amorosa exprimunt verba erga Sponsum, quem sibi præsentem ac intime sentit unitum ipsa anima. Secundus effectus est tranquillitas ac velut *immobilitas animæ.* Sic enim anima in centro sui tempore orationis unionis fruitivæ recollecta manet, ut careat motibus illis, quos in aliis gradibus orationis patiebatur. Et quamvis aliquando ejus potentiæ moveantur, nullum tamen inde motum participat, qui pacem ejus turbare possit, nec ullum patitur detrimentum. Tertius effectus est *oblivio quædam sui*. Sic enim anima in Sponso suo diligendo occupatur, quod sui curam totaliter deponat. 157. 158. 159.

160. *Dico 2.* Quartus effectus est intimum *de imitando Christum desiderium*, quem interius præsentem experitur. Unde durante unione vivam de illius habet anima præsentiam, nec aliud vult, quam cum illo continuo loqui et assiduis laudi-
161. bus eum exaltare. Quintus effectus est perfectissima *animæ* sic Deo suaviter unitæ *pulchritudo*. Omnes quippe divinæ gratiæ tamquam ornamenta et dotes matrimonii spiritualis ei conferuntur. Unde conjunctim in ea reperiuntur gratiæ gratis datæ, quas aliis divisim communicatas enumerat Apostolus (1. ad Corinth. 12.).

162. Sextus effectus est *abundantia divinæ suavitatis*. Unde N. M. S. Theresia (Mansione 7.cap. 3). ait .« *Hic cum abundantia dantur aquæ cervæ divino amore vulneratæ; hic columba ex arca. Noe dimissa, ut videret, utrum aquæ diluvii cessassent super terram, oliv ramumæ in signum pacis invenit, firmum in aquarum medio reperit solum et tranquillitatem in mediis mundi procellis.* » Cf. D. August. (lib. 9. Confess. c. 10.).

163. *Dico 3.* Septimus effectus est *mirabilis splendor lucis*, quo Deus fidelibus servis, immo dilectissimis amicis suis in hac unione fruitiva constitutis plura cœlestium veritatum arcana manifestat ; de quo dictum illud Isaiæ cap. 58. intelligitur: « *Et implebit splendoribus animam tuam.* »

164. Octavus effectus et universalis est *exercitium pene continuum in virtutibus heroicis*. Hæc virtutes communiter dicuntur esse purgati animi, quia sunt virtutes assequentium divinam beatitudinem, seu beatorum, vel aliquorum in hac

vita perfectissimorum, ut ait D. Thomas (1. 2. q. 61. art. 5.). Sed de his vide sequentem disputationem, in qua præcipue virtutes heroicæ explicantur.

DISPUTATIO III

De intima unione animæ contemplativæ cum Deo secundum partem affectivam in exercitio virtutum heroicarum.

SECTIO I

De exercitio fidei heroicæ.

SUMMARIUM

165. Quando dicantur virtutes heroicæ ? 166. In quo consistat fides heroica ? 167. Qui ad divinam unionem accedunt, habent fidem heroicam. 168. Fides heroica etiam dirigit humana. 169. Fides heroica est eorum, quæ suadet, executio. 170. Impossibile est, aliquem fide heroica credere Deum, et illum non amare. 171. In quibus fuerit hæc fides heroica, explicatur. 172. Hanc fidem optabat Christus discipulis suis.

Pro hujus et aliarum sectionum explicatione 165.
notandum est, fidem heroicam et alias virtutes heroicas tunc dici, quando sunt virtutes purgati animi. Tunc autem tales dicuntur, quando sunt virtutes jam assequentium divinam similitudinem ita scilicet, quod prudentia sola divina intueatur, temperantia terrenas cupiditates nesciat, fortitudo passiones ignoret, justitia cum divina mente perpetuo fœdere societur, eam scilicet imitando. Quas quidem virtutes dicimus esse beatorum vel aliquorum in hac vita perfectissimorum. Cf. D. Thom. (1. 2. q. 61. art. 5.).

166. *Dico 1.* Fides heroica non solum consistit in eo, quod sit fides viva et formata charitate et gratia. Hæc enim fides in omnibus justis reperitur; sed *addit ei quamdam infallibilitatem et firmitatem*, ut evidentia credendorum videatur in illis.

167. Namque quibus Deus, præsertim in divina unione fruitiva, se manifestat, talem certitudinem de rebus fidei communicat, ut non tam credere divinas veritates et revelata mysteria, quam velut intueri videantur, et experimentalem quodammodo de illis scientiam habeant, ita ut nihil quantumvis clarum et evidens adæquare valeat certitudini, quam circa veritates infallibiles nostræ fidei ipsa habeat.

168. *Dico 2.* Fides in hoc gradu heroico sita non tantum divina contemplatur, sed et ex tali contemplatione *dirigit humana.* Divinam siquidem excellentiam agnoscens omnium creaturarum vilitatem et quasi nihilitatem despicit. Unde tunc anima, licet alios terrenis desideriis videat occupatos, ipsa cœlestibus tantum inhæret, et spiritualia exercitia tantum amplectitur. Arduam crucis viam ambulat, austeram ducit vitam, fugit honores, divitias spernit, pati et contemni pro Deo desiderat. Hoc enim lumen interius cunctarum virtutum perfectionem manifestando inspirat, quid sit humilitas, quid obedientia, quid charitas, et sic de aliis virtutibus.

169. *Eico 3.* Ex eodem principio sequitur *peccatorum et imperfectionum evacuatio.* Vera enim fidei professio est eorum, quæ suadet, executio. Quid

enim conducet ad salutem, credere, divitias esse spinas, quod Christus docuit, si illas homo exspectat ut rosas ? Si vere credit, tantum debet horrere abundare divitiis, quantum timet pungi spinarum aculeis. Omnes per fidem credunt verum, sed solum ille vere credit, qui, quod credit, exequitur. Tales sunt, qui habent fidem heroicam. Nam hi, quæ credunt, exequuntur, et sicut in certitudine fidei sunt immutabiles, ita in virtutum exercitio sunt admirabiles. Hinc Sancto Philippo Nerio videbatur impossibile, aliquem 170.
credere Deum, et eum non amare. Et recte quidem dicebat de fide heroica. Hæc enim sic mentem Deo conjungit, ut vix de aliis, quam de divinis rebus cogitare valeat. Causat intimum Dei amorem, perfectam ejus mandatorum executionem et continuam ejus præsentiam, ut ait cum D. Thoma N. Philippus a Ss. Trinitate (p. 3. tr. 2. discurs. 1. art. 1.).

Dico 4. Hæc fides heroica fuit *in antiquis* 171.
Patriarchis et Prophetis. Quomodo enim Abraham intentasset, filium suum immolare, nisi præceptum a Deo datum esse infallibiliter credidisset ? Quomodo e terra sua exiisset ad Dei jussum ? Quomodo potuisset exspectare generationem ab eodem filio, quem volebat occidere, nisi fidem vivam et heroicam de Dei jussu et promissione habuisset ? Hinc vocatus fuit Pater fidei nostræ. Et de eo Paulus dixit : « *Credidit Abraham et reputatum est ei ad justitiam* ». Clarius hæc fides viva nunc in *novo testamento* et latius ennicat. Quomodo enim sanguinem et vitam funderent

tot martyres pro Christo, nisi heroicam hanc fidem haberent ? Hæc fides heroica et viva præsertim invenitur *in novis religiosorum ordinum Patriarchis*, quorum virtus et fides in filios debet
172. derivari. Hæc fides est, quam Christus suis optabat discipulis, quæ mira quotidie per viros sanctos patrat in Ecclesia, quæ mortuos suscitat, cæcos illuminat, infirmos sanat, dæmones de possessis expellit corporibus. Hæc denique est, quæ totam potest innovare et velut invertere naturam, dum montes transfert, flumina divertit, maria siccat, terram movet, solem sistit et quodammodo imperat Deo.

SECTIO II

De excercitio spei heroicæ.

SUMMARIUM

173. In quo consistat spes heroica, explicatur. 174. Spes heroica in solis viris perfectis reperitur 175. Quid debeat facere, qui vult colere exercitium spei heroicæ. 176. Qui sunt in statu unionis divinæ, habent spem heroicam.

Dico 1. Perfecta spes, quæ in heroico gradu
173. resplendet, desumitur *ex perfecto modo sperandi*. Hic autem consistit in duobus, scilicet, quod sit in solo Deo et ex toto corde. Ita dicitur Proverbiorum 3 : « *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ.* » Et Jeremiæ 17. dicitur : « *Maledictus homo, qui confidit in homine.* » Consistit igitur spes heroica in eo, quod homo solum Deum speret tamquam

finem, creata vero bona tantummodo amet et speret, quatenus sunt necessaria, vel magis conducentia ad bonum æternum consequendum. Ita D. Thomas (2. 2. q. 17. art. 4.).

Dico 2. Hæc spes heroica et firma solum *in viris perfectis reperitur.* Nam in aliis solum spes ordinaria et plerumque fluctuans et instabilis reperitur. Hanc spem habuit Abraham, quando contra spem in spem credidit, ut dicitur ad Romanos 4. Eamdem habuit Job, quando post tot ærumnas dixit : « *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.* » (Job 13, 15.) Eamdem habuit Apostolus, qui dixit : « *Regeneravit nos Christus in spem vivam.* » (1. Petr. 1, 3.). Eamdem habuit S.M. N. Theresia, quæ dicebat (in ultima suarum exclamationum) : « *Malo vivere et mori in spe et conatu vitæ æternæ consequendæ, quam possidere omnes mundi creaturas omnia que sua bona, quæ tandem finem habituræ sunt.* » 174.

Dico 3. Qui hujus heroicæ spei vult exercitium colere, licet de propria debeat in omnibus infirmitate humiliter diffidere, semper tamen debet de Dei bonitate et omnipotentia confidere, qui « *voluntatem timentium se faciet* » (Ps. 144, 19.), dum aliquid ad majorem ipsius Dei gloriam aggrediuntur. 175.

Propterea fideles ejus servi et amici singulares, cujusmodi sunt, qui ad hunc intimæ unionis statum pervenerunt, sic in ipso confidunt, ut divina ejus omnipotentia, dum operantur, uti ad libitum videantur, et ipsi fiducialiter dicunt : « *In te Domine, speravi ; non confundar in æternum.* » (Ps. 30, 2.). 176.

SECTIO III

De exercitio charitatis heroicæ erga Deum et proximum.

SUMMARIUM

177. In quo consistat charitas erga Deum, declaratur. 178. Quando dicatur charitas heroica, exponitur. 179. Charitas est forma aliarum virtutum. 180. Juxta eminentiam virtutum, quas quis habet, est eminentia charitatis. 181. Quos gradus habeat charitas heroica erga Deum, explicatur. 182. Non solum anima per exercitium charitatis erga Deum in ipsum transformatur, sed etiam ipsum corpus transmutatur. 183. Non semper charitas causat eamdem mutationem corporis. 184. Idem amor juxta dispositionem animæ diversos causat effectus. 185. Exercitium charitatis erga proximum quoad substantiam cadit sub præcepto. 186. Quoad gradum heroicum cadit sub consilio. 187. Quid operetur hæc charitas erga proximum. 188. Quos effectus habeat hæc charitas ex mente D. Pauli. 189. Referuntur plura exempla charitatis heroicæ. 190. Heroica charitas erga proximum non tam in verborum apparentia, quam in opere virtutum videtur. 191. Qui ad statum intimæ unionis pervenerunt, habent hanc heroicam charitatem erga proximum.

177. *Dico 1. Charitas erga Deum* consistit in eo, quod Deum summum bonum diligamus propter ipsius bonitatem, reliqua autem omnia in ipso et propter ipsum. Cf. D. Thomam (2. 2.q.23.art.3.).

178. *Tunc autem charitas dicitur heroica, quando major est hujus divini amoris incendium.* Colligitur autem hoc majus incendium ex modo operandi alias virtutes. Ut enim ait D. Thomas (l.c.art.8.),

179. charitas dat formam actibus omnium aliarum virtutum sicque ipsa est forma illarum, cum per ipsam actus omnium aliarum virtutum ordinentur ad ultimum finem, nempe summum bonum. Et

a charitate reliquæ virtutes vivificantur, juxta Apostolum (ad Coloss. 3.) : « *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* » ; et (1.ad Timoth. 1.).« *Finis autem præcepti est charitas* » ; et (1. ad Corinth. 13.) : « *Charitas* 180.
patiens est, benigna est » etc. Unde juxta eminentiam virtutum, quas quis habuerit, erit eminentia ejus charitatis.

Dico 2. Huic heroicæ charitati erga Deum 181.
decem gradus assignat D. Bernardus. Primus est, in quo facit *languere utiliter* ; secundus, in quo *quærere incessanter* ; tertius, in quo *operari indesinenter* ; quartus, in quo *sustinere infatigabiliter* ; quintus, in quo *appetere impatienter* ; sextus, in quo *currere velociter* ; septimus, in quo *ardere vehementer*, octavus, in quo *stringere inamissibiliter*, nonus, in quo *ardere suaviter* ; decimus in quo *assimilari totaliter*. Hos gradus, seu actus heroicæ charitatis erga Deum plures animæ in se ipsis experiuntur. Sic ardebat charitate N. M. S. Theresia, quod illa cor ejus intumesceret et tandem disrupto suaviter moreretur. Sic D. Angustinus heroicæ charitatis exercitio transformatus erat, ut diceret : « *Si ego Deus essem, et tu Angustinus, vellem fieri Angustinus, ut Angustinus fieret Deus* ».

Dico 4. Non solum anima in hoc exercitio he- 182.
roicæ charitatis erga Deum in ipsummet per affectum et quodammodo in effectu transformatur, sed etiam *ipsum corpus* ex quadam animæ redundantia transmutatur. Unde de multis Sanctis legimus, quod in hac vita jam dotibus beato-

rum corporum fruebantur. Sic Moyses ex colloquio Dei cœlestes in vultu referebat splendores. Quandoque etiam corpus quasi obrigescit et membra inhabilia et inflexibilia sunt ex subita fervoris et suavitatis influentia. Cujus ratio est, quia corde inflammato spiritus omnes distenduntur et membra amittunt habilitatem officiosum suorum, ut sæpe vidimus in subito terrore vel immoderata lætitia,vel odio aut amore, ut declarat Carthusianus (* De fonte lucis, art. 8.).

183. *Dico 5.* Licet hæc heroica charitas sive amor ferventissimus erga Deum,maxime dum mentem eminens contemplatio illustrat, causet plures in corpore alterationes, *non tamen semper causat easdem.* Aliquando namque causat tristes, dum scilicet animam rapit, quia functiones tunc vitales in corpore habere non potest, ac proinde corpus enumeratis defectibus quasi mortuum subjacet. Aliquando autem causat gloriosos, dum videlicet anima sine raptu fruitivo gaudet amore Dei præsentis in intimo gradu unionis. Cum enim tunc anima quamvis intime Deo unita vitales in corpore habeat functiones et totaliter eis prædominetur, in ipsum gloriosas suas derivat communicationes, juxta capacitatem ipsius, ut illis modo sibi proportionato et plurimum limitato

184. simul cum anima fruatur. Unde idem amor vehemens diversimode agens in anima, vel juxta modum ipsius agentis, vel juxta dispositionem animæ,in qua agit,diversos in ea causat effectus.

185. *Dico 6. Exercitium charitatis erga proximum,* quantum ad substantiam, cadit sub præcepto, ut

aptet ex illo Joannis 15, 12: « *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem* » ; sed quantum ad 186.
gradum heroicum, de quo hic agimus, cadit sub consilio. *Hæc charitas* non solum facit amare 187.
proximum, sive amore actuali, ut est erga illos, qui sunt in peccato mortali,sive amore amicitiæ, ut est respectu illorum, qui sunt in gratia, sed *eos veluti unit in unum*, ita ut plura corpora mentis unius instrumenta videantur, ut patet in viris religiosis, qui licet sint diversæ inclinationis et complexionis ac diversarum qualitatum, sic tamen hoc charitatis perfectæ glutino manent uniti, ut idem velint, idem nolint, idem desiderent, idem fugiant. Hanc charitatem Christus suis discipulis præsentibus et futuris desiderabat et petebat a Patre, quando dicebat (Joan. 17.) : « *Rogo ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* ». Hæc perfecta charitas tam necessaria est viris religiosis, ut Hieronymus (in regul. Monachar.*) dixerit : *Hæc religiosos,hæc monachos facit ; sine hac cœnobia sunt tartara, habitatores sunt dæmones ; cum hac vero sunt paradisus in terris et in eis degentes sunt Angeli* ».

Dico 7. Hanc heroicam charitatem describens 188.
Paulus (1. ad Corinth. 13.) ait : « *Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, om-*

*) Regulam hanc non esse Hieronymi assert Erasmus Rotterodam.

nia sperat, omnia sustinet. » Hujus charitatis
189. exempla pura tam in sacra pagina, quam in historia ecclesiastica leguntur. Hac namque charitate dixit Moyses ad Deum Exod. 32 : « *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* » Eadem charitate Paulus optabat esse anathema, ut Judæis fratribus suis ad salutem prodesset. Hac charitate S. Paulinus se ipsum pro redimendo quodam captivo servituti tradidit.

190. *Dico 8.* Hæc heroica charitas erga proximum non tam in verborum apparentia, quam in operum veritate servatur, ut ait Joannes (in sua prima Epist. cap. 3.) : « *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate* ». Nam licet dilectio proximi exerceatur verbo et lingua benedicendo proximo et orando pro illo, non convitiando vel detrahendo de illo, ideo tamen Apostolus dicit, quod non diligamus verbo et lingua, quia sunt aliqui falsi fratres, qui charitatem exterius simulant, et interius pessimi sunt
191. inimici. Qui ergo ad statum intimæ unionis pervenerunt, tam pure, tam vere et tam sollicite charitatem ergo proximum exercent, quod mente, ore et opere diligunt. Diligunt mente, de proximo bene judicantes, in bonam partem, quantum fieri potest, opera ejus interpretantes, apud se semper excusantes, pro ipso orantes. Diligunt ore, de proximo bene dicentes, ipsum laudantes, apud alios excusantes, blande alloquentes. Diligunt opere, cum proximum in necessitatibus et facultatibus et consilio et opera fideliter adjuvant.

SECTIO IV

De exercitio religionis heroicæ.

SUMMARIUM

192. Virtus religionis aliis virtutibus moralibus præeminet. 193. Alia est acquisita, alia infusa. 194. Quid utraque sit, exponitur. 195. Principaliter in Deum exercetur. 196. Qui ad unionem Dei pervenit, exercet religionem heroicam erga Deum et Sanctos. 197. In quo consistat religio heroica ? 198. Eo religio est magis heroica, quo actus religionis perfectiores sunt et rariores. 199. Ponuntur aliqua Sanctorum exempla religionis heroicæ.

Dico 1. Virtus religionis aliis virtutibus moralibus præeminet ex propinquiori accessu, quem habet ad Deum, ut ait D. Thomas (2. 2. q. 80. art. 6.). *Est enim quædam virtus, per quam homines debitum cultum et reverentiam Deo exhibent.* Alia est acquisita, alia infusa. Acquisita exhibet cultum Deo ex naturali motivo ; religio infusa exhibet Deo cultum ex motivo supernaturali. Religioni autem plures actus assignantur, alii interni alii externi. Interni sunt devotio, oratio ; externi sunt adoratio, oblatio, votum, juramentum et alii, ut videre est apud doctores, qui de hac virtute specialiter tractant. 192. 193. 194.

Dico 2. Virtus religionis *principalius in ordine ad Deum* exercetur et *minus principaliter in ordine ad alia quovis modo ad Deum attinentia*, ita tamen, quod juxta majorem accessum et unionem ad ipsum Deum major eis cultus exhibeatur. Unde divino Sacramento Eucharistiæ cultus latriæ sicut Deo debetur ; crux et alia instrumenta 195.

passionis Christi cultu latriæ adorantur propter contactum ad sacratissimam Christi humanitatem. Sancta et Beata Virgo Maria cultu hyperduliæ, Sancti vero, tamquam divinam excellentiam participantes cultu duliæ coluntur. Talis quippe excellentia sic participata consideratur ut ipsorum propria ; unde minori cultu colitur.

196. *Dico 3.* Cum quis ad unionis intimæ statum pervenit, heroicam erga Deum, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, erga Beatissimam Virginem Dei Matrem et alios Sanctos religionem
197. exercet. *Hæc autem heroica religio consistit in actibus tam interioribus quam exterioribus, intentioribus et perfectioribus et extraordinariis.* Unde alii relucent in cultu imaginum ; alii in devotione audiendi Missas ; alii in propagatione religionum, ut earum fundatores ; alii in ferventissima oratione et contemplatione ; alii in offerendo divino
198. Missæ sacrificio. Eo magis tamen religio est heroica, quo hi actus sunt perfectiores et rariores
199. et magis extraordinarii, ut fuit votum N. M. S. Theresiæ, faciendi semper, quod perfectius esset ; haustus vomiti, in quo erat Eucharistia, ut aliqui fecerunt ; sacrificium S. P. N. Eliæ, quod voravit ignis de cælo missus ; fundatio primi Conventus S. Josephi Avilæ facta a N. M. S. Theresia, unde tota religio Carmelitana excalceata promanavit.

SECTIO V

De exercitio resignationis heroicæ seu conformitatis omnimodæ cum divina voluntate.

SUMMARIUM

200. Qui ad statum unionis pervenit,habet hanc conformitatem cum divina voluntate. 201. Quando perveniat quis ad gradum heroicum hujus conformitatis, exponitur. 202. Ponuntur aliqua exempla Sanctorum hujus virtutis. 203. Qui per heroicam cum Deo conformitatem Deo adhæret,vere beatus et perfecte bonus est.204. Adhærentes Deo nihil timent, nisi Deum perdere.

Dico 1. Qui ad intimæ unionis supernaturalis statum pervenit, non potest non habere *maximam suæ voluntatis cum divina in omnibus unionem* per talem conformitatem et omnimodam resignationem.Immo superius ostensum est,hanc unionem,quam vocavimus activam et naturalem, esse plerumque magis utilem et meritoriam ac Deo gratissimam. Cui proinde perfectus quisque specialiter vacare debet, certo sciens, quod omnis alia unio est dubia et periculosa, sit desit ista. Quamvis autem multa superius de ea dicta sint, aliqua tamen de ejus exercitio nobis in præsenti dicenda remanent. 200.

Dico 2. Tunc aliquis pervenit ad gradum heroicum hujus unionis conformitatis, quando omnia ut a Deo missa suscipit, sive bona sive mala. Vere enim omnia, quæ accedunt, a Deo procedunt, vel positive vel permissive, ut dicitur Ecclesiastici 1 : « *Bona et mala, vita et mors, pau-* 201.

pertas et honestas a Deo sunt. » Unde dixit Augustinus in Psalm. 73 : « *Impietas eorum tamquam securis Dei facta est* », hoc est, sumpsit Deus impietatem aliquorum ut instrumentum ad meritum Sanctorum vel supplicium peccatorum. Quando igitur homo adeo est conformis cum Dei voluntate, quod cuncta, sive adversa sive prospera suscipit quasi de manu Dei sine ulla repugnantia ex parte sua, tunc pervenit ad gradum heroicum hujus conformitatis. Talis fuit rex Da-
202. vid injuriis impetitus a Semei, quando dixit (2. Regum 16.) : « *Dimitte eum ut maledicat juxta præceptum Domini.* » Talis fuit Job, quando ærumnis pressus dixit : « *Dominus dedit, Domi- abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* » (Job 1, 21).

203. *Dico 3.* Qui per heroicam hanc cum divina voluntate conformitatem Deo adhæret, vere beatus et perfecte bonus est, quia, ut ait Augustinus, « *ille beatus et bonus est, qui omnia, quæ vult, habet, nec aliquid vult, quod non decet.* » Sed qui propriæ renunciat voluntati, ut se conformet divinæ, omnia, quæ vult, habet, quia dum fit divina voluntas, ipsius propria voluntas impletur ; et aliunde certum est etiam, quod volens, quod Deus vult, non potest velle, quod non decet. Ergo qui habet hanc heroicam conformitatem, vere
204. beatus et perfecte bonus est. Hinc fit, quod viri perfecti in statu intimæ unionis solum timent, Deum perdere, sua peccantes infirmitate et malitia ; sed adhærentes Deo nihil amplius timent. Unde in ipso fidentes semper lætantur, et quid-

quid ab extrinseco acciderit, immobiles permanent et dicunt cum Propheta (Psalm. 5.) : « *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* »

SECTIO VI

De exercitio humilitatis heroicæ.

SUMMARIUM

205. Quid sit humilitas, exponitur. 206. Est pars temperantiæ. 207. Christus maxime humilitatem commendavit. 208. Ponuntur et explicantur gradus humilitatis. 209. In quo consistat exercitium humilitatis heroicæ, exponitur. 210. Numerantur gradus humilitatis heroicæ 211. Referuntur aliqua exempla humilitatis heroicæ.

Dico 1. Humilitas est virtus, qua animus firma- 205.
tur, ne inordinate extollatur, et est quædam species
modestiæ et pars temperantiæ, ut ait D. Thomas 206.
(2.2. q. 161. art. 1 et 4.) Hanc virtutem maxime 207.
commendavit Christus ad sui imitationem (Matth. 11, 29) : « *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* » Duodecim humilitatis gradus assignat S.
Benedictus in sua regula. Primus est, *corde et cor-* 208.
pore humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus, secundus, *pauca verba et non clamorosa voce loqui ;* tertius, *non esse promptum in risum ;* quartus, *taciturnitas usque ad interrogationem ;* quintus, *tenere quod habet communis regula monasterii ;* sextus, *credere et pronuntiare se omnibus viliorem ;* septimus, *confiteri se ad omnia indignum et inutilem ;* octavus, *confessio peccatorum ;* nonus, *in duris et asperis per obedientiam*

patientiam amplecti ; decimus, *se subdere majori per obedientiam ;* undecimus, *ut quis voluntatem propriam non delectur implere ;* duodecimus, *ut quis Deum timeat et memor sit omnium, quæ præcepit.* (1).

209. *Dico 2.* Quamvis hi gradus humilitatis sint adeo eminentes, non tamen in eis consistit exercitium humilitatis heroicæ. Nam prædicti actus sunt actus ordinarii virtutis humilitatis. Perfectio autem hujus virtutis et ejus *exercitium heroicum consistit in actibus magis eminentibus*, qui rarius fiunt.

210. Hi sunt : Primus, totalis ignorantia propriæ excellentiæ vel sanctitatis, quæ omnibus notoria est ; secundus, pro viribus concessos Dei favores et naturale talentum tegere, quibus quis posset honorari ; tertius, patienter absque motu tam externo quam interno contumelias et injurias tolerare ; quartus, lætanter ipsas contumelias et injurias pati ; quintus, procurare contemptum ; sextus, se minimum et vilissimum inter omnes reputare ; septimus, mala omnia et sinistros successus suis peccatis et demeritis attribuere ; oc-

(1) In ipsa regula S. P. Benedicti sic enumerantur hi gradus humilitatis : 1., si timorem Dei sibi ante oculos semper ponens, oblivionem semper fugiat, et semper sit memor omnium, quæ præcepit Deus ; 2., si propriam quis non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere ; 3., ut quis pro Dei amore, omni obedientia se subdat majori ; 4., si in ipsa obedientia... patientiam amplectatur ; 5., si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala a se absconcse commissa, per humilem confessionem abbati non celaverit suo ; 6., si omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus ; 7., si omnibus se inferiorem et viliorem... pronuntiet et credat ; 8., si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula, vel majorum cohortantur exempla ; 9., si linguam ad loquendum prohibeat monachus ; 10., si non sit facilis ac promptus in risu, 11., si cum loquitur monachus,.. non sit clamosus in voce ; 12., si non solum corde monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet.

tavus, nullum vanæ gloriæ seu superbiæ motum sentire. De hac autem virtute heroica plura pos- 211.
sem afferre exempla tum Christi, tum Sanctorum ; sed quia obvia sunt in eorum vitis, ideo ab eis abstineo. Solum referam illud exemplum S. M. N. Theresiæ, quæ cum numquam peccatum mortale commiserit, se magnam peccatricem in vita sæpe sæpius affirmat. Quod quidem rarum humilitatis exemplum fuit. Mitto alia exempla, quæ in omnibus hic actibus humilitatis heroicæ præbuit.

SECTIO VII

De exercitio obedientiæ heroicæ.

SUMMARIUM

212. Quid sit obedientia, explicatur. 213. Inter virtutes morales primatum tenet. 214. Obedientia suos habet gradus. 215. Ponuntur gradus obedientiæ et explicantur. 216. Qui ascenderit gradus obedientiæ, facile se inveniet in statu obedientiæ heroicæ. 217. In quo consistat obedientia heroica, explicatur. 218. Ponuntur aliqua exempla obedientiæ heroicæ.

Dico 1. Obedientia est quædam virtus specia- 212.
lis, *habens pro objecto superioris præceptum tacitum vel expressum ; consistitque in obediendo illius præceptis.* Ita D. Thomas (2. 2. q. 104. art. 2.). Inter cæteras virtutes morales obedientia primatum 213
tenet. Per illam namque voluntas propria, quæ inter suprema bona humana reponitur, abnegatur et contemnitur propter Deum ; per alias autem virtutes morales bona exteriora et corporis, quæ

inter infima et media bona humana connumerantur. Unde D. Gregorius (lib. ultimo Moralium, cap. 10*) dicit, quod « *obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit et insertas custodit.* » Illa namque victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur.

214. *Dico 2.* Obedientia suos habet gradus, quibus ad perfectum et heroicum ejus statum facile et or-
215. dinate ascenditur. Primus gradus est *promptitudo obediendi.* Hujus exemplum habemus in Abrahamo, qui jussus a Deo sacrificare filium, de nocte consurrexit, ut eum sacrificaret. Secundus gradus est *totalis conformitas inferioris cum superiore.* Et de hoc gradu potest intelligi illud dictum Joannis Climaci, quod obedientia est sepulchrum propriæ voluntatis. De hoc habemus exemplum in Psalmista, quando dicebat : « *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* » Tertius gradus est, *de mandato superioris non judicare*, sed clausis oculis obedire. Habemns de hoc exemplum in D. Paulo, de quo dicitur, quod apertis oculis nihil videbat, et cui dictum fuit ; « *Ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* » (Act. 9, 7.)

Quartus gradus est, *nihil omnino facere inconsulto superiore.* Quintus gradus est, *obedire cuicumque superiori, etiam imprudenti et inepto*, sicut successit S. M. N. Theresiæ, quæ ex mandato confessarii indocti flammis tradidit librum

(*) ed. Migne, C. XIV. n. 28.

conceptuum divini amoris. Sextus est obedire *superiori parum affecto, vel etiam malevolo.* Propterea namque Christus præcepit obedire Scribis et Pharisæis ; et Petrus dixit : « *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.* » Septimus est, *obedire etiam desiderio et voluntati æqualium*, ut fecit Christus, qui cum esset Deus, voluit hominibus obtemperare. Octavus est, *præcipienti superiori non replicare*, ut suadet D. Hieronymus (ad Rusticum) dicens : « *Præpositum monasterii timeas ut Dominum, diligas ut parentem ; credas tibi salutare, quidquid ille præceperit* ; *nec de majorum sententia judices, cujus officium est obedire.* »

Dico 3. Vir, qui hujusmodi gradus obedien- 216.
tiæ ascenderit, facile se inveniet *in statu obedientiæ heroicæ* Hæc enim solum consistit in perfec- 217.
ta exsecutione horum graduum. Et quo difficilius est id, quod præcipitur a superiore, eo actus magis heroicus est, ut fuit obedientia Abrahæ, mors 218.
Christi, obedientia Beatæ Virginis, quando dixit : « *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* », projectio in ignem libri conceptuum amoris Dei facta a S. M. N. Theresia ex mandato cujusdam confessarii imperiti, et alia hujusmodi, in quibus exemplis plures Sancti celebres et admirandi fuere.

SECTIO VIII

De exercitio observantiæ regularis heroïcæ.

SUMMARIUM

219. Regularis observantia est pars obedientiæ. 220. Tres dantur gradus observantiæ heroicæ. 221. Proponuntur hi gradus et explicantur. 222. Quod sit medium ad perseverandum in hac observantia regulari heroica, exponitur. 223. Ponuntur aliqua exempla hujus virtutis.

219. *Dico 1.* Observantia regularis est pars obedientiæ, quia voci scriptæ legislatorum per eam obeditur. Per eam religio conservatur, ejus defectu perfectior ordo relaxatur. Unde dixit Bernardus (Epistola 321, alias 345, ad Fratres de S. Anastasio) : « *Fratres, solliciti semper state circa custodiam ordinis, ut ordo custodiat vos.* » Magnum quippe naufragium animarum erit in ordine, in quo canones, et rectæ vitæ institutio non viget. Propterea Proverb. 3. suadetur : « *Custodi legem atque consilium, et erit vita animæ tuæ, et gratia faucibus tuis.* »

220. *Dico 2.* Tres dantur gradus observantiæ heroi-
221. cæ. Primus, dum qui vivens inter bonos religiosos exacte *singulas et minimas religionis ceremorias studeat observare*, ut faciebat N. V.P. Michael a S. Hieronymo, qui in nostro hospitio Ullissiponensi ad orationem auroræ signum alta voce et pulsat quodam tabularum instrumento faciebat summo fervore, ut ipse et alii duo socii ad orationem mentalem convenirent, non ferens, quod illa ceremonimi anima etiam in illo hospitio, ubi

tantum erant tres religiosi, omitteretur. Secundus est, *dum quis solus existens*, sine teste, privatus aliorum exemplo, *observat eadem sponte et supererogatorie*, quæ solum in communitate tenetur observare, ut faciunt nostri anachoretæ in nostris eremis,qui cuncta, quæ fiunt in conventu, in privatis ædiculis perfectissime executioni mandant. Tertius est, *dum quis in societate aliorum inobservantium observantiam servat intemeratam*, ut fecit S. P. N. Joannes a Cruce, qui vivens inter Patres Carmelitas mitigatos primitivæ regulæ de superiorum licentia rigorem observabat. Quod et de S. Maria Magdalena de Pazzis asseritur inter Moniales Carmelitas.

Dico 3. Medium ad perseverandum in hac ob- 222.
servantia heroica regulari est, *cum humilitate singula et minima regularis observantiæ præcepta suscipere* ac velut a Deo dictata et fundatoribus inspirata venerari, nec de eorum convenientia disserere, et quanto fuerint minora, eo diligentius exequi. Ideo enim in nostris eremis videmus 223.
tam heroicam observantiam regularem, quia ibi habitantes cuncta venerantur, de nihilo disserunt sed omnia præcepta velute cœlo delapsa custodiunt. Maxime autem suadebit viris perfectis hanc heroicam observantiam regularem profectus aliorum, cum suo exemplo possunt aliis plurimum prodesse, sicut et nocere. Unde, si quilibet alii sic se debent gerere, quasi totalis observantia ab eis dependeret, multo magis hi, quos reliqui tamquam exempla observantiæ regularis venerantur.

SECTIO IX

De exercitio puræ intentionis heroicæ.

SUMMARIUM

224. In quo consistat pura intentio in nostris operibus, declaratur. 225. Servire Deo intentione præmii, licet bonum sit, non tamen pertingit ad heroicam puritatem intentionis. 226. Dantur tres gradus ad ascendendum heroicam puritatem intentionis. 227. Exponuntur hi gradus. 228. Ponuntur aliqua exempla hujus heroicæ intentionis.

224. *Dico* 1. *Pura et heroica intentio in nostris operibus consistit in eo, ut fiant in solam gloriam Dei.* Unde Paulus dixit (1. Cor. 10, 31) : « *Omnia in gloriam Dei facite* ». Cum ergo quis in omnibus hanc servat intentionem, perfectum sui ipsius offert Deo holocaustum. Nihil enim sui vel suarum actionum sibi reservat, vel alii distribuit, sed totum Deo consecrat. Et licet laudabile sit, Domi-
225. no intuitu præmii deservire, juxta illud Psal. 118: « *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*, » non tamen ad heroicam puritatem intentionis pertingit, qui non solo placendi Deo movetur affectu. Qui namque motivis aliis operatur, non servum fidelem imitatur, sed mercenarium, non filium benevolum, sed ingratum. Non igitur alia debet intentione vir perfectus in Dei servitio procedere, quam ut ipsi placeat amore amicitiæ, et non debet amore concupiscentiæ ei servire, ut ait Chrysostomus (Serm. 5. in cap. 2. ad Roman.) : « *Major erit merces si bonum non spe præmii feceris* », quia

tunc procedemus ut filii dilectissimi ; si autem filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Dico 2. Tres dantur gradus, quibus ascenditur 226.
ad hanc heroicam intentionem. Primus, quando 227.
quis *solum gloriam Dei quærit* in omnibus ; secundus, quando quis Deo serviens *non solum externarum rerum, sed etiam sui ipsius obliviscitur* ; tertius, quando jam quis operatur, non ut ipse Deo placeat, *sed quia placet ei Deus, vel quia placet Deo, quod operatur.* Hanc heroicam intentionem exercuit Moyses, cum negavit, se 228.
esse filium filiæ Pharaonis, ut ait Paulus (ad Hebr. 11.) : « *Magis eligens affligi cum populo Dei.* » Hanc exercuit S. P. N. Joannes a Cruce, dum interrogatus a Christo,quam mercedam vellet pro laboribus accipere, respondit : « *Domine, pati et contemni pro te.* » Hanc tandem exercuit N.M.S.Theresia, dum votum illud maxime arduum emisit, faciendi semper in omnibus, quod majoris crederet esse gloriæ Dei.

SECTIO X

De heroico mundi contemptu et de heroica vitæ austeritate.

SUMMARIUM

229. Sine heroico mundi contemptu vix potest quis perfecte et perseveranter Domino deservire, et multo minus illi adhærere,et cur? 230. Quidquid diligit homo præter unum aut propter unum Deum, male ab eo diligitur. 231. In quo consistat heroicus mundi

contemptus, explicatur. 232. Ponitur aliquod exemplum hujus heroici contemptus mundi. 233. Qui ad heroicam vitæ austeritatem aspirat, ad quæ debeat inclinare ? 234. In quo consistat heroicæ vitæ austeritas, exponitur. 235. Totalem austeritatem rari sunt, qui in hac vita assequantur. 236. Aliqui dantur, qui eam consequuntur. 237.Ponuntur hujus virtutis aliqua Sanctorum exempla.

229. *Dico 1.* Sine heroico mundi contemptu vix potest quis perfecte ac perseveranter Domino deservire, et multo minus ipsi adhærere, quia dixit Christus Dominus (Matth. 6, 24.) : « *Nemo potest duobus dominis servire* »,Deo scilicet et mammonæ iniquitatis, quæ in sæculo reperitur. Experimur enim, quod leges mundi divinis contrariantur præceptis, et mundani tumultus quieti contemplationis opponuntur. Unde Angustinus (in Psalm. 30. conc. 3.) dixit : « *Disce non diligere, et discas diligere* », hoc est, disce contemnere mundum, ut Deum diligas. Est enim magna ars, vera bona non negligere,major, meliora seli-
230. gere, maxima, optima diligere. Quidquid homo diligit præter unum aut propter unum Deum,male ab eo diligitur. Ut ergo homo discat, diligere Deum, qui unus diligendus est, prius discat, non diligere quæ non sunt Dei. Unde solerter monet Salvianus (ad Eccl. l. 2.) : « *Refugienda est ampla possessio, ne consequatur profunda perditio.* »

231. *Dico 2. Heroicus mundi contemptus consistit in vero crucis amplexu et in totali mentis et cordis mundi despectu.* Quæ si fiant ob solum finem placendi Deo, heroicus quidem actus est. Unde Christus suis discipulis dixit : « *Vos, qui secuti estis me, sedebitis et vos super sedes duodecim.* »

Non dixit : « *Qui reliquistis omnia* », sed : « *Qui secuti estis me*. » Parum namque erat, relinquere omnia,nisi Apostoli crucem Christi amplecterentur. Relinquere enim mundum, etiam antiqui Philosophi fecerunt, ut ait S. Hieronymus (lib. 3. in Matth. cap. 19.) Sed relinquere mundum et crucem Christi amplecti, proprium est Apostolorum. Est enim actus adeo perfectus, quod solus proprie Apostolorum atque credentium ab Hieronymo reputatur. In eo quippe consistit heroicus mundi contemptus. De quo plura possem referre exempla. Sufficiat illud exemplum S. 232.
Rochi, qui non solum mundum, sed etiam propriam uxorem dimisit,ut crucem Christi perfecte amplecteretur Vide alia exempla apud N. Philippum a Ss. Trinitate (p. 3. tr. 2. discurs. 3. art. 1.).

Dico 6. Qui ad perfectam abnegationem sui 233.
et heroicam vitæ austeritatem aspirat, *debet semper inclinari ad magis dtfficile*, *ad magis insipidum*, ad illud, quod magis ei displicet, ad illud, quod afflictionem causat, ad laborem, ad minus, ad humilius et contemptibilius, ad nihil volendum, et totaliter desiderare, esse pauperem, ac propter Christum privare se omnibus, quæ sunt in mundo. Ita S.P. N.Joannes a Cruce (lib. 1. ascensus montis Carmeli, cap. 13.). *Unde heroica* 234.
vitæ austeritas consistit in totali abnegatione totius consolationis humanæ et in amplexu totius tribulationis, *rigoris et laboris pro Christo*. Quam 235.
totalem austeritatem, rari sunt, qui in hac vita consequuntur. Sed non desunt viri heroes in 236.

perfectione, qui hanc heroicam austeritatem am-
237. plexati sunt. Tales fuere S. P.N. Elias, S.P. N. Joannes a Cruce et alii plures nostræ Carmelitanæ excalceatæ familiæ, qui in vitæ austeritate celeberrimi fuere, quos brevitatis causa omitto.

SECTIO XI

De exercitio heroicæ castitatis.

SUMMARIUM

238. Quid sit castitas, exponitur. 239. In principio mundi maxime fuit hæc virtus existimata. 240. Castitas est funus humanæ substantiæ. 241. Est mors hominis ante mortem. 242. Casti appellati fuere cælibes, quasi cœlites sive cœlestes. 243. Post Christi Evangelium multi amplexati sunt hanc virtutem ejus exemplo. 244. Bellum castitatis est periculosissimum. 245. In quo consistat castitas heroica in materia delectationum venerearum ? 246. Virginitas in genere castitatis est excellentissima. 247. Virginitas e cœlo duxit principium. 248. Prima Trias virgo est. 249. Septem gradus assignantur hujus virtutis. 250. Explicantur hujusmodi gradus. 251. Qui omnes hos gradus ascenderint, sunt viri angelici. 252. Quid debeat facere homo, ut ad tam perfectam castitatem perveniat ? 253. Quamvis rari sint, qui ad tam heroicam castitatem perveniunt, aliqui tamen sunt. 254. Ponuntur aliqua Sanctorum exempla.

238. *Dico 1.* Castitas est virtus, *per quam concupiscentiam castigamus quodam rationis moderamine.* Ita D. Thomas (2. 2. q. 151. art. 1.). Hanc virtu-
239. tem ab initio mundi totus mundus ut virtutem clarissimam suspexit et prope dicam adoravit.
240. Eam vocat Cyprianus *funus humanæ substantiæ*, quia non minus quam mortuus debet homo castus omni ad hujus vitæ delicias sensu
241. carere. Unde castitas mors hominis est ante mor-

tem. Hinc sapientes illi, qui nomina rebus imposuerunt, *castos appellavere cælibes, quasi cœlites sive cœlestes*, eo quod vitam in terris imitantur cœlestium. Post lucem Evangelii exemplo Christi et Beatæ Virginis vix dici potest, quot homines castitatem elegerint. Ad hoc enim vexillum a Christo sublatum pueri et puellæ et infiniti prope homines omnium ordinum occurrerunt. Et cum tanta sit hujus virtutis præstantia, idcirco dæmonis totum est studium, ut carnem nostram contaminet, cujus impia contagione anima ipsa maculatur. Unde inter prælia, quæ devoti milites patiuntur, nullum est difficilius, quam quod geritur pro castitate, et cum adversus illam perpetuum est certamen, pro illa continuum quoque est discrimen. 242. 243. 244.

Dico 2. In materia delectationum venerearum *castitas perfecta et heroica consistit in virginitate*, quæ non solum importat carnis integritatem sed etiam et magis perpetuum propositum abstinendi se a quacumque venerea delectatione. Ita D. Thomas (2.2.q. 152. art. 1 et 3). Unde quamvis non sit maxima virtutum, est tamen in genere castitatis excellentissima. Sancti Patres natales virginitatis e cœlo ducunt ab essentia divinæ mentis, unde oceanus puritatis ebullit. Prima Trias virgo est, ut canit D. Gregorius Nazianzenus ; et D. Ambrosius (lib. 1. c. 3. de virginib.) ait : « *Virginitas e cœlo accersivit, quod imitaretur in terris.* » Hoc idem intellexit D. Hieronymus cum dixit (Epist. ad Furiam): «*Grandis virtutis est et sollicitæ diligentiæ superare quod nata sis : in carne non* 245. 246. 247. 248.

carnaliter vivere, tecum pugnare quotidie et inclusum hostem Argi (ut fabulæ ferunt) centum culis observare. »

249. *Dico 3.* Septem hujus virtutis gradus assignat
250. Cassianus (collat. 12. cap. 7.). Primus est, *quod homo vigilans impugnatione carnali non elidatur ;* secundus, *ne mens illius voluptuariis cogitationibus immoretur;* tertius, *ne fœmineo vel tenuiter ad concupiscentiam moveatur aspectu ;* quartus, *ne vigilans vel simplicem carnis perferat motum ;* quintus, *ne cum memoriam generationis humanæ vel tractatus ratio vel necessitas lectionis ingesserit, subtillissimus mentem voluptariæ actionis perstringat ascensus ;* sextus, *ne illecebrosis phantasmatibus fœminarum vel dormiens illudatur ;* septimus, *ut eo usque mens nostra castitatis ipsius puritate firmetur, ut etiam ipso naturali motu carnis emortuo illum obscœnum liquorem omnino non perferat.*

251. *Dico 4.* Qui omnes hos castitatis gradus ascenderunt, sunt *viri angelici et veluti divini,* qui perfectissimam castitatem adepti naturam humanam videntur excessisse et ad angelicam pertigisse; sunt in carne quasi sine carne viventes, quia ut ait Cassianus (de cœnob. institutis, l. 6. c. 6.) quodammodo exire de carne est, in corpore commorantem non delectari sensu carnis, et ultra naturam est, fragili carne circumdatum carnis
252. aculeos non sentire. Ut ergo homo ad tam perfectam castitatem perveniat, debet esse ut animalia illa Apocalyptica, quæ erant plena oculorum ante et retro. Debet habere oculos in manibus,

ut videat, quod attingat ; in pedibus, ut videat, quo ingrediatur ; in lingua, ut videat, quid loquatur ; in intellectu, ut videat, quid cogitet ; denique debet habere oculos in ipsis oculis, ut videat, ne oculi retorqueantur ad illicita.

Dico 5. Quamvis rari sint, qui ad hanc heroi- 253.
cam castitatem perveniant, *aliqui tamen sunt*, maxime ex his, qui ad statum intimæ unionis pervenerunt, *tam perfectæ, tam heroicæ ac velut angelicæ castitatis gloria præditi.* Talis fuit N. M. 254.
S. Theresia, quæ tam pura fuit, ut in hac materia numquam tentationes contra castitatem passa fuerit, nec sciebat aliis in hoc certamine afflictis particulare remedium adhibere, quasi non intelligens, quid ei communicarent. Legimus etiam de N. S. P. Joanne a Cruce, quod tam purus fuerit, ut non solum externas tentationes, immo aggredientium secretas occasiones velut immotus superaverit, sed etiam interna sua puritate quasi foris in vultu relucente tentationes aliorum ipsum intuentium expelleret, vel saltem mitigaret.

SECTIO XII

De exercitio paupertatis heroicæ

SUMMARIUM

255. Quid sit paupertas spiritus, exponitur. 256. Virtus paupertatis pertinet ad temperantiam. 257. Evangelicam paupertatem Christus exercuit. 258. Eam ut medium perfectionis prædicavit. 259. In ejus exercitio primam beatitudinem constituit, 260. In quo consistat paupertas heroica, explicatur. 261. Paucissimi sunt, qui

heroicam paupertatem consequentur. 262. Qui sint, qui hanc heroicam paupertatem exercent, explicatur. 263. Ponuntur aliqua, exempla Sanctorum hujus virtutis. 264. Ille est beatior, qui minus cupit. 265. Beatutido est summa inopia cupiditatum. 266. Ille qui nihil desiderat, beatissimus est. 267. Quis exerceat heroicam paupertatem, exponitur.

255. *Dico 1. Paupertas spiritus est abjectio temporalium rerum, quæ fit spiritu, id est propria voluntate per instinctum Spiritus Sancti.* Ita cum D. Ambrosio et D. Hieronymo D. Thomas (2. 2. q.
256. 19. art. 1.). Hinc paupertas ista est virtus pertinens ad temperantiam. Nam abdicatio rerum temporalium velut abstinentia quædam est ab his,
257. quæ nocere possunt animæ. Hanc evangelicam paupertatem Christus exercuit, qui cum dives
258. esset, egenus factus est. Eam quasi medium proximum perfectionis prædicavit (Matth. 19.) quando dixit : « *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in*
259. *cœlo, et veni, sequere me.* » Eam sic extollit, ut in ejus exercitio primam beatitudinem constituerit : « *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* ». (Matth. 5, 3.)

260. *Dico 2. Paupertas heroica* non consistit solum in propria abdicatione dominii proprietatis, sed *ultro addit singularem abdicationem usus et affectus omnis rei, etiam minimæ, non omnino necessariæ.* Unde licet multi sint religiosi, qui votum
261. paupertatis habent, paucissimi sunt, qui heroicam hanc paupertatem exercent, ut deflet Cassianus (Coll. 4.). Plures enim sunt, qui omnia, quæ in sæculo habebant, vel habere poterant, generose propter Deum reliquerunt. Sed multi aliquibus

sic parcius commoditatibus adhærent, ut harum cura pristinarum omnium facultatum superet passionem. Ille solus exercet paupertatem heroi- 262.
cam, qui cum Apostolo (1. Tim. 6. 8.) dicere potest : « *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus.* » Solis enim rebus omnino necessariis verus pauper Christi debet esse contentus, maxime si fuerit religiosus et velit ad statum unionis pervenire et in eo perseverare. Hoc modo fuit Christus pauper, qui solo vestitu et alimento contentus erat. Unde dixit (Matth. 8, 20) : « *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* » Hoc 263.
modo fuit pauper Elias, qui eleemosynis sustentabatur, hoc modo S. M. N. Theresia, quæ si aliquam monialem vilioribus vestimentis vestitam videbat, cum illa vestes commutabat.

Dico 3. Illud nobis persuasum esse debet, *eum* 264.
esse beatiorem, non qui plura habet, sed *qui minus cupit.* Quid enim est beatitudo ? Summa ino- 265.
pia cupiditatum. Itaque ille beatissimus est, qui 266.
nihil desiderat, quem pauca satiant. Cur sunt inventæ opes ? Non ideo, ut plura habeamus, sed ne quid deesset. Mensura igitur opulentiæ est non plus habere, sed minus deesse. Sed illi nihil deest, qui nihil desiderat. Ergo ille, qui nihil desiderat, ditissimus et beatissimus est. Ideo nihil sufficiet illi, qui superflua facit necessaria. Panem et aquam natura desiderat, dicebat Seneca ; ad hæc nemo pauper est. Natura nulli, quod non est necesse, erogavit ; exermem et nudum hominem produxit, ut solo animo dominus esset naturæ et

fortunæ. Si ergo natura hominem nudum produxit, qui solo animo debet esset contentus, ille solus perfectus homo erit,qui animum a vilis rebus
267. abdicaverit ; ille heroicam paupertatem exercet, qui non solum magna pro Christo abnegaverit, sed minima etiam despexerit.

SECTIO XIII

De exercitio heroicæ modestiæ.

SUMMARIUM

268. Quid sit modestia, exponitur. 269. Est pars potentialis temperantiæ. 270. Est virtus maxime diligenda, et cur ? 271. Ex visu cognoscitur vir. 272. Auditur philosophus, dum videtur. 273. Modestia est maxime a Sanctis Patribus commendata. 274. In religionibus novitiis statim colenda proponitur. 275. In quo consistat exercitium heroicum modestiæ, explicatur. 276. Qui continuam Dei præsentiam habuerit, facile exercitium heroicum modestiæ consequetur, et cur ? 277. Referuntur fructus modestiæ. 278. Facilius quis evadet orator vitæ modestia, quam linguæ eloquentia.

268. *Dico 1. Modestia est virtus, qua in omnibus motibus nostris nihil fit, quod offendat cujusquam aspectum,sed quod deceat sanctitatem*,ut dicitur in
269. regula D. Augustini. Est pars potentialis temperantiæ, ut docet D. Thomas (2. 2. q. 160. art. 1.).
270. Est virtus maxime diligenda. Nam ab externa hominis compositione, et præsertim a vultu co-
271. gnoscitur animus, ut dicitur Ecclesiastici 19 : « *Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, et risus dentium et ingressus hominis enunntiant de illo*». Et Tertul-

lianus dixit: « *Auditur philosophus, dum videtur.* » E teste Tullio frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur. Eadem si sint ad amussim et leges modestiæ concinnata, ad virtutes illius imitationem nos adhortantur. Decora igitur totius corporis compositio est tacita ad modestiam conservandam concio. 272.

Dico 2. Quamvis hæc virtus non videatur inter præcipuas sedem habere, est tamen *maxime laudabilis*, ac plurimum a Sanctis Patribus commendata. Hoc modestiæ decus voluit S. Paulus omnium oculis esse conspicuum (ad Philipp. 4.) dicens: « *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus* », quasi dicat, lateat vestra scientia, non pateat prudentia, ignota sit mansuetudo, occulta sit temperantia, sed modestia lateat nullum, pateat omnibus, nota sit universis ; nota sit, dum loquimini in lingua, dum spectatis oculis, dum operamini in manibus, dum inceditis in pedibus, dum conversamini in nutibus. Ut ergo sitis noti, modestia sit nota, et quidem omnibus hominibus, quia in vos omnium oculi convertuntur. Sit ergo nota ethnicis, ut Deum verum cognoscant ; hæreticis, ut ad fidem convertantur ; Christianis, ut in fide confirmentur; sit nota omnibus, ut omnes intuitu illius reformentur. Quæ quidem adeo vera sunt, ut in religionibus reformatis magna sollicitudine custodiatur, tum ut mores novitiorum in modestia videantur. Nullum enim vidi in modestia insignem, quem non viderim in omnibus admirabilem. Econtra vero, quos parum modestos agnovi, malos postea religiosos expertus sum. 273. 274.

275. *Dico 3. Exercitium heroicum modestiæ consistit in perfecta exterioris hominis compositione.* Hæc autem tunc datur, quando totaliter in suis actionibus compositus est, ut nulla sit actio, quæ non redoleat compositionem. Principalius autem apparet in facie serena et humili et in ordinato oculorum aspectu. Non enim debet vir perfectus facile oculos elevare, sed semper eos demissos habere ; ad visum non debet esse promptus. Non enim legimus de Christo, umquam risisse. Incessus debet esse gravis et simplex et ab omni remo-
276. tus affectione. Facile quis totius corporis compositionem et modestiam heroicam servabit, si continuæ Dei præsentiæ et internæ cum ipso conversationi vacaverit ; quippe animi intuitus in cœlum et in divina contemplanda intentus terræ et temporalium intuitum prohibebit. Sic legimus de D. Bernardo, quod cum tota una die juxta lacum ambularet, illum non advertit, quia totus in Dei præsentia erat occupatus.

277. *Dico 4.* Inter uberrimos fructus modestiæ primus est, quod occursu suo *vitia suffundat, virtutes commendet.* Nam, ut ait Philosophus, *vir modestus, licet sermone taceat, habitu et gestu loquitur.* In vero enim modesto totius corporis figura est vocalis. Quid enim frons sine nube serena, sine rugis explicata loquitur et commendat, quam conscientiæ tranquillitatem ? Oculi decenter in solum defixi et aversi, ne videant vanitatem, quid aliud clamant, quam illud Ecclesiastæ effatum : « *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas ?* » Lingua in loquendo rara, quid aliud commendat, quam

illud Ecclesiastici pronuntiatum : « *Ori tuo facito ostia et seras ?* » Denique totius corporis forma luci fulguranti modestiæ ac decoris undique circum fulgens, quid aliud vociferatur, quam illa Christi verba : « *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est ?* » Et hoc est vere esse oratorem. Facilius evades orator vitæ modestia, quam linguæ eloquentia. Hæc tantum 278.
movet, illa trahit. Pluris ergo est hominis modestia loquens, quam lingua garriens, quia qui nimium fatur, stultissimus esse probatur.

SECTIO XIV

De exercitio heroico silentii.

SUMMARIUM

279. Silentium maxime necessarium est vero religioso. 280. Qui in verbo non offendit, perfectus est vir. 281. Lingua pluribus vasis custoditur a natura, et cur ? 282. Vir prudens debet linguam suam vereri ut periculosissimum malum. 283. Quantum quis timet mortem, tantum debet timere linguam suam, et cur ? 284. Viris contemplationi deditis maxime necessarium est silentium. 285. Solus ille custodit animam suam a peccatis et imperfectionibus, qui linguam suam custodit. 286. Sancti Patres inter præcipu- religionis fundamenta silentium posuerunt. 287. Perfectus et hea roicus usus silentii non consistit in totali carentia loquendi, et cur ? 288. Ex verbis cognoscitur vir. 289. Difficillimum est, huic virtuti medium imponere. 290. Quas circumstantias debeat quis observare, ut recte silentium observet ? 291. Numerantur circumstantiæ et explicantur. 292. Qui ad unionem Dei aspirat, ne sit loquax. 293. Quæ debeant sua esse verba, exponitur.

Dico 1. Silentium sic homini religioso et per- 279.
fecto necessarium est, ut B. Jacobus (cap. 1. suæ

Epist.) dixerit : « *Si quis puta, se religiosum esse, non refrænans linguam suam... hujus vana est religio.* » Cujus sententiæ ratio est, ut ipsemet ait (cap. 3.), quia « *in multis offendimus omnes* »,
280. loquendo scilicet. Unde « *si quis in verbo non of-*
281. *fendit, hic perfectus est vir* ». Quia ergo lingua est ad lapsum proclivissima, valla posuit illi natura, dentes scilicet et labia, ut loquendi temeritas non cordis tantum custodia atque vigilia cohibeatur, sed et quibusdam quasi excubiis in ore positis sepiatur. Immo, teste D. Chrysostomo, ideo Deus linguam velut muro duplici voluit circumdari, nam dentium tegmine et labiorum custodia continetur, ne verba improvida garrulitate proferantur. Hinc regius vates ait : « *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* ». Petit a Deo excubias militares ad tuendum os, ne quid exeat, quod non prosit loquenti, vel obsit au-
282. dienti. Debet ergo vir prudens linguam suam revereri ut periculosissimum malum. Est enim lingua vitæ et mortis receptaculum, ut ait Sapiens (Pro-
283. verb. 18.): « *Mors et vita in manu linguæ.* » Quantum igitur times mortem, quantum optas vitam, tantum æstima et linguam, quæ ad bonorum vitam, ad malorum mortem est janua.

284. *Dico 2.* Si aliis silentium est necessarium, multo magis necessarium est viris contemplationi deditis, quales sunt ii, qui ad statum unionis intimæ pervenerunt. Est enim silentium via solitudinis, qua mens Deo cupida ab hominum strepitu in utilissimam pacem inducitur. Solitudo autem ad divina colloquia penitus necessa-

ria est.Unde Deus (per Oseam 2.) dicit: « *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* » Ubi nota, quod ut Deus animæ loqueretur,non loquacem, sed silentiosam animam selegit. Unde Proverbior. 13. dicitur : « *Qui custodit os suum, custodit animam suam* », quia solus ille habet ani- 285.
mam a peccatis et imperfectionibus custoditam, qui scit linguam suam custodire. » *Qui* enim *multis unitur verbis, lædet animam suam* (Eccli. 20, 8.), « *et in multis sermonibus invenitur stultitia.* » (Eccle. 5, 2.). Et ideo Patres antiqui inter præcipua vitæ religiosæ fundamenta strictum et 286.
religiosum silentium posuerunt, et adhuc in omnibus religionibus a novitiis et patribus junioribus observatur. Experientia enim docet, quod qui parco sermone utuntur, legibus multis non indigent. Nam licet silentii virtus non omnia,sed tantum noxia verba prohibeat, quia tamen facilius est, in lingua delinquere,propterea junioribus totaliter silentium imposuerunt, ut prius experientia discerent, quid et quando loqui oporteret.

Dico 3. Perfectus et heroicus usus silentii non 287.
consistit in totali carentia loquendi. Sæpe enim tacere malum est, juxta illud Prophetæ (Is.6, 5.) : « *Væ mihi, quia tacui.* » Et aliquando silentium multis fuit ruinæ occasio, ut peccata sua non confitentibus. Immo cum lingua sit interpres mentis, sæpe necessarium est, audire loquentem, ut persona cognoscatur. « *Loquere* », inquit Socrates ad quemdam juvenem, quem, ut illum doceret, afferebant, « *loquere, amice,ut te cogno-*

scam. » Stultus enim, dum non loquitur, sapiens
288. videtur. Non enim ex gestibus, quos quis præ se fert, sed ex loquela cognoscitur. Ex hoc Petrus cognitus fuit discipulus Christi, quia loquela sua eum manifestum fecit, ut pronuntiavit Pilati ancilla. Cum igitur perfectus usus silentii in moderato et necessario usu linguæ consistat, diffi-
289. cillimum est, medium huic virtuti imponere. Faciat ergo unusquisque stateram verbis et frænos rectos ori suo ne forte labatur, et cadat in lingua sua, et insanabilis sit casus ejus ad mortem, custodiens cum Propheta vias suas,ut non delinquat in lingua sua ; et silentium, in quo cultus justitiæ est, diligenter et caute studeat observare.

290. *Dico 4.* Ut quis recte silentium observet,debet
291. sequentes circumstantias custodire. Prima ut locuturus attendat, quis ipse sit, et quibus loqui debeat. Secunda, ut attendat, quid loquendum ? Tertia, ut attendat finem, propter quem loquitur. Quarta, ut modum loquendi debitum observet. Quinta, ut debito tempore loquatur, ut enim ait Sapiens (Eccle. 3, 7.), et datur tempus tacendi et
292. tempus loquendi. Cave igitur, amice lector, si ad perfectionem et unionem Dei aspiras, cave, ne sis ut graculus garrulus, ne sis plenus rimarum huc
293. atque illuc effluens ; sint singula tua verba totidem effata, sint sapientiæ pronuntiata, sint alicujus scientiæ axiomata, sint veluti moralis doctrinæ apophtegmata, sint velut a tripode effusa oracula, sint veluti mysterii alicujus arcana, sint sermones digni cedro et auro. Nihil ex ore procedat nisi Evangelium, virtus, cœlum, Deus. Sint

verba tua talia, qualia D. Hieronymus scribit de pia anima, cujus canticum Psalmi, cujus sermo Evangelium, ut etiam de te dici possit, quod de Sancto Honorato Hilarius dixit (* in oratione funebri) : « *Numquam in tuo ore nisi pax, nisi castitas, nisi pietas, nisi charitas.* »

SECTIO XV

De exercitio patientiæ heroicæ.

SUMMARIUM

294. Quid sit patientia, exponitur. 295. Inter virtutes christianas a Patribus summe extollitur et honoratur. 296. Summa est ejus utilitas. 297. In patientia possidet quis animam suam, et cur ? 298. Pueri lacrymantur, quia nesciunt patientiam habere. 299. Homo, ne suæ nativitatis se pudeat, debet patientiam habere. 300. In quo consistat heroica patientia, explicatur. 301. Hæc virtus est propria perfectorum. 302. Vir perfectus, quo magis opprimitur, exaltatur. 303. Homo, sive bonus sive malus, semper illi convenit patientiam habere et cur ? 304. Ponuntur aliqua exempla Sanctorum hujus virtutis.

Dico 1. Patientia est virtus, quo mala æquo 294.
animo toleramus, id est sine perturbatione tristitiæ. Ita cum S. Augustino D. Thomas (2.2.q. 136. art. 1. et 4.). Inter virtutes christianas a 295.
Patribus summis encomiis honoratur. Hujus virtutis decor maximus est et summa ejus utilitas. 296.
Unde Apostolus (Hebr. 10, 36.). dixit : « *Patientia vobis necessaria est..., ut reportetis repromissionem.* » Et Dominus (Luc. 21, 19.) dixit, quod 297.
in patientia possidebimus animas nostras. Cujus ratio ea mihi videtur, quia cum non possit dari

in hoc sæculo vita humana sine laboribus, non poterit quis pacifice animam suam possidere sine
298. patientia. Hinc pueri, quando nascuntur, lacrymantur,quia cum simul cum laboribus nascuntur et nesciant patienter tolerare, lacrymarum solvunt naturæ tributum, quod nesciunt patientia
299. compensare. Ferat igitur homo adultus, quod infans tulit, nec pudeat se nativitatis suæ, qui non prius sensit lucem, quam laborem. Pati est homini primum,quod docetur,ut ait Job (cap. 5.) : « *Homo nascitur ad laborem*, » et ultimum, quod dedocetur, ut ait Joannes (Apocalyps. 14.) : « *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus,ut requiescant a laboribus suis.* »

300. *Dico 2. Heroica patientia consistit in infatigabili tolerantia passionum et laborum pro Deo et virtu-*
301. *te.* Hæc est propria virorum perfectorum et qui jam sunt in statu intimæ unionis constituti, ne ab illa intima pace et tranquillitate distrahantur motibus inordinatis. Nam sicut vinea recisa non minuitur, ut ait D. Ambrosius (lib. 9. n. 29. in Lucam.), sed augetur, ita sancta plebs, dum ligatur, exuitur, dum humiliatur, attollitur, dum reciditur, coronatur ; et sicut aurum, ut ait Cassiodorus (Var. Lib. 9. ép. 3.), tantum crescit ad pretia, quanta fuerit sinceritate munda-
302. ta, sic vir perfectus, quo magis opprimitur, exaltatur. Unde dixit Hieronymus : « *A cunabilis Ecclesiæ non defuit iniquitas premens, sed abundavit justitia patiens.* » Ferat igitur
303. patienter vir hujus sæculi mala, sive sit bonus, sive malus. Nam si bonus fuerit, dum patitur,

erit ei ad cumulum gloriæ ; si malus fuerit, et libenter patiatur, erit ei ad solutionem debiti. Et si adhuc dicta non sufficiant, considera in veteri testamento patientiam Abrahæ, Job et Tobiæ ; et 304.
in novo patientiam Apostolorum et aliorum Martyrum, et te pudebit, non ferre patienter, quod illi glorianter tolerunt. Nam « *ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati.* » (Act. 5, 41.).

SECTIO XVI

De exercitio heroicæ mansuetudinis.

SUMMARIUM

305. Qui sit mansuetudo, exponitur. 306. Est pars adjuncta temperantiæ. 307. Eam Christus plurimum commendavit. 308 Decet maxime viros perfectos. 309. Viri mansueti aliquid altius humana natura videntur habere. 310. Maximus est hujus virtutis splendor. 311. Sine ea non dantur plures virtutes, quæ ibi numerantur. 312. In quo consistat heroica mansuetudo, explicatur. 313. Habet mansuetudo quinque gradus. 314. Explicantur hi gradus. 315. Qui mansuetudinem habet, multum Christum imitatur. 316. Mansuetus plus quam homo habetur ab aliis hominibus.

Dico 1. Mansuetudo est virtus, per quam se- 305.
cundum rectam rationem affectum iræ moderamur. Ita D. Thomas (2.2. q. 157. art. 2.). Est pars 306.
adjuncta temperantiæ, estque ista virtus una de
duabus, quas Christus Redemptor noster pluri- 307.
mum commendavit (Matth. 11.) : « *Discite a me,*

308. *quia mitis sum et humilis corde.* » Decet maxime viros perfectos. Nam præter iræ moderationem quamdam animæ causat immutabilitatem et quamdam immortalitatis speciem, dum inter ipsa
309. vulnera perseverat intemerata. Viri mansueti aliquid altius natura humana videntur habere, cum nec persecutionum nec aliorum eventuum turbationibus agitantur. Immo post suscepta persecutionum vulnera, sic animus manet tranquillus, ut
310. ad majora sit toleranda paratus. Maximus est hujus virtutis splendor, tum quia hominem conservat in hilaritate, dum persequentes sereno suscipit vultu ; tum quia Christum imitatur.
311. Ejus utilitas summa est. Sine ea non datur pax, charitas, amicitia, affabilitas, vel meritum. Unde dixit Christus : « *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* ». Soli namque mites, qui pacifica mentis tranquillitate perfruuntur, vere terram possidere dicuntur ; reliqui vero non possident terram, sed in ea perturbantur.

312. *Dico 2.* Heroica mansuetudo consistit in perfecta iræ moderatione. Soli enim illi possunt dici perfecte mites, ut ait Augustinus (lib. 1. cap. 2. de sermone Domini) , « *qui cedunt improbitatibus et non resistunt malo, sed vincunt in bono malum.* »
313. Habet autem mansuetudo quinque gradus. Primus
314. est, eum, qui læditur, commoveri, *sed iræ impetum cum modestia reprimere* ; secundus, commoveri quidem, *sed sine mœrore impetum compescere ;* tertius, ob anteactas iræ victorias, *non commoveri ;* quartus, *ob spirituale bonum suum lætari ;* quintus, cum oblivione sui *ex proximi*

lœdentis damno dolorem compassionemque concipere. Cum enim homo non solum injuriam patienter sustinet, sed de malo proximi dolet, multum imitatur illam Christi mansuetudinem, qui 315.
videns ingratitudinem illius perfidæ civitatis eum persequentis flevit super illam, dolens magis de illius miseria, quam de morte, quam in illa toleraturus erat ; et positus in cruce pro illis, qui eum crucifixerunt, exoravit : « *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* » Quæ cum videret centurio, exclamavit ; « *Vere filius Dei erat iste.* » Et merito. Nam, ut dicitur Eccli. 3 : « *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam* 316.
diligeris, » perfecit Christus opus nostræ redemptionis in mansuetudine, et super hominum gloriam ut filius Dei ab ipsis, qui eum persequebantur, cognitus fuit. Unde optime concinnavit ille Poeta, qui dixit : « *Iras sustollis, si sit responsio mollis.* »

SECTIO XVII

De exercitio prudentiæ heroicæ.

SUMMARIUM

317. Sola prudentia, quæ ad bonum finem vitæ conciliatur, judicat et præcipit, dicitur simpliciter prudentia. 318. Reperitur in solis justis et non in peccatoribus. 319. In quo consistat hæc prudentia, explicatur. 320. Quod sit objectum materiale prudentiæ, exponitur. 321. Quod, sit ejus objectum formale, monstratur. 322. Quæ differentia detur inter objectum formale prudentiæ et aliarum virtutum, indicatur. 323. Prudentia tendit in verum practicum. 324. Nulla virtus pretiosior est prudentia. 325. Christus eam maxime suis discipulis commendavit. 326. Qui ad culmen heroicum prudentiæ pervenit,

adeptus est apicem felicitatis,et cur ? 327. Vir prudens est simillimus felicitate superis, et cur ? 328. Hæc virtus maxime necessaria est viris contemplativis. 329. Non datur homo summe contemplativis, qui non sit summe prudens. 330. Hæc virtus præcipue debet resplendescere in prælatis et rectoribus animarum, et cur ?

317. *Dico 1. Prudentia*, de qua hic agimus, *est illa vera et perfecta virtus, quæ ad bonum finem totius vitæ recte consiliatur, judicat et præcipit*, ut notat D. Thomas (2. 2. q. 147. art. 13.), ubi hanc so-
318. lam simpliciter dicit prudentiam. Reperitur in justis, non vero in peccatoribus: et istius est,
319. invenire medium virtutum moralium. Ipsaque ad communia omnia laudabilium actionum principia cognoscenda et ad earum circumstantias dijudicandas lucem subministrat, ceterisque virtutibus in his, quæ ad earum finem idonea sunt, deligendis contrariisque repudiandis opitulatur.
320. Unde objectum materiale prudentiæ sunt omnes actiones heroicæ, formale vero est honestas objectiva ex actione, medium inter excessum et de-
321. fectum tenente, progerminans. Et licet honestas sit etiam objectum formale aliarum virtutum mo-
322. ralium, est cum hac differentia, quod aliarum est objectum formale, prout est bonitas quædam, respectu vero prudentiæ, prout est veritas. Nam cum prudentia sit virtus intellectus, necessario semper
323. tendit in verum, idque non speculativum, sed practicum. Unde concludendum est, in thesauro illo copiosissimo virtutum moralium nullam gem-
324. mam esse pretiosiorem, atque inter dotes animi christiani prudentiam videri donum maximum et pulcherrimum divinitatis, et ideo Christus eam

suis discipulis maxime commendavit (Matth. 10): 325.
« *Estote prudentes, sicut serpentes.* »

Dico 2. Qui ad culmen heroicum prudentiæ 326.
pervenit, *censendus est stare in ipso felicitatis apice.* Et ratio est, quia prudentia attingit omne bonum potentiæ rationalis, nam perficit voluntatem, dum illis subministrat vires et robur, ut sine luctu, facile, sine ignavia, prompte, sine hæsitatione, firmiter in bonum suum, id est honestum feratur. Perficit et intellectum circa suum objectum, id est verum, dum eum promptum, facilem et expeditum reddit ad assensum certum, et in eo firmatur, ut non abducatur ad falsum. Ergo vir consummate prudens, est summe felix. Addo, quod vir prudens est simillimus felicitate superis, 327.
qui immortali felicitate fruuntur. Et ratio est, quia superiorum felicitas in eo consistit, quod potentia rationalis omnibus viribus et modo perfectissimo tendat in bonum omni ex parte infinitum, intellectus in verum, voluntas in bonum. Sed perfecte prudens in hac vita perspicacissime penetrat et firmissime adhæret et clarissime intelligit verum, quod est objectum intellectus, et facillime movetur in honestum, quod est bonum voluntatis. Ergo vir prudens simillimus est superis summa felicitate fruentibus ac per consequens nemo in hac vita mortali felicior est viro prudente. Est enim prudentia complexus omnis perfectionis et compendium omnis felicitatis.

Dico 3. Hæc virtus maxime necessaria est viris 328.
contemplativis et iis, qui ad divinam unionem tendunt. Et ratio est, quia homo accedens ad di-

vinam unionem debet habere omnes virtutes in gradu heroico. *Sed has in gradu heroico habere non potest, nisi etiam habeat prudentiam in gradu heroico.* Siquidem ipsa est auriga et directio virtutum moralium et quæ illis modum et medium imponit. Ergo hæc virtus prudentiæ maxime ne-
329. cessaria est viris contemplativis. Unde numquam vidi hominem magnum contemplativum, qui non
330. fuisset summe prudens. Præcipue autem debet hæc virtus resplendescere in prælatis et illis, qui dirigunt animas ad vitam spiritualem. Non enim poterit quis alios recte gubernare, nisi se ipsum recte moderetur, propriis passionibus imperando. Unde S. Gregorius dicit, quod non debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire, et maxime in obedientia ergo superiores, quam ab inferioribus erga se ipsum desiderat exerceri. Sed de his vide latius N. Philippum a Ss. Trinitate (p. 3. tract. 2. discurs. 4. art. 3).

SECTIO XVIII

De exercitio justitiæ heroicæ.

SUMMARIUM

331. Iustitia dividitur in legalem, distributivam et commutativam. 332. Quid unaquæque sit, exponitur. 333. Ponitur definitio justitiæ. 334. Hæc definitio solum convenit omni et soli justitiæ particulari, non vero generaliter sumptæ. 335. Quid sid justitia generaliter sumpta, explicatur. 336. Exercitium heroicæ justitiæ est maxime necessarium viris perfectis in statu intimæ unionis constitutis. 337. Ponitur medium, quo justitia servari debet. 338. Vir perfectus, qui ad statum unionis pervenit, debet heroicam justitiam exercere quoad omnes suas partes.

Pro hujus sectionis intelligentia suppono, justi- 331.
tiam, quatenus est una ex virtutibus cardinalibus,
dividi in *legalem*, *distributivam et commutativam*.
Ita D. Thomas (2. 2. q. 58. art. 6. et q. 61. art. 1.)
Legalis est, per quam omnium virtutum actus ad 332.
bonum commune ordinatur, distributiva dirigit
distributionem communium bonorum in partes
reipublicæ ; commutativa vero dirigit multos ac-
tus inter privatas personas. Definitur autem : *Est* 333.
perpetua et constans voluntas, *jus suum unicuique*
tribuens. Hæc autem definitio solum convenit omni 334.
et soli justitiæ particulari. Nam justitia generaliter 335.
sumpta est omnis virtus, ut dicit statum virtutum
aggregatione perfectum. Et de hac loquitur Chri-
stus, quando dixit discipulis suis : « *Nisi abunda-*
verit justitia vestra plus quam scribarum et phari-
sæorum, *non intrabitis in regnum cœlorum*. »
Et secundum hanc justitiæ intelligentiam, qui
omnibus est virtutibus ornatus, dicitur justus ad
instar S. Joseph, de quo scriptum est : « *Joseph*
autem, *cum esset justus*, » id est secundum om-
nem virtutem perfectus.

Dico 1. Exercitium heroicum virtutis justitiæ 336.
quoad omnes suas partes, quas supra retulimus,
maxime est necessaria viris perfectis in statu inti-
mæ unionis constitutis, qui cum proximo debent
inculpabiliter et admodum pacifice commorari.
Propterea similibus loquens Spiritus Sanctus
ait (Ecclesiastici 4.) : « *Pro justitia agonizare pro*
anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia,
et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. » Ut
autem instruat de medio, quo justitia servari de- 337.

bet per exclusionem occasionum, quibus solet violari, subdit : « *Noli citatus esse in lingua tua et inutilis et remissus in operibus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos et opprimens subjectos tibi.* »

338. *Dico 3.* Vir perfectus, qui ad statum unionis intimæ pervenit, debet heroicam justitiam exercere quoad omnes suas partes, quas supra retulimus. Unde titulo *justitiæ legalis* debet perfectissime legem observare et consequenter in lege Domini die ac nocte meditari, quantum patitur humana fragilitas. Titulo autem *justitiæ particularis* sic debet in republica versari, quod, si bonorum ipsius communium fuerit distributor, non attendat ad carnem et sanguinem aut ad amicitiam, sed tantum ad cujusque meritum et ad ipsius reipublicæ bonum. *In communi vero societate* sic se gerat, quod nullam, etiam minimam proximo injuriam inferat vel cogitatione, vel verbo, vel opere ; sed unicuique reddat, quod suum est. Quod si reddendæ seu exercendæ *justitiæ vindicativæ* præficiatur, sic puniat scelera, cum ratio justitiæ dictaverit, quod reo ex intimis charitatis et commiserationis præcordiis tenere compatiatur. Et si hæc ita exercuerit, intelligat, se apicem justitiæ sive heroicum gradum illius consecutum esse.

SECTIO XIX

De exercitio misericordiæ heroicæ.

SUMMARIUM

339. Misericordia, quid respiciat ut objectum, exponitur. 340. Hæc virtus maxime Deo competit. 341. Qui multum de Deo participant, debent maxime hac virtute pollere. 342. Viri perfecti et in statu unionis exercent misericordiam. 343. Quæ sint opera misericordiæ corporalis, proponuntur. 344. Quæ sint opera misericordiæ spiritualis, afferuntur. 345. Opera misericordiæ accepta Deus, ut sibi specialiter facta. 346. Opera misericordiæ, si fuerint perfecta, erunt actus heroici misericordiæ. 347. Qui illos exercent, maxime sunt similes Patri cœlesti.

Dico 1. Misericordia alienam respicit miseriam ut sublevandam tamquam suum formale objectum. Unde qui misericordiæ vult colere exercitium, debet statim, ac proximi advertit miseriam, ei quantum potest ex visceribus christianæ charitatis compati et de ea sublevanda cogitare. Hæc virtus maxime Deo competit. Unde in Scriptura dicitur (Ps. 144, 9.) : « *Et miserationes ejus super omnia opera ejus.* » Qui multum de Deo participant, ut sunt hi, qui divinæ unioni intendunt, debent maxime hac virtute pollere, ut faciebat sanctus Job, qui de se dicebat : « *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum.* » (Job 31, 18.).

339. 340. 341.

Dico 2. Viri perfecti agnoscentes naturam Dei misericordis in statu unionis intimæ eique conformari desiderantes erga omnes, præsertim peccatores, misericordiam exercent. Opera autem misericordiæ corporalis sunt : *esurientes nutrire*,

342. 343.

sitientes potare, nudos vestire, peregrinos excipere, visitare ægrotos, captivos redimere, mortuos se-
344. *pelire.* Opera vero misericordiæ spiritualis sunt; *ignorantes instruere, peccantes corrigere, consolari mœstos, consilium dare dubitantibus, patienter injurias inferentibus offensas remittere, pro*
345. *salute proximi orare.* Hæc opera misericordiæ quasi sibi specialiter facta acceptat Dominus, quod operantem debet maxime ad operandum anima-
346. re. Quæ si fiant perfecte, procul dubio erunt heroici actus misericordiæ. Et qui illos exercent,
347. maxime sunt similes Patri cœlesti, ad cujus exemplum discipulos suos provocat Christus (Lucæ 6.) dicens : « *Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* »

SECTIO XX

De exercitio simplicitatis heroicæ.

SUMMARIUM

348. Simplicitas est maxime necessaria humanæ societati. 349. Est virtus viris perfectis maxime conveniens. 350. Qui transacta injuria iram abjiciunt, sunt simplices sicut columbæ, et cur ? 351. Simplicitas est conflatum perfectionum. 352. Simplicitas dicitur innocentia, et cur ? 353. Est compendium bonarum actionum. 354. Simplicitas in summo est candor animi. 355. Viri perfecti debent simplicitatem summo studio exercere. 356. Debent æquivocationes fugere. 357. Vir perfectus, quæ habet in ore, debet habere in corde. 358. Vir simplex debet idem sentire de aliis. 359. Refertur quoddam notabile simplicitatis exemplum. 360. Simplicitas a mundo fatuitas judicatur, a Deo tamen vera sapientia reputatur. 361. Sapientia mundi vera stultitia est, et cur?

348. *Dico 1. Simplicitas seu sinceritas*, candor mentis aut veritas, virtus est humanæ societati pluri-

mum necessaria et viris perfectis maxime conve- 349.
niens. Simplicitas namque *ostendit animum non effusum in multa nec distractum in res externas, denotat lenitatem animi nesciam injuriæ referendæ conjunctam cum quadam naturæ bonitate, qua quis ægerrime inducitur, ut de alio suspicetur.* Unde
qui transacta injuria iram abjiciunt nec in aliquo 350.
pectoris recessu recondunt mœrorem, dicuntur simplices sicut columbæ. Nam, ut ait S. Cyprianus (de unitate Ecclesiæ) : « *Columba est animal simplex et lætum, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum* ». Itaque simplicitas est quoddam perfectionis 351.
conflatum, eximiæ vitæ ratio, omni decore et venustate concinna, coram Deo pretiosa, quam
etiam uno verbo dicimus *innocentiam*. Siquidem 352.
abest ab animo scelus, a corde vindicta, cupiditas ab oculis, ab ore loquendi calliditas, a moribus duplicitas ; estque compendium omnium 353.
bonarum actionum. Tandem candida simplicitas
in summo est candor animi ; qui candor non fu- 354.
catus est nec frictæ frontis commune tectorium, sed a ipso manans animo, ab omni fuco et simulatione alienus.

Dico 2. Viri perfecti, qui ad statum unionis in- 355.
timæ pervenerunt, debent sanctam hanc virtutem simplicitatis, sinceritatis, candoris aut veritatis summo studio exercere. Unde non solum aperta mendacia et manifestas simulationes
summa debent vitare diligentia, sed etiam *quas-* 356.
cumque æquivocationes. Esto enim aliquando licite dicantur, plurimum tamen christianæ repu-

gnant simplicitati et candori, si frequens fuerit earum usus. Qui enim vere in se ipso sincerus est, interrogatus semper vera denunciat. Et quamvis non omnia,quæ habet in corde, debeat habe-
357. re in ore, cuncta tamen, quæ habet in ore, debet etiam habere in corde. Et semper res dicit, ut se habent, nisi secreto naturali vel pœnitentiæ sigillo ad silendum teneatur.

358. *Dico 3.* Vir perfecte simplex sicut nescit simulationem aut duplicitatem vel mendacium dicere,
359. idem credit de aliis. Unde refertur de D. Thoma Aquinate, quod cum multum credulus appareret, vocatus a sociis, ut videret bovem volantem, statim accessit; sed de simplicitate sua derisus, respondit, *se malle credere, bovem volare, quam religiosum mentiri.* Sententia sane digna D. Tho-
360. mæ. Quæ enim a mundo fatuitas judicatur, a Deo vera sapientia reputatur. Econtra vero sa-
361. pientia mundi vera stultitia est, ut dicit Paulus : « *Sapientia hujus mundi sultitia est apud Deum.* » (1. Cor. 3.).

Possent adductis virtutibus aliæ plures adjungi, puta gratitudo, fortitudo et aliæ. Sed quia frequentius est et magis resplendens adductarum exercitium, ideo dicta sufficiunt, suppositis his, quæ tractatu III. disputatione II. diximus de virtutum acquisitione. Singulas namque viri perfecti in gradu heroico suis temporibus exercent, quia, ut jam dictum est, virtutes sunt ita connexæ, quod una perfecta secum trahat alias,et heroicum unius exercitium ad alias exercendas moveat.

DISPUTATIO IV.

De speciali unione animæ cum Deo tam secundum partem cognoscitivam, quam secundum partem affectivam in matrimonio spirituali.

SECTIO 1

In statu unionis intimæ Deus init sponsalia cum anima.

SUMMARIUM

362. Unio fruitiva duplici gradu gaudet. 363. Alter vocatur sponsatio spiritualis, alter matrimonium spirituale. 364. Quid sit sponsatio spiritualis, declaratur. 365. Datur duplex unio cum re amata, alia secundum rem, alia secundum affectum. 366. Sponsatio non consistit in unione affectus, sed in unione reali, non per modum habitus, sed per modum actus. 367. Probatur ratione. 368. Quando anima Deo desponsatur, nihil sentit, et quomodo hoc accidat ? 369. Hæc unio sponsalitia ad summum durat per dimidiam horam. 370. Post transactam hanc unionem anima ad se rediens eam iterum nimium desiderat. 371. Deus ei iterum demonstrat faciem suam et iterum ab ea recedit. 372. Deus a sponsa aliquando recedit eo, quod sponsa plus nimio vacat uberum dulcedini, vix memor ipsius Sponsi. 373. Videns Sponsus sponsam jam purgatam eam iterum vocat. 374. Cursus sponsæ ad ipsum Sponsum terminatur, et quomodo ? 375. Videns Sponsus desiderium sponsæ eam ad statum matrimonii spiritualis vocat, et quomodo ?

Dico 1. Hæc felicissima unio fruitiva, qua Deus 362.
ipse per osculum et complexum unitivum clare percipitur ac degustatur, duplici quidem gradu gaudet. Alter vocatur *sponsatio spiritualis*, alter 363.
matrimonium spirituale. Sponsatio est quædam 364.
actualis unio cum Deo per realem habitationem Dei, non in centro animæ, hoc enim proprium est

matrimonii spiritualis, ut ait N. M. S. Theresia (Mans. 7. cap. 1. et 2.), sed in superiori parte
365. animæ. Pro quo sciendum est, dari duplicem unionem cum re amata, ut ait D. Thomas (1.2.q. 28. art. 1.), una secundum rem, ut cum amatus adest amanti, alia vero secundum affectum. Primam unionem facit amor affective, secundam facit formaliter se ipso, quia sine affectu non est
366. amor. Quod ergo dicimus, est, quod *sponsatio* non consistit in unione affectus, nam hæc communis est omnibus illis, qui sunt in charitate,sed *consistit in unione reali, quæ fit per illapsum Christi in anima*, non in centro illius, sed *in superiori illius parte*, non per modum habitus, sed
367. *per modum actus*. Ratio est, quia unio, quæ datur in sponsalibus,'non omnino perfecta est per modum habitus, sed est quædam unio inchoata et imperfecta, ut ait Valgonera (quaest. procemial. art. 9. n. 11.). Sed talis est hæc unio realis, quæ non est per modum habitus ; ergo in illo consistunt sponsalia spiritualia.

Hinc fit, quod eum in sponsalitio non fiat totalis transformatio animæ cum Deo, sed tantum anima adducatur ad illius realem præsentiam et ad amplexum, quando anima cognoscit, se ad
368. Deum approximari et jam amoris brachiis a Deo adstringi eique uniri, nihil omnino sentit, quia tunc omnes potentiæ consopitæ et absorptæ manent, et anima quasi cæca, muta et sine ullo interiori sensu videtur remanere ; ita ut pro tunc nulla ratione possit sentire aut intelligere, quale aut quantum sit illud bonum, quo fruitur. Ita N.

M. S. Theresia (Mans. 6. cap. 4.), ubi ait, quod *quando hoc sponsalitium celebratur, anima extra se rapitur et manet absque sensibus, quia si sentiret, se esse Deo unitam et præsentem divinæ majestati, forte e vita discederet.* Et ratio est, quia illa magna delectatio, qua anima ex præsentia et amplexu Dei perfunditur, eam absorbet. Et licet intellectus velit totaliter occupari ad concupiscendum aliquid ex hoc, quod sentit, cum tamen ad hoc ejus vires non pertingant,sic manet attonitus, quod, si non deficiat omnino, saltem non advertit, an manus vel pedes moveat, sicut dicere solemus de aliquo, qui cadens in delinquiam quasi mortuus apparet.Hic aqua gratiæ replet animam, ita ut nec ulterius procedere possit nec regredi vellet, et maxima fruitur gloria. Apparet quis quasi moribundus, expectans mortem, quam multum desiderat anima. Siquidem hic summo et indicibili perfusa gaudio mori rebus mundanis et Deo frui videtur. Nec tunc scit anima, quid agat.

Dico 2. Cum hæc unio sponsalitia non pluri- 369.
mum duret, sed vix ad horam mediam pertingat,
ut N. M. S. Theresia (cap. 8 vitæ suæ), anima ad 370.
se reversa divina illa familiaritate et amplexu Dei
animata iterum atque iterum ad osculum præteritum Sponsi adspirat,dicendo cum sponsa Canticorum (Canr. 1, 1) : « *Osculetur me osculo oris sui.*» Hoc est,ardentissimo amore desiderat illius 371.
præsentiam et amplexum. Deus autem videns
hanc animæ anxietatem iterum ostendit ei faciem
suam et ei osculum porrigit. Et ne desiderio la-

bescat, gustu suæ suavitatis lenit, et dum suam præsentiam iterum exhibet, eam ad majus dilectionis osculum accendit. Sic multoties Sponsus a sponsa recedit, vel ad sedulitatis experimentum, vel ad amoris probationem, vel ad augmentum meriti. Unde sponsa ait (Canticor. 3) : « *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea. Quæsivi illum, et non inveni.* » His animæ diligentiis quærendi et inveniendi Sponsum declaratur, quantum ferveat illius amore et quanta in ejus præsentia fruebatur suavitate et lætitia.

372. *Dico 3.* Contingit etiam aliquando, quod Sponsus a sponsa recedit, eo quod sponsa plus nimium vacat uberum dulcedini, vix memor ipsius Sponsi, quem tunc non pure propter se ipsum, sed propter perceptam voluptatem inquirit. Unde non eum simplici amore amicitiæ complectitur, sed mixto amore concupiscentiæ in eo delectatur. Et ideo ab ea recedit Sponsus, ut instruatur, quod in via parce est voluptate fruendum et ad voluptatis authorem ocissime properandum. Unde Deus sponsam aliqualiter hoc modo male affectam purgat, non tam aqua tribulationum et tentationum, sed igni amoris afflictivi propter absentiam dilecti.

373. *Dico* 4. Videns Sponsus animam jam purgatam, eam iterum vocat (Canticor. 4.) : « *Veni de Libano, sponsa mea.* » Hoc est, « Veni, dealbata candore omnium virtutum. » Libanus enim interpretatur dealbatio vel candidatio. Ipsa vero clamat ad Sponsum : « *Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* » (Cant. 1.).

Hoc est, trahe me ad te non amore concupiscentiæ, sed amore amicitiæ. Non enim anima Deum sequi potest,nisi trahatur, quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Unde anima cognoscens suam infirmitatem et videns, suis meritis nihil posse agere,postulat, ut Deus auxiliis divinæ gratiæ eam ad se trahat,ut cum eo maneat et ei adhæreat. Non trahitur invita, sed volens sponsa,cum trahi petat.Tanta siquidem est sponsi trahentis et potentia et suavitas, ut cum sponsa trahitur, non tantum voluntate, sed etiam voluptate trahatur, ut mire probat Augustinus, tum autoritate cujusdam poetæ dicentis : « *Trahit sua quemque voluptas* », tum experientia.Nam si puer ostensis nucibus trahitur, cur ostensa veritate Deus animam libere et sponte sequentem non trahet ? Trahi ergo desiderat sponsa a Sponso, quia sequi non potest Deum giganteis passibus currentem, salientem in montibus, transilientem colles. Et propterea rogat, se trahi.

Dico 5. Cursus sponsæ, qui est divinæ tracta- 374.
tionis effectus, ad ipsum Sponsum terminari debet, ut ipso tandem apprehenso quiescat et deliciose eo fruatur. Unde paulo post ait sponsa (Cant. 1, 6.) : « *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* » Vult namque dilecti Sponsi, spretis omnibus aliis, perenni consortio frui. Et ideo non amplius eum currentem, sed pascentem et cubantem in meridie videre properat. Unde videtur dicere : « *Quid*

mihi est in cœlo et a te quid volui super terram ?» (Ps. 72, 25.) Nullius alterius consortio satiari possum, quia nec creata visibilia, nec cœlestia beatorum commercia me desolatam recreare possunt. » Solus enim Sponsi advenientis illapsus intimus desiderium meum complet et mentem quietat. Unde soli Deo vacare studet. Unde Canticor.8.) ait : « *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te et jam me nemo despiciat ?* » Quasi diceret : « Quis te mihi reddet, ut te feliciter frui valeam foris, scilicet de tot tantisque tumultibus, vel etiam de corpore mortis hujus libera, et deosculer te, ferventissimo videlicet amoris actu, tibi tam arcte inhærendo, ut sit inter spiritum tuum ac meum sicut inter osculantia se corpora mutuus contactus ? »

375. *Dico 6.* Videns piissimus Deus hujus sponsæ desiderium, eam (Cant. 2.) ad delicias societatis suæ et ad statum matrimonii spiritualis post tot hiemis rigores ac tempestates vocat dicendo : « *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit, flores apparuerunt in terra nostra ; tempus putationis advenit.* » Hoc est, « surge in altiora, ut columba in nidum, convola per charitatis incrementum, formosa decore virtutum. Jam laborum hiems transiit, imber dolorum et lacrymarum abiit et recessit, quando et culpæ frigus mentis germen suffocabat et vehementis diabolicæ incursionis imber cordis fœcunditatem devastabat. Jam facies terræ, flante

austro Spiritus Sancti eamque calefaciente mutata est. Unde flores apparuerunt in terra nostra, scilicet actus ordinati et aspectu pulchri in anima tua consiti, et cœlestium splendores gratiarum. Tempus putationis advenit, hoc est, tempus, in quo spirituale matrimonium celebratur. »

SECTIO II

De altissimo gradu orationis, qua anima unitur Deo in matrimonio spirituali.

SUMMARIUM

276. Datur matrimonium spirituale inter Deum et animam sanctam. 377. Probatur sanctorum Patrum authoritate. 378. Hoc matrimonium in cœlo consummatur. 379. Hoc matrimonium est adinstar matrimonii rati, quod adhuc dissolvi potest. 380. In principio illius ostendit Deus animæ per visionem imaginariam suam humanitatem. 381. Non ostendit ei Deus suam essentiam, sed ad huc est in caligine. 382. Per gratiam et charitatem inter Deum et hominem perfectissima amicitia constituitur. 383. Amicitia spiritualis perfectissima petit ex se intimam Dei præsentiam in homine per realem existentiam intra illum. 384. Ex vi illius Deus in homine manet ut protector, et director ejus est. 385. Ex vi illius manet Spiritus Sanctus in homine ut in amico, cui intime unitur, summa veneratione colendus. 386. Deus per hanc unionem est spécialier in homine, sicut cognitum in cognoscente et amatum in amante. 387. Quomodo id debeat intelligi, declaratur. 388. Probatur id exemplo Beatorum. 389. Perfecta amicitia postulat præsentiam realem amati. 390. Amor causat unionem realem et affectīvam. 391. Realem causat effective, unionem vero affectus formaliter et quomodo ? 392. Matrimonium spirituale non consistit in sola unione reali, qua gratia unit animam Deo, sed eam supponit. 393. Addit specialem unionem per illapsum Dei in potentias animæ, et quomodo ? 394. Præsentia realis Dei in anima per gratiam est communis omnibus justis. 395. Quid addat unio matrimonii huic præsentiæ, exponitur. 396. Quando perveniat anima ad gradum, in quo fit matrimonium, declaratur. 397. Quando perveniat ad gradum, in quo fiunt sponsalia,

exponitur. 398. In matrimonio spirituali est anima Deo specialiter unita. 399. Declaratur in quodam exemplo. 400. Hoc matrimonium non est consommatum ut in patria, sed adhuc dissolvi potest ex defectu animæ. 401. Matrimonium spirituale consistit in unione reali, quæ fit per illapsum Christi in animæ centro, non per modum actus et transeunter, sed permanenter per modum habitus. 402. Probatur ratione. 403 Major est unio, quæ datur in matrimonio spirituali, quam in sponsalitio spirituali. 404. Ponitur prima differentia inter sponsationem et matrimonium spirituale. 405. Ponuntur secunda et tertia inter sponsationem et matrimonium spirituale. 406. In hoc supremo gradu matrimonii spiritualis aliquid singalare reperitur, quod non est in aliis gradibus, etiam sponsalitii spiritualis. 407. Quid hoc singulare sit, exponitur. 408. Quid in hoc sublimi statu Deus animæ communicet, declaratur. 409. Quæ munera sponsus in hoc matrimonio tribuat suæ sponsæ spirituali, declaratur.

376. Pro hujus sectionis intelligentia suppono, dari matrimonium spirituale inter Deum et animam sanctam. Et præter quam quod hæc veritas probatur ex variis Scripturæ locis, quos sectione præcedenti retulimus, probatur etiam authoritate
377. Sanctorum Patrum. Sic enim astruit Bernardus (ser. 32. in Cantica), ubi ait : « *Talis conformitas maritat animam Verbo, cum cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens; sicut dilecta est. Ergo si perfecte diligit, nupsit. Vere sptritualis sanctique connubii contractus est iste.* » Idem asserit Richardus de S. Victore (in Cantica cap. 8.), N. M. S. Theresia (Mansione 7. cap. 1. et
378. 2.) et alii immuneri. Hoc autem matrimonium tantum perfecte in cœlo consummatur,ubi anima Deo penitus indissolubili nexu conjungitur. Cum tamen hæc unio qualiscumque dissolvi possit,unde
379. hoc matrimonium in hac vita est ad instar matrimonii rati, quod adhuc dissolvi potest. Dum ta-

men illud durat, Sponsus sæpe sponsam invisit, non quidem suam faciem ei manifestando, sed speciali tactu interno dulcorem suum ei communicat, ut ait Richardus, sed decorem suum ei non ostendit. In principio ostendit ei suam humanitatem in aliqua visione imaginaria, ut bene intelligat et non ignoret donum tam sublime, ut ait N. M. S. Theresia (Mansione 7. cap. 2.). Denique suavitas ejus sentitur, sed essentia Dei non cernitur. Adhuc enim est « *caligo in circuitu ejus,* » (Ps. 96, 2.),adhuc « *thronus ejus in columna nubis.* » (Eccli. 24, 7.). Et quamvis appareat in igne, magis tamen in igne accendente, quam illuminante. Accendit namque affectum, sed non illuminat intellectum. In hoc itaque statu anima dilectum suum sentire potest, sed videre non potest. Et si videt, videt quasi in nocte, videt velut sub nube, videt denique per speculum in ænigmate, non autem facie ad faciem, unde et dicit: « *Faciem tuam illumina super servum tuum* ». (Ps. 118, 135.)

380. 381.

Ut autem hæc melius elucescant, suppono secundo, quod per gratiam et Charitatem ut ait Suarez (De Deo, lib. 12. c. 5. n. 13.) perfectissima quædam amicitia inter Deum et hominem constituitur. Amicitia vero ex se petit unionem inter amicos, non solum per conformitatem affectuum, sed etiam per inseparabilem præsentiam et conjunctionem, quoad fieri possit.Unde amicitia perfectissima et maxime spiritualis ac divina suo jure ac debito postulat intimam Dei præsentiam in homine, quem sibi hoc modo amicum consti-

382. 383.

tuit per realem existentiam intra ipsum ex vi talis amicitiæ, ita ut quamvis alio titulo ibi non esset, hic sufficeret. Quia vero hæc unio ita est amicitiæ, ut tamen non sit omnino inter æquales, sed
384. cum debita proportione, ideo ex vi illius manet Deus in homine ut protector et director ejus, cujus Deus curam gerit non solum titulo generalis providentiæ suæ, sed peculiari amicitiæ titulo. Denique quia in hac amicitia semper habenda est ratio divinæ majestatis, ideo
385. ita ex vi illius manet Spiritus Sanctus in homine ut in amico, cui intime unitur, ut simul maneat ibi tamquam amicus, summa reverentia et veneratione colendus. Adeoque manet etiam ibi præsens tamquam in templo vivo, quod ipse sibi ornat et præparat per dona creata, ut in illo et ab illo adoretur.

386. Nec hic sensus alienus est ab illo, quod D. Thomas (1. p. q. 8. art. 3. et q. 43. art. 3.) dicit, scilicet *Deum esse specialiter in creatura rationali, sicut cognitum in cognoscente, et amatum in amante.* Nam per gratiam et charitatem manet
387. Deus in anima et objectum cognitum et amatum, non utcumque, sed per modum amici intime dilecti, qui non utcumque objective dicitur esse in amante, sed tamquam bonum intime præsens et intra ipsum amantem existens, ut eum peculiariter custodiat et regat, et ab eo in corde suo
388. colatur et adoretur. Quod potest declarari exemplo Beatorum. Nam, ex vi luminis gloriæ habent Deum peculiari modo in suis mentibus præsentem in ratione objecti visibilis, intime quodam-

modo unitum ipsis Beatis,ut per se ipsum et absque alio medio videatur ; ubi lumen gloriæ non facit quidem per se ipsum novam unionem physicam inter Deum et intellectum, ut eo modo dicatur, illum facere præsentem,est tamen talis dispositio, quæ natura sua postulat talem præsentiam, etiam præcisa ratione immensitatis. Eodem ergo modo gratia et charitas est similis dispositio titulo amicitiæ, quo Deus intime est præsens realiter unitus animabus justorum, ut supra diximus.

Juxta ergo hanc doctrinam *perfecta amicitia*, 389.
qualis est illa, quæ per gratiam et charitatem habetur inter Deum et animam, *postulat unionem inter amicos, non solum per conformitatem affectuum, sed etiam per præsentiam inseparabilem, quantum possibilis est in hac vita.* Et licet utramque unionem, realem scilicet et affectivam, causet 390.
amor, diverso tamen modo illas causat. Nam 391.
realem causat effective,quia semper movet amantem, appetere et quærere præsentiam amati ; unionem vero affectus efficit amor formaliter, siquidem ipse amor est ipsa unio et vinculum et nodus, quo in uno uniuntur affectus sic se amantium. Ita D. Thomas (1. 2. q. 28. art. 1.), ubi explicans Dionysium ait : « *Amor duplicem unionem facit, realem et effectivam ;* » et priorem dicit esse,cum amatus præsentialiter adest amanti, et hanc, inquit, facit amor effective, quia movet ad desiderandam et quærendam præsentiam amati, quasi sibi convenientis ; affertque Augustinum (lib. 8. de Trinitate, cap. 10.) di-

centem, quod *amor est velut junctura duo aliqua copulans, vel copulare appetens.* Et exponit D. Thomas, quod dicit : « copulans »,referri ad unitatem affectus ; quod dicit : « copulare appetens », pertinere ad unionem realem. Quia ergo Deus perfecte amat, quos sanctificat, et quia, quod intendit, assequi potest, ideo ex vi talis amoris animæ unitur secundum præsentiam realem.

392. Tertio suppono, *matrimonium spirituale* non consistere in sola unione reali, qua gratia unit
393. animam Deo, sed eam supponit et *addit specialem unionem Dei ad intellectum et voluntatem*, quod fit (ut supra diximus) per illapsum Dei in hujusmodi potentias, non per præsentiam realem objecti in se intuitive cognitam per modum speciei, ut habent Beati, sed per realem præsentiam objecti non in se intuitive cogniti, sed tanctum experimentaliter per indicia, ut diximus Tract.4. dis. 1. sec. 2.n. 16. Et ratio est,quia hæc præsen-
394. tia realis Dei per gratiam in anima est communis omnibus justis. Non ergo in illa potest consistere matrimonium spirituale, quod Deus init cum perfectissimis animabus. Ad matrimonium ergo
395. aliquid ultra requiritur. Hoc autem nihil aliud est, quam *specialis præsentia realis, qua Deus fit præsens intellectui et voluntati contemplantis.* Hoc autem fit hoc modo. Postquam anima per gratiam veluti deificata est et Deo similis per illius naturæ participationem, ipsa gratia per habitus infusos virtutum, qui dimanant ab ipsa, sicut vires ab essentia, perficit potentias, ut faciant suos actus perfectos in operatione, specialiter cogni-

tionem et amorem, unde alii sumunt valorem et perfectionem. Et quo magis gratia in anima augetur, crescit et radicatur, eo crescunt cognitio et amor. Quando igitur amor pervenit ad gradum perfectissimum, quem D. Thomas cum D. Bernardo vocat : « *In quo facit stringere indissolubiliter* », tunc celebratur matrimonium spirituale.

Nam, ut ait D. Thomas, qui stringit, tenet, et 396.
qui tenet, tangit, et qui tangit, non distat, sed miro et indissolubili modo sapit et sapitur, tenet et tenetur, stringit et stringitur et una uni per amoris copulam sociatur. Amor enim, ut ait Dionysius, est copula amantis cum amato. Copulat namque animam Deo, creaturam creatori, finitum infinito. In hoc autem gradu amoris affectivi, ut ait D. Thomas, *quidam sunt hospites et transitorii*, *quidam vero incolæ et mansionarii*. Hospites sunt, qui eunt et redeunt ; mansionarii sunt, qui indissolubiliter stringuntur, ut fecit sponsa, quando dixit : « *Inveni*, *quem diligit anima mea. Tenui eum*, *nec dimittam.* » In quibus verbis D. Thomas clare ponit sponsalitium et matrimonium spirituale. Nam tam sponsalitium quam matrimonium supponunt hanc præsentiam realem Dei in anima per gratiam et insuper præsentiam illius realem in potentiis intellectus et voluntatis per altissimam cognitionem et amorem. Sed sponsalitium 397.
fit transeunter per modum hospitis, qui accedit et recedit. Matrimonium vero fit habitualiter et 398.
permanenter per modum habitus. Nam licet intellectus non semper sit in actuali contemplatione unitus Deo nec voluntas in actuali amore, est

tamen intellectus veluti habitualiter unitus, quate-
399. nus re ipsa habet Deum præsentem, sicut homo, qui est in quadam domo cum altera persona, si claudatur fenestra, non illum videt, bene tamen sentit, ibi alterum esse, ut ait N. M. S. Theresia (Mansione. 7. cap. 1.). Sic ergo se habet intellectus in hoc matrimonio.

Verum quidem est, quod non est semper in actuali cognitione et contemplatione et amore Dei, sed quamvis illum aliquando non videat, nec amet actu, habitualiter tamen illum secum sentit et intelligit, sibi esse præsentem. Nec per hoc quod ad alia opera virtutum distrahatur, amittit hanc præsentiam, sed in quocumque opere bono eam sentit. Unde dicebat sponsa : « *Ego dormio, et cor meum vigilat.* » Sive enim commedat, sive bibat, sive alia opera virtutum faciat, semper sentit hanc præsentiam Dei in centro animæ et sibi unitam. Est enim iste amor, quantum est ex parte Dei, indissolubilis, et solum ex
400. defectu animæ amitti poterit. Non enim est matrimonium consummatum ut in patria, sed adhuc ex culpa hominis dissolvi potest. Unde ait N. M. S. Theresia (Mansione 7. c. 1.) : « *Ad omnia, quæ ad Dei cultum et obsequium spectant, multo est anima attentior ; cumque ab externis vacat occupationibus, cum jucundo hoc manet contubernio, et, nisi anima primo deficiat a Deo, ipse numquam, ut mihi quidem apparet, in sua præsentia ei tam liquido manifestanda deficiet, magnamque concipit fiduciam, numquam fore, ut a Deo qui hanc sibi gratiam præstitit, ita deseratur, ut pereat.* »

Dico 1. Matrimonium spirituale consistit in 401.
unione reali, quæ fit per illapsum Christi in centrum animæ et in illius potentias intellectus et voluntatis modo explicato, non per modum actus transeuntis, ut fit in sponsalibus, sed *permanenter per modum habitus*. Ratio est, quia unio, quæ 402.
datur in matrimonio, etiam rato, est unio ex natura sua perpetua, firma et stabilis, et per modum habitus, conjungens realiter et non solum per affectum, contrahentes. Sed in hoc gradu unionis Deus non solum per affectum, sed realiter, permanenter et per modum habitus centro animæ et ejus potentiis unitur eisque oscula spiritualia imprimit et multo etiam ab ipsa anima osculatur, percipitur, attingitur, stringitur et tenetur. Ergo in hac reali unione consistit matrimonium spirituale, quod quidem contrahitur per charitatis affectum, sed perficitur per illapsum Dei in centrum animæ et ejus potentias et per ejus complexum. Ita N. Thomas a Jesu (de oratione divina, lib. 4. cap. 29.) et Valgonera (q. procemiali, art. 9. n. 11.). Hinc fit, 403.
quod sicut multo major unio datur in matrimonio corporali inter contrahentes, quam in sponsalitio, ita in isto gradu unionis, qui vocatur matrimonium spirituale, est multo major unio animæ cum Deo, quam in præcedenti oratione unionis, quæ dicitur sponsalitium spirituale, inter quos gradus unionis multæ sunt differentiæ.

Dico 2. Prima differentia est, quod in unione 404.
spiritualis sponsationis, saltem tempore, quo celebratur, omnes potentiarum operationes absor-

bentur. Unde anima remanet cæca, muta et pene sensu privata, et propterea nescit discernere qualis sit hæc gratia, qua fruitur.In hoc autem sublimi gradu unionis Dominus ejus aperit oculos, ut aliqualiter intelligat gratiam tunc illi communicatam. Hic mirabili quadam repræsentatione intellectuali personæ sanctissimæ Trinitatis ei manifestantur, quæ cum ipsa familiariter agunt et ordinarie cum ipsa commorantur, multisque modis ipsam recreant et divinis muneribus ditant. Quamvis talis repræsentatio non sit semper æqualis, aliquando namque magis est manifesta, aliquando minus ; præcedit tamen hanc manifestationem suavissima quædam spiritus inflammatio instar cujusdam lucidissimæ nubis ; ibique notitia quadam admirabili percipit, qua ratione tres personæ sint una substantia, una potentia, una sapientia, et unus solus Deus, ita ut quod fide tenemus, ibi anima, ut ita dicam, quasi intuitive cognoscat.

405. *Dico 3. Secunda differentia est*, quod omnes gratiæ et favores, quos divina majestas animæ communicat in unione, quæ est per modum sponsalitii spiritualis mediis sensibus recipiuntur. Sed hæc unio matrimonii spiritualis fit in intimo animæ centro,in quo apparet Dominus in visione intellectuali multo sublimiori, quam in aliis gradibus unionis cujuscumque. *Tertia differentia est*, quod in hac unione matrimonii spritualis præter gaudium excessivum ibi perceptum remanet anima velut in Deum transformata. Unde est ab ipso pene inseparabilis, sicut contingit in ma-

trimonio corporali inter personas contrahentes. Sed in unione sponsalitii spiritualis hoc non contingit. Non enim continuam Dei presentiam in ea sentit anima. Deus namque in hoc statu abscondit se sæpius animæ, quia sicut sponsalitium corporale non conjungit inseparabiliter personas, sic nec sponsalitium spirituale conjungit inseparabiliter animam Deo.

Quæ omnia sequenti exemplo possunt expli- 406
cari, si dicamus, *unionem sponsalitii esse similem duabus cereis candelis*, quæ ita intime connectantur, quod ex duabus una lux unusque lychnus fiat. Adhuc tamen non ita remanent unitæ, quin ab invicem separari possint et fieri sicut antea duæ candelæ. *Matrimonium vero spirituale merito comparari potest aquæ cœlesti in fluvium cadenti*, ubi ita ex duabus aquis una resultat, ut nulla ratione possint amplius dividi aut distingui, seu discerni, utra sit aqua fluvii, utra cœlestis. Vel hæc unio similis dici posset *luci per duas fenestras in cubiculum ingredienti*, quia quamvis in ingressu dividantur, tamen una lux efficitur. Et hoc forsan est, quod dixit Paulus : « *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* » In quo jam præsupponitur, per sponsationem spiritualem fuisse Deo unitum.

Dico 4. In hoc supremo gradu unionis spiri- 407.
tualis matrimonii aliquid singulare reperitur, quod non est in aliis gradibus etiam sponsalitii spiritualis, ut ait N. M. S. Theresia (Mansione 7. cap. 3.). In eo namque non reperiuntur ariditates nec turbationes internæ, quæ in aliis gradibus

solent reperiri. Sed *hic manet anima in pacifiac quiete semper tranquilla cum alto silentio et absque strepitu.* Hic in anima Dominus operatur, ut videatur templum Salomonis, quod absque malleorum strepitu fabricatum est. Percipit tamen anima, quid in ea suaviter operatur Deus. Potentiæ quippe ipsius non manent suspensæ, ligatæ vel deperditæ, sed tantum attonitæ. Tandem in hoc gradu, saltem ordinarie, tolluntur ab anima raptus, qui prius frequenter accidebant, quantum ad effectus exteriores, qui sunt suspensio sensuum, carentia caloris naturalis ; nec sentit volare spiritum sicut antea, quantumcumque motiva devotionis occurrant. Sed potius intra se ipsam in intimum centrum se colligit ad Sponsum, ut eo cum silentio fruatur. Sic roboratur et firmatur anima, quod omnes debilitates, quas prius in ecstasi, in raptu, in avolatione spiritus patiebatur, penitus amittat, quamvis quidquid perfectionis erat in prædictis gradibus orationis, in hoc gradu constantis unionis conservet.

408. *Dico 5.* In hoc sublimi statu matrimonii spiritualis Sponsus Christus *Dominus mira cœlestium arcanorum et suorum secretorum mysteria sponsæ animæ denuntiat.* Mutuus namque sic tenere se diligentium amor secretum non patitur. Cum enim se totum sponsæ dedisset, cordis sui erga ipsam accensi sinus omnes aperit et ima pandit penetralia, non solum in patria, quando penitus indissolubile matrimonii vinculum in perpetuam manebit æternitatem, sed etiam hic, quando jam sponsa perfecte virtutum ornamentis decorata sui

Sponsi societate et familiaritate frui meruerit. *Tanto Sponsus ille divinus dilectæ suæ flagrat amore, quod ipsam aperte sponsam nominet*, ut accidit N. M. S. Theresiæ, ad quam veniens divinus Sponsus clavo sacratissimæ passionis ipsi tradito loco sponsalitii annuli spirituale cum ea contraxit matrimonium, quod ei manifestans ait : « *Deinde ut vera sponsa meum zelabis honorem.*» Et propterea veste candida et pretiosissima ac torque aurea gemmis plena per Virginem sanctissimam et S. Joseph fuit decorata. Quod in S. Agnete etiam legimus factum, ut ipsa fatetur, dicens : « *Dexteram meam et collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas.Induit me cyclade auro texta, et immensis monilibus ornavit me. Annulo suo subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus, et tamquam sponsam decoravit me corona.* »

Dico 6. Sicut in matrimonio corporali præter 409.
mutui amoris signa Sponsus plurima sponsæ munera concedit et vicissim sponsa suo Sponso, ita multo pretiosiora dona traduntur in matrimonio spirituali. Nam hic non solum spiritualia dona virtutum et charismatum gratiæ, sed etiam sensibilia, ut vidimus in N. M. S. Theresia et S. Agnete, conceduntur : dantur arrhæ. *Arrha autem, quæ datur in matrimonio spirituali est Spiritus Sanctus.* Ille quamdam certitudinem moralem suæ sponsæ tribuit, quod sit in gratia Dei, immo et firmam spem suæ salvationis, quamvis aliquando permittat Dominus et dulcissimus ejus Sponsus ad augmentum meriti et ad probationem

fidelitatis ac tandem ad humilitatis exercitium, quod sancto timore filiali prematur, dum cogitat, aliquos de tam sublimi statu miserrime decessisse, ut contigit in Salomone. Denique in matrimonio corporali fit mutua corporum inter contrahentes traditio, ita ut *jam non sint duo, sed una caro*, ut docet Apostolus (Ephes. 5, 31.). *In matrimonio vero spirituali fit inter animam et Deum mutua voluntatum traditio*, qua sponsæ anima se Dei Sponsi voluntati conformat. Et Deus statuit, voluntatem sponsæ diligentis facere multo magis, quam facere voluntatem timentium se. Unde non sunt jam duo, sed unus spiritus. Ita docet idem Apostolus dicens, quod « *qui adhæret Domino, unus spiritus est.* » (1. Cor. 6, 17.)

SECTIO III

Explicantur gradus, quibue anima ascendit ad matrimonium spirituale.

SUMMARIUM

410. Dantur decem gradus amoris, quibus anima sancta ascendit ad matrimonium spirituale. 411. Explicatur primus gradus, in quo charitas facit languere utiliter. 412. Explicatur secundus gradus, in quo facit quærere incessanter. 413. Explicatur tertius gradus, in quo operari indesinenter. 414. Explicatur quartus gradus, in quo facit sustinere infatigabiliter. 415. Explicatur quintus gradus, in quo facit appetere impatienter. 416. Explicatur sextus gradus, in quo facit currere velociter. 417. Explicatur septimus gradus, in quo facit audere vehementer. 418. Explicatur octavus gradus, in quo facit stringere indissolubiliter. 419. Explicatur nonus gradus, in quo facit ardere suaviter. 420. Explicatur decimus gradus, in quo facit assimilari totaliter.

410. *Dico* 1.D. Thomas (opusc. 61) (1). ponit decem

(1) ed. Vivès, vol. 28., opusc. 54.

gradus divini amoris, desumptos ex D. Bernardo, et in illis ponit media, quibus anima sancta pervenit ad matrimonium spirituale. Primus gradus 411.
est, *in quo charitas facit languere utiliter.* » *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo.* » (Cant. 5.) Super hunc gradum anima pedem ponit, cum primum amare Deum incipiens a peccato languescit. Verum infirmitas hæc non est ad mortem. Unde de ea dicebat Paulus : « *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* » Secundus gradus 412.
est, *in quo facit quærere incessanter.* Super hunc gradum anima pedes ponit, cum convalescens ex infirmitate Deum quærit. Unde Psalm. 104. dicitur : « *Quærite faciem ejus semper.* » Et sponsa dixit Canticor. 3: « *Paululum cum pertranissem eos, inveni quem diligit anima mea.* » Deus enim non in occasione peccati, sed in luce gratiæ invenitur.

Dico 2. Tertius gradus est, *in quo amor facit* 413.
operari indesinenter. Super hunc gradum anima pedem sistit, cum operatur magna et reputat pauca, operatur diu, et reputat breve. Amanti enim nihil magnum. Unde Augustinus dixit : « *Nihil majus est animo habenti charitatem, præter eum, qui dedit charitatem, nihil ei videtur multum* ». Unde David dixit : « *In mandatis ejus cupit nimis.* » Nihil ei videtur longum. Unde Jacob septem anni visi sunt pauci dies præ amoris magnitudine. Quartus gradus est, *in quo amor* 414.
facit sustinere infatigabiliter. In hoc gradu anima pedes sistit, quando omnia gravia et immania facilia et prope nulla æstimat. Unde dicebat

Petrus : « *Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.* » (Luc. 22,23.), cum alias mors sit ultimum inter terribilia. Probatio enim charitatis exhibitio est operis ; sed validior probatio sustinentia tribulationis. In hoc gradu existentes Dominus specialiter semper adjuvat. Unde dixit : « *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum.* » (Ps. 90, 15.)

415. *Dico 3.* Quintus gradus est, *in quo facit appetere impatienter.* Super hunc gradum anima pedem sistit, quando prægustans aliqualiter bonum immutabile, cogitur illud impatienter appetere, secundum illud Ecclesiastici 24 : « *Qui edunt me, adhuc esurient.* » Immo hic non tantum esurit, sed et bolismum patitur summi boni ; hiat et inhiat, concupiscit et deficit, juxta illud Psalmi 83 : « *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domi-*

416. *ni.* » Sextus gradus est, *in quo facit currere velociter.* Super hunc gradum anima pedem sistit, quando famem patiens ut canis circumit civitatem, id est universum mundum ; id est non facit moram in creaturis, sed post creatorem discurrit, juxta illud Psalmi 41 : « *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* » Qui enim est in hoc gradu, cucurrit in siti. Et quomodo cucurrit ? Sine iniquitate cucurrit, et direxit. Directus autem cursus est a summo deorsum, vel ab imo sursum, juxta illud Psalm. 18 : « *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.* »

417. *Dico 4.* Septimus gradus est, *in quo amor facit*

audere vehementer. In hoc gradu anima sistit pedem, quando a Deo per charitatem confirmata audet vehementer. Nam *charitas omnia superat* (1. Cor. 12.). Et quando summe confortatur, securatur. Nam ut ait Joan. (Cap. 1, 4.): « *Perfecta charitas foras mittit timorem.* » In hac enim vita, ut ait D. Thomas ibi, « *sperare multorum est, audere paucorum, securitas paucissimorum, immo nullorum, nisi excellentissime privilegiatorum.* » Sic audebat sponsa, quando dixit : *Osculetur me osculo oris sui.* » Ubi D. Bernardus exclamat (In Cantica, serm. 8.) « *O sancta anima, reverentiam habe, quoniam ipse est Dominus Deus tuus fortasse non osculandus, sedadorandus.* » Fateor, quia honor regis judicium diligit, sed præceps amor nec judicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subjicitur. Concludit tamen D. Thomas (loc. cit.): « *Scito tamen, quod ad præcipitium disponeris, si hunc septimum gradum præsumpseris, antequam sex priores transieris.* »

Dico 5. Octavus gradus est, *in quo facit stringere indissolubiliter*. In hoc gradu anima pedem sistit, quando Deo conjungitur per sponsalitium vel matrimonium spirituale. Cujus ratio est, quia omnia præcedentia fieri possunt in distantia per solum affectum. Verum hic primum est conjunctio amantis cum amato. Qui enim stringit, tenet, qui tenet, tangit, qui tangit, non distat. Similiter et quærens. Nec enim langueret et quæreret, nisi distaret. Sed et currens distat, et ideo currit, ne distet ; et sic de aliis. Stringens autem non di- 418.

stat adhuc, sed adstat, vel magis instat. In præcedentibus ergo gradibus anima amat et amatur, quærit et quæritur, vocat et vocatur, In hoc autem gradu quodam miro et indissolubili modo rapit et rapitur, tenet et tenetur, stringit et stringitur, et una uni per amoris copulam sociatur. Adverte tamen, quod aliud est, ponere pedem in gradu, aliud statuere. Ponens namque nonnumquam retrahit et deponit; statuens autem figit. Qui ergo tantum ponit pedem in hoc gradu et deponit tantum, init cum Deo sponsalia. Habet enim se transeunter per modum hospitis. Qui autem stat, ut dictum est Danieli (Dan. 10, 11.): « *Sta in gradu tuo* », ita in gradu suo hic init cum Deo matrimonium, quia hic non transeunter pedem in gradu ponit, sed stat et firmat super se ipsum, ut faciebat sponsa, quando dixit: « *Inveni quem diligit anima mea. Tenui illum, nec dimittam.* » (Cant. 3, 4.)

419. *Dico 6.* Nonus gradus est, *in quo facit ardere suaviter.* In hoc gradu pedem ponit anima, quando postquam Sponsum suum adstringit indissolubiliter, amore ejus exarsit, non solum amore habituali, sed actuali, quiescens in pace contemplationis, ut erant illi discipuli sedentes in Jerusalem, super quos descendit ignis divinus, de quibus ait Gregorius (hom. 30. in Evang.): « *Dum Deum in ignis visione susceperunt, per amorem suaviter arserunt.* » Hi autem suaviter ardentes amore actuali in hoc nono gradu sunt Seraphim in proximo cognitionis gradu attingentes, de quibus dixit Dionysius* : « *Seraphim est*

calidum, fervidum et superfervidum. Hæc est visio magna, ardor sine pœna, suavis, non gravis.» Et sicut Moyses miratus est, quod rubus arderet, et non combureretur, ita anima in hoc actuali amore ardet, et non comburitur. Ut enim ait N.S.P. Joannes a Cruce (Flamma amoris, Cant. 1. vers. 1.): « *Flamma divini amoris tam tenere inflammat animam, ut ipsa in ignem Spiritus Sancti transformata suaviter ardeat*, » ita ut omnes ejus actus interiores sint flammæ ignis et inflammationes actuales amoris, quibus unita Deo voluntas intensissime amat, facta per amorem eadem flamma cum flamma divini amoris. Et differentia, quæ datur inter transformationem amoris et flammam amoris, est illa, quæ datur inter habitum et actum, vel inter inflammatum lignum et flammam ignis. Nam flamma est affectus ignis ibi adhærentis. Unde sicut quoties a ligno inflammato exsurgit flamma, ipsum lignum magis inflammatur et clarescit, ita quoties ab amore habituali exsurgit amor actualis in anima, in amore crescit et Deo magis assimilatur et clarius illum intuetur et suavius amat. Vide Fr. Josephum a Jesu Maria (*Paradis. spiritual. lib. 4. cap. 6.).

Dico 7. Decimus gradus est, *in quo facit assimilari totaliter.* Relicta assimilatione proportionis et qualitatis, de quibus late agit D. Thomas, anima assimilari potest Deo totaliter in receptione sicut cera assimilatur sigillo, speculum rei oppositæ, cujus speciem recipit. Et hanc similitudinem inchoat cognitio et consummat dilectio. 420.

Sed utrumque incipit in via et completur in patria, utrobique magis et minus. De cognitione ait Paulus (2. ad Corinth. 3.): *Nos revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur.* » Et 1. Joan. 3. dicitur : « *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.* » Sed tunc similes Deo erimus, cum in speculum animæ quasi propriam speciem projiciet et in intellectum secundum essentiam cadet. Et de amore Hugo * ait : « *Scio, anima mea, quia quidquid diligis, vi amoris in ejus similitudinem transformaris.*» Fit autem hujusmodi assimilatio quandoque ex sola oppositione, ut patet in speculo et specie ; quandoque ex impressione, ut patet in cera et sigillo. Prima assimilatio potest fieri inter distantia, secunda solum inter conjuncta. Primam gignit intellectus cognoscentis, secundam affectus amantis. Gradus ergo decimus, in quo anima facit assimilari totaliter ultra Seraphim, est, qui tam assimilatur excellenter, utpote quibus in summo convenit Angeli definitio, quam ponit Dionysius (De divinis nominibus, c. 4. §. 22) : « *Angelus est imago Dei et arcani luminis declaratio, speculum purum, clarissimum, integrum, immaculatum, incontaminatum, totam in se recipiens (sidictu fas est) pulchritudinem boniformis deiformitatis, liquidoque (quoad fieri potest) in semetipso resplendere faciens secretissimi illius silentii bonitatem.*» Fecit ergo summus artifex in ostentationem pleniorem artis suæ speculum unum clarissimo clarius, Seraphim tersius et purius, et tantæ puritatis, ut purius intelligi non posset,

nisi Deus esset, personam scilicet gloriosissimæ Virginis. Sed rursum ex isto mirabiliter produxit aliud nobilius, quod ineffabiliter in unitatem divinæ personæ assumptum, ut conjuncta summæ et immediatissimæ faciei divinæ ipsam plenissima et totali similitudine repræsentet, nec jam dicatur homo divinus, ut a Deo sigillatus, sed homo Deus, una persona, gemina natura. Et hoc quod est assimilari totaliter, dicitur de Christo.

SECTIO IV

Utrum unio actualis aliquando concurrat cum unione habituali in matrimonio spirituali ?

SUMMARIUM

421. Datur duplex unio amantis ad amatum, procedens a charitate. 422. Prima est secundum rem, alia secundum affectum. 423. Primam facit amor effective, secundam facit formaliter. 424. Quando gratia habitualis intensissima est, regeneratur anima in naturam divinam. 425. Animam sic divinitatam unit sibi Deus unione habituali. 426. Quid sit unio habitualis, explicatur. 427. Ad hanc gratiam habitualem sic radicatam sequitur quædam unio actualis specialis. 428. Ex hac unione actuali resultat alia habitualis. 429. Anima in hac unione habituali non tam perfectam habet dulcedinem, quam in unione actuali. 430. In hac unione actuali consistit matrimonium spirituale, et cur ? 431. Hæc unio habitualis supponit ut sponsalitium unionem actualem et ut radicem primam unionem habitualem. 432. Quando fiant sponsalitia spiritualia in hoc matrimonio, declaratur. 433. Quando celebretur matrimonium spirituale, declaratur. 434. Ponuntur aliqui effectus hujus unionis matrimonialis 435. Anima in hoc statu matrimonii spiritualis, seu unionis habitualis introducitur ad cœlum et paradisum spirituale. 436. Ostenditur id ratione. 437. Cum hac unione habituali multoties actualiter unit Deus sibi animam, et quomodo ? 438. Probatur authoritate D. Thomæ. 439. Probatur authoritate S. Theresiæ. 440. Probatur ex doctrina S. Joannis

a Cruce. 441. Hæc unio actualis, quando concurrit cum unione habituali, non causat raptum nec alienationem a sensibus. 442. Non impedit animam, ut attendat ad res exteriores, sed potius expeditiorem relinquit ad omnes actus virtutum internos et externos. 443. Probatur id ratione.

421. Pro hujus sectionis intelligentia notandum est, dari duplicem unionem amantis ad amatum, pro-
422. cedentem a charitate : una quidem secundum rem, puta cum amatus præsentialiter adest amanti ; alia vero secundum affectum. Nam cum aliquis amat aliquem amore amicitiæ, vult ei
423. bonum sicut et sibi. Primam unionem facit amor effective, quia movet ad desiderandam et quærendam præsentiam amati, quasi sibi convenientis et ad se pertinentis; secundam autem unionem facit formaliter, quia ipse amor est talis unio et nexus, ut cum Augustino explicat D. Thomas
424. (1.2. q. 28. art. 1.). Quando ergo gratia habitualis intensissime inest subjecto, scilicet in anima, et veluti penetratur ab ipsa, *regeneratur ipsa anima in naturam divinam*. Sicut enim per potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam per unitatem fidei et secundum potentiam voluntatis amorem divinum per virtutem charitatis, ita etiam per naturam animæ participat secundum quamdam similitudinem naturam divinam per quamdam regenerationem, sive re-
425. novationem, et divinitata natura animæ Deus unit eam habitualiter sibi, et dat illi facultatem, ut possit gaudere et frui ipsius donis et etiam ipsamet persona divina.

426. *Dico 1.* Unio habitualis nihil aliud est, quam gratia hubitualis perfectissima, multum radicata

in anima et data per modum permanentis, mediante qua anima transformatur in Deum in se, secundum esse personale, non secundum totam plenitudinem gratiæ ex parte gratiæ, sed secundum totam gratiam ex parte subjecti, secundum suam conditionem, sive secundum intentionem, usque ad terminum ei præfixum a Deo, justa illud Pauli ad Ephes. 4 : « *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* », sive etiam secundum virtutem, in quantum scilicet habet facultatem gratiæ ad omnia, quæ pertinent ad suum officium sive statum. Et ista est gratia habitualis in quantum homines per charitatem deiformes efficiuntur, et qua sunt supra homines, et eorum conversatio in cœlis est. Et sic cum Deo et Angelis ejus conveniunt, in quantum ad similia se extendunt, secundum quod Dominus docet : « *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* » (Matth. 5.).

Dico 2. Ad hanc gratiam habitualem adeo radi- 427.
catam sequitur quædam unio actualis specialis, quatenus potentiæ animæ, quantum patitur status vitæ præsentis, Deo adhærent, intellectus per cognitionem pene continuam et velut evidentem, voluntas vero per amorem, non tantum desiderii, sed quodammodo satietatis et fruitionis. Ex hac autem unione actuali fruitiva resultat alia 428.
habitualis, quæ ideo talis dicitur, quia ex illa manet sigillata voluntas habitualiter, ut cætera despiciat. Et quamvis rebus diversis vacare teneatur ex obedientiæ præcepto, vel charitatis

paternæ titulo, quia tamen propensam se ordinarie sentit ad summum illud bonum, quo prius fruebatur, quo etiam frui desiderat et sperat, ideo hæc unio dicitur habitualis, sive per modum habitus.

429. *Dico 3.* Quamvis anima in hac unione habituali non tam perfectam habeat dulcedinem, nec tam jucundam suavitatem, nec tam firmam suorum sensuum tranquillitatem, cum non fruatur ipso actu unionis, quia tamen in eo statu persistit et quadam habituali delectatione et suavitate et
430. tranquillitate patitur, ideo in hac secunda unione habituali ponimus matrimonium spirituale, quod
431. supponit ut sponsalitium prædictam unionem actualem fruitivam, et ut radium et fundamentum primam unionem habitualem. Prius enim homo per gratiam fit particeps naturæ divinæ ; et quando in gratia pervenit ad illam perfectionem, qua Deus non solum fit præsens animæ essentiæ per gratiam, sed etiam ipsis potentiis, intellectui scilicet et voluntati, et eis unitur, *tunc*
432. *fiunt sponsalia.* Et quando Deus per hanc unionem habitualem remanet sic unitus et præsens non solum essentiæ animæ, sed etiam intellectui et voluntati, non solum per modum actus, ut in unione actuali, sed permanenter per modum ha-
433. bitus, tunc dicitur, *dari matrimonium*, quod contrahitur per unionem actualem, et remanet vinculum matrimonii habitualis per hanc unionem habitualem.

434. *Dico 4.* Per hanc unionem habitualem remanet memoria dulcis præteritæ unionis et spes adest ipsius sæpe futuræ. Et effluunt ex illa in intellec

tum vivæ quædam et admodum expressivæ rerum cœlestium tunc sibi objectarum species, quæ quamvis aliis, præsertim inexpertis ob sui eminentiam declarari non possint, ipsi tamen animæ deserviunt ad perfectam, quamvis abstractivam illarum contemplationem. Et tunc felix hæc anima potest dicere cum Apostolo (ad Roman. 8.) : « *Certa sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatns, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* »

Dico 5. Anima in hoc statu unionis habitualis 435.
seu matrimonii spiritualis introducitur ad paradisum spiritualem et ad cœlum, juxta illud Pauli (2. ad Corinth. 12.) : « *Raptus est in paradisum* », et raptus est « *usque ad tertium cœlum.* » Et ratio 436.
est, quia sicut Angelis in cœlo est quædam excellentissima claritas, qua Deum vident, et summa suavitas, qua Deo fruuntur, ita animabus in hoc statu communicatur quædam claritas, qua Deum in centro animæ vident, et mira suavitas, juxta illud Isaiæ 66 : « *Videbitis, et gaudebit cor vestrum.*» Et ideo dicuntur introduci in cœlum et in paradisum.Nam cœlum nihil aliud dicit,quam altitudinem cum claritate, qua Deus ab Angelis videtur, et paradisus quamdam suavitatem, qua Deo fruuntur. Cum ergo animæ in hoc statu et Deum clarissime videant, quantum patitur in hac vita cum habitu fidei, et eo fruantur, vere dicuntur introduci in cœlum et in paradisum. Unde

tantæ suavitatis et felicitatis quasi admiratus dixit David (Psalm. 30.) : « *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine !* » Et Apocalypsi 2.dicitur :« *Vincenti dabo manna absconditum* », quia ista dulcedo et manna absconditum est gaudium de divina fruitione : « *Intra in gaudium Domini tui.* » (Matth. 25.). Ergo cum animæ in hac habituali unione Deum perfecte contemplentur et eo fruantur,dicuntur introduci in cœlum et in paradisum spiritualem.

437. *Dico 6.* Cum hac unione habituali, qua Deus arctissime sibi unit animam non solum secundum essentiam, sed etiam secundum ejus potentias per modum habitus et permanenter, multoties Deus speciali illuminatione unit sibi actualiter potentias animæ. Immo quoties potentiæ a rebus exterioribus retrahuntur et ad interiora attendunt, statim actualiter fruuntur societate trium divinarum Personarum, quæ eis communicant suavissimos effectus. Ita N. Josephus a Jesu Maria (Paradis. animæ*, p. 2. l. 3. c. 4.). Ut enim ait D. Thomas (III. Sent. dist. 27. q. 1. art. 1. ad 2.), proprium est naturæ unionis, quod res inter se unitæ una ab altera participet id quod est alterius, et sic amans quodammodo habet amatum et veluti in eum transformatur.Hoc tamen non debet intelligi de transformatione propriæ naturæ in divinam. Hoc enim est impossibile ; sed per remotionem propriæ naturæ in perfecta participatione divinæ naturæ *per eximium donum gratiæ sanctificantis* et in participatione divini intellectus *per sublime lumen contemplationis* et divinæ

438.

voluntatis *per ferventissimum amorem* et omnium divinarum perfectionum *per alia dona supernaturalia*. Et hoc modo renovata anima dicitur in Deum transformata, ut explicat D. Thomas (l. c. art. 1. ad. 4.), ubi ait : « *Ex hoc enim, quod amor transformat amantem in amatum, facit amantem intrare ad interiora amati et e contra, ut nihil amati remanet non unitum, sicut forma pervenit ad intima formati et e converso. Et ideo amans quodammodo penetrat in amatum. Et secundum hoc amor dicitur acutus. Acuti enim est dividendo ad intima rei devenire. Et similiter amatum penetrat amantem, ad interiora ejus perveniens. Et propter hoc dicitur, quod amor vulnerat et quod transfigit jecur.* » Hucusque D. Thomas. (Cf. IV. Sent. dist. 12. q. 2. art. 1. ad 3.). Quæ omnia experientia videmus in N. M. S. 439.
Theresia, cujus pectus et cor Seraphim jaculo acuto transfixit, et cui Christus dixit : « *Omnia mea tua sunt, et tua mea. Ut vera sponsa meum zelabis honorem.* » Et in alio loco ipsa S. M. fatetur, se intra suam animam vidisse totam sanctissimam Trinitatem. Et N. V. M. Anna a S. Bartholomæo vidit ipsam sanctam Theresiam in cœlo intra Christi pectus, ubi, ut vides, Deus totus erat intra Theresiam et Theresia intra Deum per acutissimum et transformativum amorem, qui animabus sanctissimis in hoc sublimi gradu matrimonii spiritualis conceditur.

Hanc eamdem doctrinam docet N. S. P. Joan- 440.
nes a Cruce (lib. cantion. cant. 17.), ubi ait, quod cum amor semper moveat animam in Deum

transformatam ad desiderandum amatum et quærendum ejus presentiam ad se cum eo actualiter uniendum, et cum sit tam bene disposita ad hanc unionem actualem, faciliter accenditur ignis charitatis amore actuali, sicut cum candela exstincta adhuc fumans igni approximatur, quæ statim accenditur. Eodem ergo modo amor in hoc statu facillime excitatur. Quo excitato intellectus altissima Dei arcana intelligit,et voluntas in hac cella vinaria usque ad satietatem potatur, et memoria accipit illustrationes et notitias divinas. Est enim proprium amoris veri,quærere semper et recipere novas experientias de persona amata,et cum ejus memoria delectari. Unde S. Laurentius Instinianus (* de casto connubio) ait : « *Amor ferventissimus semper res novas meditatur et non usitatas componit.*

Nam cum abundet desiderium, non potest non cogitare, quomodo ardentius amabit et tenacius amatum possidebit, et cum eo conversabitur ?

441. *Dico 7.* Hæc unio actualis, quando simul reperitur cum unione habituali, non causat raptum nec alienationem a sensibus, sicut unio actualis fruitiva, quæ datur ante unionem habitualem, de qua locuti sumus hoc Tractatu, disp. 1. n. 30, et sicut unio sponsalitia, ut diximus hoc eodem
442. Tractatu, disp. 4. n. 368., nec impedit animam, ne attendat ad res exteriores et interiores, sed potius eam expeditiorem relinquit ad omnes actiones virtutum tam interiores quam exteriores omnium potentiarum et sensuum. Ita N. M. S. Theresia (Mansione. 7. cap. 1.), Planes (lib. 3, c.

48. n. 5.), N. Josephus a Jesu Maria (*lib. 3. ascens. animæ ad Deum, c. 4.). Et ratio est, quia 443. viris contemplativis in hoc statu communicatur a Deo cognitio suorum divinorum arcanorum per species ad modum Angelorum intra actum fidei, ut cum Augustino notat D. Thomas (de veritate, q. 18. art. 2. ad 6.). Et idem dicit Dionysius (de divinis nominibus, c. 1. §. 5.) et D. Thomas (*lect. 3.ante medium.).Sed hæc cognitio non impedit operationes externas ut notat Planes (lib. 3. cap. 38. n. 4.) cum D. Thoma (III. Sent. dist. 35. q. 2. art. 2. ad 3.). Ergo hæc unio actualis, quando simul concurrit cum unione habituali, non impedit actiones tam internas quam externas, sed potius faciliorem reddit hominem ad eas, utpote a parte superiori illuminatum.

SECTIO V

Utrum in statu perfectissimo matrimonii spiritualis unio per intellectum et per affectum continua et minime interrupta regulariter contemplativis concedatur ?

SUMMARIUM

444. In via non datur unio per intellectum vel per affectum continua et minime interrupta. 445. Probatur ratione. 446. Confirmatur primo. 447. Confirmatur secundo. 448. Confirmatur tertio. 449. Confirmatur quarto. 450. Confirmatur quinto et tandem. 451.Licet in via non possit dari talis unio interrupta, datur tamen aliqua participatio beatitudinis, et quomodo ? 452. Hæc unio in viris perfectissimis potest per plures horas dei vel noctis durare.

444. *Dico 1.* Nullo modo datur vel data est talis unio in via. Ita D. Thomas (1. 2. q. 3. art. 2. ad. 4.) et D. Augustinus (lib. 7. Confess., c. 17.), ubi ait : « *Rapiebar a te decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo et ruebam in ista cum gemitu, et pondus hoc consuetudo carnalis.* » Idem docet S. Gregorius Magnus (homil. 14. (1) in Ezechiel.), Richardus a S. Victore (de præp. animi ad contemplat. cap. 76.) Cassianus (Coll. 4. cap. 13.). N. Josephus a Jesu Maria (*Paradis spiritual., lib. 4. c. 4.), Planes et alii, quos refert et sequitur N. Philippus a Ss. Trinitate (p. 2. tr. 3. disc. 1. art. 3.).

445. Et ratio formalis est, quia quantumvis justi et contemplativi perfecti sint, eis dicere competit: « *Dimitte nobis debita nostra.* » (Confer Concil. Milevitan. cap. 6., 7. et 8.). « *Septies enim* », ut dicitur in Proverbiis (24, 16.), « *cadet justus* », saltem ex surreptione et negligentia, scilicet in peccatis venialibus. Sed actualis unio cum Deo non potest esse simul cum peccato veniali. Ergo unio actualis per intellectum sæpe etiam in perfectissimis contemplativis interrumpitur, licet unio habitualis maneat in anima, vel in intellectu unitorum.

446. *Confirmatur primo*, quia etiam maxime contemplativus sæpe distrahitur vel pondere naturæ vel per somnum vel alias occupationes. Sed pro illo tempore, quo ad alia attendit, non potest dici, esse in unione actuali cum Deo, cum talis unio requirat recollectionem hominis in se ipsum

(1) Ed. Migne, hom., in Ezech., lib. II, hom. II, n. 3.

et a creaturis evacuationem. Ergo homo quantumvis perfectus non potest habere unionem continuam et interruptam cum Deo. *Confirmatur secundo.* Quia in statu viæ non con- 447.
tingit, vires inferiores ita esse subditas rationi, ut actus rationis nullatenus propter eas impediatur, excepto Christo Domino, qui fuit simul viator et comprehensor, ut ait D. Thomas. Sed impedito actu rationis quacumque ex causa jam interrumpitur actus unionis. Ergo in via non potest dari unio numquam interrupta. *Cofirmatur tertio.* 448.
Quia nulla actio potest diu durare in suo summo. Sed summum contemplationis est, ut attingat ad conformitatem divinæ contemplationis. Ergo contemplatio in hac vita non potest esse diu continua et interrupta.

Confirmatur quarto. Quia proprium est beato- 449.
rum per unicam et sempiternam operationem conjungi bono increato. Ergo id non est extendendum ad viatores quantumcumque perfectissimos, ut minime interrupta unione per unicam et continuam contemplationem Deo inhæreant. *Confirmatur quinto.* Quia rationem esse in actu 450.
rectæ contemplationis in statu viæ, ita quod omnium operum ratio sit Deus, est impossibile. Sed quoties homo aliquid facit ex alia ratione præter Deum, jam non est in actu rectæ contemplationis. Ergo impossibile est, quod detur in hac vita unio per intellectum et affectum continua et interrupta. *Confirmatur tandem.* Quia homo in hac vita non potest pervenire ad perfectam beatitudinem. Sed beatitudo consistit in perpetua

conjunctione cum bono increato Ergo homo, dum est in hac vita, non potest acquirere perpetuam conjunctionem cum Deo. Sed si posset esse in continua et perpetua actuali unione cum Deo, esset conjunctus bono increato conjunctione perpetua. Ergo talis conjunctio in hac vita non est possibilis, ut ait D. Thomas (1. 2. q. 3. art. 2. ad 4.).

451. *Dico 2.* Licet in hac vita non possit dari continua Dei unio et per consequens nec beatitudo, potest tamen dari aliqua participatio beatitudinis, et tanto major, quanto operatio magis continua et una fuerit. Unde in vita activa, quæ circa multa occupatur, est minus de ratione beatitudinis, quam in vita contemplativa, quæ versatur circa unum, id est circa contemplationem veritatis. Et licet aliquando homo actu non operetur hujusmodi operationem, quia tamen eam in promptu habet, semper potest operari. Et quia etiam per ipsam cessationem, puta somni vel alterius occupationis naturalis ordinat ad prædictam operationem, videtur esse quasi operatio continua. Revera tamen non est, sed sicut pila in parietem percussa in manum projicientis revertitur, unus motus existimatur, et tamen fuit quies in puncto reflexionis, sic animæ unitæ Deo per contemplationem, licet habeant frequentes et repetitos actus in variis gradibus contemplationis et unum saltem principalem, quasi continua videtur eorum (nempe actuum) unio. Nam multi illi actus, quia in unum tandem postremo tendunt, centrum unius videtur, et in summo gradu contemplatio-

nis, quando unico jam actu Deum contemplatur, unus reputatur et perpetuus. Sed ita non est. Nam continuari nullo modo dicitur, quod revera unicum non est et continuum. Ergo anima contemplativa non est in uno et peremni motu actus contemplationis.

Dico 3. In perfectissimis viris ex extraordinariis auxiliis potest anima in contemplatione in una simplici intuitione et amoris suspensione per aliquod tempus *ad plures diei vel noctis horas durare.* Ita astruunt multi Doctores mystici, et constat ex vitis plurimorum Sanctorum. Et in hoc sensu debent explicari aliqui Doctores mystici, qui concedunt, dari contemplationem continuam. Nam si aliud intendunt sub specie devotionis, non bene dicunt, sed in recto sensu explicandi sunt, ut ait D. Thomas (*opusc. 5. contra errores Græcorum, cap. 1.). Sed de his vide latius Vallgorneram (q. 4. disp. 2. art. 7. n. 11). 452.

SECTIO VI

An hæc unio de facto sit concessa aliquibus privilegiatis?

SUMMARIUM

453. Summus gradus contemplationis, qui est videre Deum per essentiam, non competit homini in hac vita permanenter. 454. Per modum transeuntis potest communicari summus gradus contemplationis, qui est videre divinam essentiam, homini in raptu. 455. Sic communicatus fuit B. Virgini, Adæ et D. Paulo et S. Eliæ. 456. Summus gradus unionis affectivæ nec etiam in his privilegiatis fuit continuus in hac vita. 457. Dantur tres gradus altissimæ visionis.

458. Summus gradus unionis affectivæ non fuit continuus in hi privilegiatis. 459. Probatur ratione. 460. Solum eis fuit concessus, quantum necessitas hujus vitæ præsentis patitur.

453. *Dico 1.* Summus gradus contemplationis, qui est *viderem, Deum per essentia non competit homini in hac vita permanenter.* Ita D. Thomas (2. 2. q. 180. art. 5.) Vide supra (Tract. 3. disp. 3. sect. 12. et eodem Tract. disp. 4 sect. 5. Nemo enim videns Deum vivit ista vita, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporeis. Sed nisi quisque in hac vita quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive alienatus a carnalibus sensibus, in illam non subvehitur
454. visionem. In raptu tamen per modum transeuntis potest communicari supremus gradus contemplationis, qui est videre Deum per essentiam. Et
455. forte id habuit Adam, quando in eum immisit Deus soporem vel ecstasim, ut docet D. Thomas (1. p. q. 94. art. 1.), et a fortiori sanctissima Virgo Maria, D. Paulus et S. P. N. Elias, ut diximus Tractatu 3. disp. 3. sect. 12. In his tamen privilegiatis non fuit hæc suprema contemplatio in sui summo diuturna. Non enim Beatissima Virgo, neque Adam, neque D. Paulus fuerunt in perpetua ecstasi. Sed hæc contemplatio fuit præcisa et interrupta.

456. *Dico 2.* Summus gradus unionis affectivæ *nec etiam in his privilegiatis fuit continuus in hac vita.* Pro quo sciendum est, altissimæ visionis ac per-
457. fectissimæ unionis dari tres gradus, alterum obscurum, alterum omnino clarum, alterum medium. Primus comparatur *crepusculo*, quando lux

dubia est, nec satis dignoscitur, an nox abeat et dies accedat. Secundus comparatur *auroræ*, quando lux manifesta est ac initium diei, sed lux modica est majoris perfectionis indiga. Tertius comparatur *meridiei*, quando lux est clarissima et omnino perfecta. Gradus visionis intellectualis seu contemplationis obscurus est, quo Deus videtur *in caligine*. Gradus omnino clarus est, quo Deus non per aliquam speciem creatam, sed per se ipsum unitum intellectui videtur clare et intuitive *prout est in se*. Gradus medius est, in quo nunc sumus, cum Deus revelat se non in caligine, neque in sua claritate, sed alio modo ineffabili, non per lumen fidei, nec sapientiæ tantum, nec per lumen gloriæ, sed *per lumen prophetiæ vel aliud simile*, ut nos supra diximus (Tract. 3. disp. 4. n. 296.), *et per speciem perfectissime Deum repræsentantem*, quæ non per sensus ingreditur, neque sensibus accipitur, nec ab aliis formis præhabitis componitur, sed recenter intellectui infunditur, ut diximus (eodem Tract. et disp. n. 308.). His autem duobus ornatus intellectus videt Deum, non negando vel removendo ab eo aliquid, ut si dicamus: « Deus non est limitatus, neque finitus », non affirmando vel attribuendo ei aliquid, ut cum dicimus : « *Deus est bonus et sapiens* », sed sincerissime et tranquillissime et serenissime divinam magnitudinem intuendo. His ergo supposi- 458.
tis dico, quod iste summus gradus unionis affectivæ, qui potest haberi in hac vita, nec in istis privilegiatis fuit continuus. Ita D. Thomas (2. 2. q. 24. art. 8.).

459. Ratio est, quia iste gradus non datur, nisi cum cor hominis actualiter semper fertur in Deum. Sed hæc perfectio amoris est propria charitatis patriæ, quæ non est possibilis in hac vita ; in qua impossibile est, propter humanæ vitæ infirmitatem semper actu cogitare de Deo et moveri semper dilectione actuali ad ipsum. Ergo nec istis
460. privilegiatis talis unio interrupta et perpetua concessa fuit, sed solum quantum necessitas hujus vitæ præsentis patitur. *Et ista est perfectio charitatis, quæ est possibilis in via*. Non tamen est communis omnibus habentibus charitatem, sed aliquibus magis, aliquibus vero minus continua fuit. Unde in B. Virgine fuit in summo gradu possibili, et sic in aliis juxta intentiorem vel majorem radicationem charitatis. Ita Vallgornera (q. 4. disp. 2. art. 8. n. 6.).

SECTIO VII

Utrum anima in ista perfecta unione actuali habeat aliqua privilegia ?

SUMMARIUM

471. Animæ in isto statu unionis actualis communicantur aliqua privilegia, quæ concessa fuerunt primo parenti in statu innocentiæ. 462. Unum et singularissimum fuit, quod movebatur a Deo in suis operationibus tam vitæ activæ, quam contemplativæ. 463. Probatur ratione. 464. Animæ in hoc statu possunt eodem tempore exercere vitam activam et contemplativam. 465. Probatur ratione. 466. Anima in hoc statu dicitur specialiter templum et altare Domini. 467. Dicitur regnum Dei. 468. In hoc statu nulla res animam inquietat. 469. Non sentit dolores nisi appretiative. 470. Quomodo id sit intelligendum ? 471. Explicatur authoritate Sanctæ Matris Nostræ Theresiæ. 472. In hac habituali et actuali unione consistit felicitas hujus vitæ. 473. Probatur ratione. 474.

Deus respectu nostri est exemplar divinum. 475. In homine dantur virtutes positivæ, purgatoriæ et animi purgati. 476. Quæ sint virtutes animi purgati, declaratur. 477. Hæ virtutes sunt propriæ Beatorum in patria, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum. 478. Quando anima pervenit ad hanc unionem, omnes animæ affectus, potentiæ et operationes redduntur veluti divinæ, et cur ?

Dico 1. Animæ in isto statu communicantur 461.
aliqua privilegia, quæ concessa fuerunt primo parenti in statu innocentiæ. Unum et singularissimum fuit quod *movebatur a Deo in suis operationibus tam vitæ activæ quam contemplativæ.* 462.
Ita D. Thomas (de veritate, q. 18.art. 2.),Vallgornera (q. 4. dist. 1. art. 9. n. 1.). Et ratio est,quia mul- 463.
tæ animæ in statu unionis habitualis et actualis fruitivæ cognoscunt per species infusas et scientiam habent non ex phantasmatibus, sed a luce divina et supernaturali et a donis infusis. Unde Dionysius (de divinis nominibus, c. 4. § 10.) loquens de animabus,quæ transferuntur in Deum, quales sunt, quæ reperiuntur in statu unionis habitualis et actualis, dicit, quod istæ animæ specialiter moventur a Deo in suis actionibus. Et hoc probat exemplo Pauli (Gal. 2,20.) : « *Vivo autem jam non ego ; vivit vero in me Christus* ». Et patet etiam ex alio loco (ad Romanos 8.) : « *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* » Ubi D. Thomas loco « *aguntur* » ponit « *reguntur* », quod quidem in nobis facit Spiritus Sanctus, in quantum illuminat nos interius, quid facere debeamus, juxta illud Psalmi 142 : « *Spiritus tuus bonus deducet me* ». Non tamen per hoc concluditur, quin viri spirituales per voluntatem et liberum arbitrium operentur, quia ipsum motum

voluntatis et liberi arbitrii Spiritus Sanctus causat, secundum illud ad Philipp. 2 : *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere* ». Ergo animæ in hoc statu communicantur aliqua privilegia, quæ fuerunt concessa primo parenti in statu innocentiæ.

464. *Dico 2.* Animæ contemplativæ ad Deum transformatæ in unione habituali et actuali fruitiva in eodem tempore *possunt exercere utramque vitam, contemplativam et activam.* Ita N. M. S. Theresia (Mans. 7. c. 1.), N. Josephus a Jesu Maria (Paradis.p.2.lib.4.c.8.), Vallgornera (q. 4. dis. 1. art.q. n. 3.), et colligitur ex D. Thoma (1. p. q. 94.art.
465. 2.). Et ratio est, quia status unionis habitualis et actualis fruitivæ est similis statui, quem habuit Adam in statu innocentiæ. Sed in illo statu innocentiæ anima non necessitabatur accipere cognitionem a sensibus et phantasmatibus, sed ab illuminatione divina, et non impediebatur per res exteriores a clara et firma contemplatione intelligibilium affectuum, quos ex irradiatione primæ veritatis percipiebat, sive naturali cognitione, sive gratuita. Sed utramque vitam, activam et contemplativam eodem tempore exercere poterat. Ergo eodem modo animæ in hoc statu unionis habitualis et actualis fruitivæ eodem tempore possunt exercere utramque vitam, contemplativam et activam.

466. *Dico 3.* Anima in hac habituali et actuali fruitiva unione dicitur specialiter *templum Domini* et *altare* ejus, ut patet ex illo Pauli (1. ad Corinth. 3:(. « *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Sanctus habitat in vobis ?* » Dicitur etiam *regnum*

Dei. Sic enim vocavit Salvator noster discipulos suos (Lucæ 14.) : « *Regnum Dei intra vos est* ». Et Paulus (ad Roman. 14.) dixit, quod 467.
« *regnum Dei est justitia, pax et gaudium in Spiritu Santo* », de quibus late N. S. P. Joannes a Cruce (lib. Cantion. Cant. 36. versic. 5.), ubi ait, animam in hoc statu nullam rem inquietare 468.
vel turbare a pace, in qua est, sed solum ad mo- 469.
dum Angelorum æstimare res dolorificas, non tamen eas sentire. Quod debet intelligi non de 470.
propria perceptione doloris ; nam cum anima unita corpori sit passibilis, non potest non pati dolorem secundum corpus ; sed debet intelligi de perceptione doloris, quæ pacem turbet et inquie- 471.
tet, ut ait N. M. S. Theresia (Mansione 7., cap. 2. in fine) ubi ait : « *Non id ita intelligendum est, quasi potentiæ, sensus et passiones semper hac pace gaudeant : anima porro sola in pace est. Quomodo vero spiritus hic in hoc animæ nostræ centro positus sit, res est tam dictu et creditu difficilis, ut verear, carrissimi, ne, quod me non satis queam explicare, aliquam vobis occasionem dem non credendi ea, quæ dico, dicere namque, animam in laboribus et afflictionibus et simul in pace esse, videntur contraria et ad intelligendum difficilia.* »
Ubi adverte admirabilem sapientiam sanctæ Matris. Poscit enim turbationem in potentiis, sensibus, et passionibus corporis, non tamen in anima. Nam licet corpus sentiat dolores, anima tamen unita semper est in sua pace et quiete cum Deo, ut notat N. Josephus a Jesu Maria (Paradis. p. 2. lib. 3. cap. 12.).

472. *Dico 3.* In hac actuali et habituali unione consistit felicitas et inchoata beatitudo hujus vitæ. Ita D.Thomas (*Opusc.63.) et nos supra (Tract.4.
473. disp.1.sect.5.).Et ratio est,quia omnis natura inferior in sui supremo attingit ad infimum superioris, quamvis deficienter. Cur ergo status unionis habitualis et actualis transformationis animæ in Deum sit gradus supremus perfectionis hujus vitæ in via contemplativa ? Absque dubio participat rectitudinem et felicitatem vitæ patriæ,quamvis imperfecte. Et completur in illa illud dictum Christi : « *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* »,hoc est,estote perfecti imitatione suarum virtutun, quæ ideo dicuntur ex-
474. emplares, siquidem Deus respectu nostri est exemplar divinum, quod debemus imitari, et per ejus perfectionem debemus nostras actiones regulare, quatenus creator imitari potest a suis creaturis.Et
475. ad hoc inveniuntur in homine tria virtutum genera, scilicet positivæ, purgativæ et animi purgati.
476. *Dico 5. Virtutes animi purgati* (nam positivæ et purgatioræ non pertinent ad hunc intentum) sunt illæ, quæ consecutæ sunt similitudinem quamdam divinam. Nam prudentia solum attendit ad res divinas. Temperentia desideria terrena ignorat. Fortitudo non patitur passiones. Justitia
477. est conformis rectitudini divinæ. Et tandem D. Thomas (ad Ephes. 4. n. 22.) ait, has virtutes esse proprias Beatorum in patria, vel aliquorum perfectissimorum in hac vita.Unde N.S. Joannes a Cruce (Flamma amoris, cant. 2. vers. 6.) ait, quod quando anima pervenit ad hanc unionem

cum Deo, omnes animæ affectus, ejus potentiæ et operationes ex natura sua imperfectæ, redduntur veluti divinæ. Deus est, qui dirigit animam. Jam anima vivit veluti vitam Dei, et commutata est ejus mors in vitam. Siquidem intellectus, qui ante hanc unionem limitate intelligebat, jam est motus et informatus ab alio principio et lumine superiore Dei. Voluntas, quæ antea tepide amabat, jam conversa est in flammam divini amoris. Memoria, quæ ex se tantum percipiebat imagines et figuras creaturarum, occupata est recordatione Dei. Et appetitus, qui ante appetebat res viles, solum appetit dulcedinem divinam. Et tandem omnes operationes, quas antea anima habebat imperfectas, sunt commutatæ in motibus Dei. Siquidem jam anima est vera filia Dei, juxta illud Pauli (ad Romanos 8.): « *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* » 478.

SECTIO VIII

An animæ perfectorum contemplativorum vel unitorum sint exemptæ ab imaginibus vel etiam a passionibus perturbantibus intellectum in cogitatione et voluntatem in amore ?

SUMMARIUM

479. Animæ perfectorum contemplativorum non sunt exemptæ a passionibus perturbantibus intellectum in cogitatione et voluntatem in amore. 480. Probatur ratione. 481. Justis, maxime contemplativis, removentur ut plurimum passiones, quatenus sunt perturbativæ actuum rationis et inducunt ad peccatum mortale. 482. Sicut justi peccant venialiter, ita etiam possunt peccare mortaliter. 483. Contemplativi et uniti habent fomitem peccati et motus primo primos et motus secundo primos, excepta B. Virgine Ma-

ria, Matre Dei. 484. Status Adæ in innocentia fomitem et passionum motus adversus animam non habebat. 485. Christus eas passiones assumpsit, quales ad veritatem carnis ostendendam necessariæ erant, quæ potius propassiones vocantur, non vero, quæ de facto noxam important. 486. Virgo sanctissima Maria ex privilegio numquam sensit ex fomite rebelliones passionum militantium adversus animam.

479. *Dico 1.* Animæ perfectorum contemplativorum non sunt exemptæ a passionibus perturbantibus intellectum in cognitione et voluntatem in amore.

480. Ratio est, quia passiones animæ idem sunt quod affectus, sive affectiones, quæ pertinent ad partem apppetitivam, et de se et ex sua natura non sunt malæ, nisi quatenus a voluntate imperantur, vel non prohibentur, cum sunt contra vel præter rationem ; cf. D. Thomam (1. 2. q. 24. art. 1. et 2.) ; tum quia sunt materia exercendæ virtutis. Unde dolor et tristitia ad pœnitentiam ordinantur, ut ait Apostolus (2. ad Corinth. 7.) : « *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur* » ; tum quia justi non possent dicere : « *Et dimitte nobis debita nostra* », ut omnibus præcipitur in oratione Dominica. Ergo hujusmodi passiones non sunt incompatibiles cum animabus justis, qui saltem peccant non reprimendo motus passionum secundo primos.

481. *Dico 2.* Justis, maxime contemplativis removentur ut plurimum passiones, quatenus sunt perturbativæ actuum rationis et inducunt ad peccatum mortale. Ita D. Gregorius Magnus (*in cap. 34. Job, lib. 24., c. 12), D. Bernardus (serm. 52. in Cantica), D. Albertus Magnus (*de adhærendo

Deo, c. 15.), Richardus (2. part. c. 11). Et ratio est, quia ex unione affectiva charitatis oritur pax, quæ est affectus illius, licet non sit perfecta in hac vita, ut in patria. Sed pax consistit in unione appetitus cum ratione, ita ut nec a se, nec a Deo, nec a proximo dissentiat. Cf. D. Thomam (2. 2. q. 29. art. 1. ad, 1.). Ergo justis contemplativis ut plurimum removentur passiones ut sunt perturbativæ rationis. Dixi : ut plurimum ; nam sicut 482.
justi peccant venialiter, juxta illud (Proverb. 24) : « *Septies cadet justus* », possunt etiam peccare mortaliter, siquidem contra Dei legem anima subditur passionibus. Licet autem contemplativi sunt in plurimum liberi a passionibus perturbativis per tempus juxta Dei dispositionem, non sunt tamen liberi a passionibus turbativis, siquidem sunt in perpetuo vitiorum cum virtutibus conflictu.

Dico 3. Contemplativi et uniti habent fomitem 483.
peccati et motus primo primos et motus secundo primos, qui ex fomite nacuntur. Et ratio est, quia omnes Sancti sunt spoliati gratuitis donis, et vulnerati in naturalibus, et eis convenit cum D. Paulo (Rom. 7, 23.) dicere « *Video aliam legem in membris meis* ». Ergo habent fomitem peccati, quæ quidem nobis relicta est ad agonem. Hæc autem pœna et rebellio non fuit in B. Virgine, bene tamen in S. Joanne Baptista, qui ex communi Theologorum doctrina a peccato veniali non fuit immunis. A quo etiam non fuerunt immunes Apostoli, etiam post acceptum Spiritum Sanctum. Sicut autem justi et perfecti non carent

fomite, ita non carent rebellione carnis adversus spiritum, nec passionum motibus, etsi ex divino adjutorio detur aliquando, quod non perturbentur et trahant animam ad consensum mortiferum.

484. *Dico 4.* Status Adæ in innocentia fomitem et passionum motus adversus animam non habe-
485. bat. Christus Dominus non eas passiones assumpsit, quæ defectum noxium important, sed quales ad verritatem carnis ostendendam necessariæ erant, quæ potius propassiones vocantur a Sanc-
486. tis. Virgo super omnes Sanctos privilegiata rebelliones passionum militantium adversus animam numquam sensit ex fomite procedentium. Omnes alii justi ex veritate cum Apostolo dicunt : « *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* » (1. Joan. 1, 8.).

SECTIO IX

An contemplativi unione contemplationis decorati carere possint peccatis venialibus ?

SUMMARIUM

487. Nullus homo, quantumvis justus et contemplativus, vivit aut vixit in statu naturæ corruptæ sine peccato veniali, nisi speciali Dei privilegio, ut B. Virgo. 488. Hæc veritas est de fide definita, specialiter saltem de venialibus commissis ex surreptione. 489. Possunt justi carere venialibus commissis ex advertentia et industria, non solum in actu unionis, sed etiam transacta unione.

487. *Dico 1.* Nullus homo quantumvis justus et contemplativus et Deo charissimus vivit, nec vixit in statu naturæ corruptæ sine peccato veniali,

nisi speciali Dei privilegio, sicut de B. Virgine tenet Ecclesia. Hæc veritas est de fide definita in Tridentino (sess. 6. can. 23), ubi dicitur : « *Si quis* 488.
dixerit, hominem semel justificatum posse in tota vita omnia peccata, etiam venialia, vitare, nisi speciali Dei privilegio, sicut de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. » Idem definitum fuit in Concilio Milevitano anni 416. Et constat ex illo Joannis 1. « *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* » ; et ex illo Proverbior. 24 : « *Septies cadet justus* » ; tum quia etiam sanctissimis viris convenit dicere : « *Dimitte nobis debita nostra* ». Sed hæ locutiones non possunt salvari, nisi concedamus omnes justos, quantumcumque contemplativos, peccare venialiter, saltem ex surreptione, ut docet D. Thomas (IV. Sent. dist. 12. quæst. 2. art. 2. qu. 1. ad 1 ; dist. 21. quaest. 2. art. 1. ad 4. et (Quæst. disp. de Malo, art. 2. ad 13.) Et idem tenent omnes Sancti Patres. Ergo nullus homo, quantumvis contemplativus vivit aut vixit sine peccato veniali sine speciali Dei privilegio.

Dico 2. Licet certum sit, nullum justum,quan- 489.
tumvis contemplativum posse carere venialibus, saltem ex surreptione commissis, *possunt tamen carere venialibus commissis ex advertentia et industria.* Ita multi Doctores mystici, præsertim Ruysbrochius (de ornatu spiritualium nuptiarum, c. 75.), N. M. S. Theresia (Mans. 7. c. 4.), Vallgornera (q.4. disp. 2. art, 10. n. 5.).Ratio est, quia ad verificandas locutiones conciliorum et

Sacræ Scripturæ sufficiunt venialia ex surreptione. Ergo bene potest dari vir tam perfectus et contemplativus, qui advertenter nullum veniale committat, non solum quando est in actu unionis ; tunc enim certum est, non posse dari actualem unionem cum peccato veniali actuali, ut bene notavit cum B. Henrico Suso Vallgornera (l.c.n. 6.) ; sed etiam transacta unione. Adverte tamen, virum contemplativum non dici, qui solum contemplatur, sed qui contemplationi totam suam vitam dedicat, ut ait D. Thomas (2. 2. q. 81.art. 1. ad. 5.).

SECTIO X

An anima contemplativi uniti in ipsa contemplatione discurrat ?

SUMMARIUM

490. Viri contemplativi uniti in sua contemplatione non discurrunt. 491. Probatur ratione. 492. Contemplatio est requies laborum. 493. Vita contemplativa, licet principaliter consistat in intellectu, principium habet in affectu. 494. Inter animam contemplativam et Christum ejus Sponsum viget amor vivus. 495. Decem gradus habet amor, quibus ascendimus ad patriam et ad perfectam cum Deo unionem. 496. Anima potest de gradu inferiori hujus amoris transire ad superiorem, et a superiore ad inferiorem, et quomodo ?

490. *Dico 1.* Viri contemplativi uniti in sua contemplatione non discurrunt. Ita Vallgornera (q.4.disp. 1. art. 11.n. 5.) et alii communiter. Ratio est, quia contemplatio est mentis in Deum suspensa elevatio, magna dulcedinis gaudia degustans, ut ait
491. D. Bernardus (lib. 2. de consid., c.2.): « *Est verus certusque intuitus animi de quacumque re,*

sive apprehensio veri non dubia ; » vel ut ait Augustinus (lib. de spiritu et anima, c. 32.) : « *Est præcipua veritatis jucunda admiratio* »; vel ut ait Richardus de S. Victore* : « *Est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa* » ; vel est perspicax et liber animi contuitus in res perspiciendas usquequo diffusus, seu ut nos diximus (Tract. 2. disp, 1. sect. 2.) : « *Est simplex intuitus veritatis.* » Sed discursus non potest stare cum simplici intuitu veritatis. Ergo viri contemplativi uniti in sua contemplatione non discurrunt. Hinc fit, quod aliqui dicunt, quod 492
contemplatio est requies laborum, complementum desideriorum, perfectio virtutum, præmium abnegationis, finis orationis et ad assequendam mentis puritatem instrumentum efficacissimum.

Dico 2. Vita contemplativa, licet principaliter 493.
consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu, in quantum videlicet aliquis ex charitate ad Dei contemplationem incitatur. Quia tamen finis respondet principio, inde est, quod etiam terminus et finis vitæ contemplativæ habet esse in affectu, dum scilicet aliquis in visione rei amatæ delectatur. Et ista delectatio rei visæ amplius excitat amorem. Ita D. Thomas (2. 2. q. 180. art. 7.). Hinc fit, quod inter animam contemplativam 494.
et ejus Sponsum Christum Jesum viget amor vivus, qui non solum in habitu charitatis ex parte ipsius animæ, sed quasi in continuo perseverat exercitio. In hoc quippe statu fervet amor ut viva flamma secundum diversos ejus gradus seu actus, quos ex Bernardo refert D. Thomas (opus- 495.

culo 61.) et nos supra posuimus (Tract. 4. disp. 4. sect. 3.).Quamvis autem hi gradus amoris sint inter se distincti, ut ibi diximus, non tamen sic
496. sunt separati, quin anima de priori ad perfectiores, de inferiori ad superiores faciliter transire valeat, et simul ad priores de posteriori et ad inferiores de superiori redire. Omnes quippe sunt gradus perfectionis in domo Dei, nec actus amoris illis correspondentes ita sunt ad invicem discreti, quin sæpe permisceantur. Sed de his vide Vallgorneram (q.4. disp. 2. art. 5. n. 4.) et quod nos supra diximus sect. 3. citata.

SECTIO XI

Non sunt judicandi mali spiritus effectus supernaturales, quos novi contemplativi habent in oratione, ex eo solum, quia non perfecte in omnibus operantur.

SUMMARIUM

497. Ex eo quod aliquis contemplativus incidat in aliqua venialia, non ob id effectus supernaturales recepti in oratione, etiamsi sint divinæ unionis illusiones, judicari debent procedentes a malo spiritu. 498. Probatur ratione. 499. Confirmatur primo. 500. Confirmatur secundo. 501. Confirmatur tertio. 502. Repugnat, quod aliquis recipiat divinas consolationes et quod non tendat quotidie magis et magis ad perfectionem. 503. Probatur ratione. 504. Quando anima non exit a contemplatione perfecta cum magna determinatione consequendi mortificationem et alias virtutes, non multum fidendum est de tali comtemplatione.

497. *Dico 1.* Non ex eo, quod aliquis contemplativus statim non sit perfectus, et multoties deficiat et incidat in aliqua peccata venialia, non ob id effectus supernaturales recepti in oratione,etiam-

si sint divinæ unionis illusiones, judicari debent procedentes a malo spiritu. Ita N. M. S. Theresia (in vita sua, c. 31.) et Planes (lib. 3. de via unitiva, c. 28. n. 2.). Ratio est, quia, ut ait D. 498.
Thomas (I. Sent. dist. 17. quæst. 2. art. 2. ad 3. et in 1. 2. q. 113. art. 10.), modus communis et consuetus cursus justificationis est, ut Deo movente interius animam homo convertatur ad Deum ; primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam perveniat, quia charitas inchoata meretur augeri. Ergo dari potest, quod aliquis sit vere contemplativus et tamen statim non sit omnino perfectus. Patet consequentia ex verbis D. Thomæ ; quia potest dari charitas inchoata, quæ non sit perfecta. Sed cum charitate inchoata possunt compati multa venialia et imperfectiones. Ego dari potest, quod aliquis recipiat a Deo in oratione aliquos effectus supernaturales et tamen non sit perfectus.

Confirmatur primo. Quia ut ait D. Thomas 499.
(III. Sent. dist. 27. q. 1. art. 2. ad 5.), duplex datur unio animæ cum Deo; alia secundum quid, hoc est non perfecta, alia perfecta per transformationem. Una dici potest actualis, et alia habitualis. Licet ergo unio simpliciter talis et habitualis non inveniatur nisi in contemplativis perfectis, unio tamen secundum quid et actualis inveniri potest in contemplativo imperfecto. Intellige tamen hoc de unione actuali antecedente ad habitualem, non de ea, quæ subsequitur habitualem. Multum enim differt, attingere ad gradum primum divinæ unionis per modum transi-

tus ab unione per modum actus et veluti ex professo ; sed ab unione actuali, quæ per transformationem, ut est illa, quæ subsequitur ad unionem habitualem. Nam ille, qui solum attingit divinam unionem et in primo illius gradu pedem ponit, statim ab ea recedit ; ille vero, qui ex proposito et ex professo et per modum habitus vel per transformationem habet hanc divinam unionem,ibi fixit pedem et aliam formam induit. Licet ergo ille, qui solum ut hospes et veluti privilegio accedit ad divinam unionem, ut statim recedat, non habeat omne illud fundamentum virtutum,quod requiritur ad habitualem vel transformativam unionem, non ideo excludendus est ab illa ; optime enim compati potest talis unio per modum transitus cum statu charitatis imperfecto. Illi tamen, qui tunc unionem divinam habent simpliciter et per modum habitus et per transformationem, debent jam habere omnes habitus virtutum infusos, quia via ordinaria intentionis et perfectionis habituum virtuum infusarum ad hanc unionem divinam pervenerunt et in ea veluti sedem collocarunt.

500. *Confirmatur secundo.* Quia multoties Deus principiantibus viam contemplationis communicat eam dulcedinem, vel magnam partem illius, quam perfectis solet communicare ad eos ad se alliciendos et, ut ipsi suavitate vitæ spiritualis affecti eam toto affectu amplectantur. Et sic vidimus, quod in conversione filii prodigi eum cum lætitia, cum symphonia et musicis instrumentis recepit, stola prima induit eum, in brachiis ad

dulcem amplexum et osculum recipit, cecidit super collum ejus et osculatus est eum, ut refertur Lucæ 15. In quibus figurantur deliciæ unitivæ. Atqui filius prodigus nondum erat perfectus, sed nudus ab omni ornatu virtutum. Et ideo pater præcepit, ei afferi stolam et calceamenta, in quibus significantur virtutes, quibus per peccatum præcedens spoliatus erat. Ergo optime potest dari, quod adhuc aliquis sit imperfectus et de proximo a peccato mortali ereptus, et statim introducatur ad osculum et amplexum etiam divinæ unionis. Id etiam cernitur Levitici 23. ubi Deus eadem celebritate præcipiebat observari primam diem et ultimam festi tabernaculorum ad significandum, quod in primo die, quo anima Deo dicatur et contemplationi se tradit, ei eamdem suavitatem sæpe concedit, quam solet in summe perfectis concedere. Sed in prima die, quo quis se orationi et contemplationi tradit, non potest jam esse perfectus. Immo ei Deus concedit hanc suam eximiam suavitatem, ut eum ab imperfectionibus auferat. Ergo simul esse possunt summæ Dei deliciæ, immo et favores viæ unitivæ simul cum imperfectionibus incipientium.

Confirmatur tertio. Quia non repugnat, quod 501.
cum minori charitate sit major fervor spiritus et dulcedo divinarum consolationum. Immo hoc videtur naturale, ut videmus in musto, quod revera minorem calorem habet, quam vinum generosum. Et tamen mustum fervet et exsuperat, non vero vinum. Eodem ergo modo in via spirituali incipientes videntes Dei suavitatem suavi-

tate dulcedinis spiritus admirantur et veluti replentur stupore et ecstasi. Postquam vero jam perfecti sunt, hanc admirationem non habent nec hujusmodi consolationes, quia Deus eas in principio eis fecit, ut incipientes a gustibus terrenis et affectibus mundanis eriperet. Et ideo filius major patrisfamilias conquestus est de patre suo, qui cum fecerit convivium filio minori deperdito, ei convivium numquam fecit; cui pater respondit: « *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt. Epulari autem et gaudere oportebat quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est.* » Non ergo est contra ordinarium modum divinæ communicationis, quod incipientibus et imperfectis fiunt illi favores, qui solent fieri viris perfectis. Sed potius Deus hos favores in principio conversionis et quando adhuc sunt multæ imperfectiones, solet hominibus efficere ad eos alliciendos et trahendos.

502. *Dico 2.* Licet non sit impossibile, quod dentur divinæ consolationes et illuminationes viro adhuc imperfecto, repugnat tamen, quod aliquis recipit divinas consolationes et quod non *tendat quotidie magis ac magis ad perfectionem*. Ita N. M. S. Theresia (in itinere perfectionis, cap. 4. et
503. 41.), Palaus (lib. 3. cap. 29. n. 2. et cap. 28.). Ratio est, quia finis, quem Deus intendit illis communicationibus et illustrationibus, est, perficere hominem contemplativum. Et ideo sicut illustrat intellectum et cognitionem dono sapientiæ super suum modum connaturalem, eodem modo erigit voluntatem et alias vires animæ super suum mo-

dum ordinarium ad aliquam majorem perfectionem, ut ait Dionysius (de divinis nominibus, c.4. 5.) et N. M. S. Theresia (in vita sua, cap. 37. et Mansione 4. cap. 3.) Ergo si homo non cooperatur ex parte sua divinæ illuminationi, redditur indignus, quod Deus ei iterum tales illustrationes efficiat. Tum quia meliorata causa debent etiam ejus meliorari effectus, et melioratis potentiis debent actus ab eis procedentes meliorari. Sed voluntas per hujusmodi Dei communicationes perfectior fit et melioratur in charitate. Ergo eodem modo debent meliorari actus aliarum potentiarum ab ea imperati.

Hinc fit, quod N. M. S. Theresia (in itinere 504.
perfectionis, cap. 36.) docet, quod quando anima non exit a contemplatione perfecta cum magna determinatione consequendi mortificationem et alias virtutes, præcipue cum firmo proposito remittendi injurias, non multum fidendum esse de tali contemplatione. Ut ergo discamus, an consolationes receptæ in oratione sint a Deo vel non, non debet attendi tantum ad vitam præteritam, quantum ad profectum vitæ futuræ. Nam si ex tali consolatione oritur desiderium proficiendi, et notabilis in virtutibus profectus, licet aliqualis in eis inveniatur venialis defectus, non ideo talis contemplatio ut periculosa, sed potius ut fructuosa judicanda est. Adverte tamen, quod non ex eo, quod aliquis semel et iterum recipit has consolationes, statim ejus operationes debent esse perfectæ, sed sufficit, quod semper aliquis profectus in eo reperiatur, ut optime explicat N. M. S. Theresia (Mansione 4. c. 3.).

SECTIO XII

An anima, dum est in consummatione contemplationis, libere, an necessario operatur, nempe intelligendo et volendo, quod Deus vult.

SUMMARIUM

505. In contemplatione quantumcumque altissima hujus vitæ anima libere et cum cognitione operatur. 506. Probatur ratione. 507. Confirmatur primo prædicta doctrina. 508. Confirmatur secundo. 509. Confirmatur tertio.

505. *Dico 1.* In contemplatione quantumcumque altissima hujus vitæ non privatur anima humana intellectus et voluntatis operationibus, sed libere et cum cognitione operatur. Ita D. Thomas (de veritate, q. 13. art. 1. ad 9. et 2. 2. q. 175. art. 506. 1. ad 3.). Ratio est, quia vel intellectus operatur cum abstractione a sensibus etiam internis in ea contemplatione, vel servato ordine naturali per conversionem ad phantasmata. Si primo modo, cum talis cognitio non dependeat a sensibus, nec in fieri, nec in conservari nullam ei possunt inferre necessitatem, quominus homo sive dormiens sive vigilans impediatura perfecto usu rationis et libertatis operando independenter ab illis. Immo ex imitatione cœlestium mentium earumque participatione perfectius operabitur, quam fiat per naturalem usum rationis in homine vigilante. Si per conversionem ad phantasmata, non est difficultas, quia in somno prophetico, ecstasi et similibus, mens solvitur et est expeditior, et non impeditur actus animæ quoad perfectum judicium rationis. Immo superior portio inferiores func-

tiones sensuum impedit, maxime cum ab actuali judicio ab illis non dependeat, et satis est sola cooperatio phantasiæ ex naturali modo intelligendi hujus vitæ. Tum quia gratia non destruit naturam, sed perficit. Sed natura hominis est, ut libere operetur. Ergo contemplatione altissima hujus vitæ non privatur anima humana intellectus et voluntatis operationibus.

Confirmatur primo. Quia licet intellectus vehe- 507.
menter applicetur a Deo ad contemplandum, ita ut nullo modo ei resistat anima, sed ab eo se trahi sinat, ista tamen applicatio non tollit libertatem. Nam ista coactio ex parte Dei suaviter operantis solum est ex parte modi operandi per abstractionem a sensibus, qui est naturalis modus operandi, non est tamen coactio quoad terminum ; siquidem quoad terminum liberam Deus relinquit animam, ut operetur secundum suam naturam per intellectum et voluntatem. Ergo talis applicatio ex parte Dei non tollit libertatem. *Confirmatur secundo. Tum quia contingit* 508.
multoties, quod in tali contemplatione plura revelentur, quæ nituntur authoritate Dei revelantis, ut factum est, cum revelata sunt mysteria gratiæ, ad quæ credenda requiritur actus fidei. Sed actus fidei necessario est liber, supponens intellectum et voluntatem. Ergo in altissima contemplatione semper debet intervenire libertas. *Confirmatur* 509.
tertio. Tum quia libertas est radix meriti. Non est autem verosimile, Deum velle privare hominem justum tanta perfectione, etiam elevatum ad altissimam contemplationem et ad ecstasim vel

raptum, ut diximus Tract. 2. disp. 2. sect. 10. dicto 5. et sequentibus.

SECTIO XIII

Utrum animæ hujusmodi contemplativorum unitorum ita uniantur Deo, ut sint exempti ab omnibus virtutum actibus exercendis et obedentia mandatorum Dei et Ecclesiæ ?

SUMMARIUM

510. Aliqui hæretici dixerunt, contemplativos unitos pervenisse ad statum beatitudinis videntes intuitive divinam essentiam. 511. Nullus viator sine speciali Dei privilegio potest videre in hac vita divinam essentiam. 512. Referuntur alii errores hæreticorum. 513. Viri contemplativi quantumvis uniti obligantur præceptis legis divinæ. 514. Ponitur quædam objectio et solvitur.

510. Pro hujus sectionis intelligentia notandum est, aliquos hæreticos dixisse, istos contemplativos ad statum beatitudinis pervenisse, videntes divi-
511. nam essentiam. Quod quidem falsum est. Nullus enim viator potest in hac vita videre sine speciali Dei privilegio Deum per essentiam, juxta illud Exodi 33 : « *Non videbit me homo, et vivet* ».
512. Alii dixerunt, istos contemplativos esse redactos ad statum innocentiæ. Quod quidem etiam hæreticum est, quia nulli viatori datum est, ut ad Adæ innocentiam perveniret sine speciali Dei privilegio, ut patet ex Concilio Arausicano II. (an. 529.). Alii affirmant, istos contemplativos unitos ad nihilum redigi ; quod quidem etiam falsum est. Nam si nihilum essent, esse creatum amitterent ; quod quidem hæreticum etiam est. Alii

affirmant, istos contemplativos unitos nihil active agere, sed mere passive Deo operante solum in ipsis tamquam organis omnia sua opera efficere ; quod etiam hæreticum est, quia omnes creaturæ per Dei virtutem proprias ac peculiares in natura, in gratia et in gloria operationes habent. Alii dixerunt, istos contemplativos unitos nihil mereri ; quod etiam hæreticum est, contra illud (2. Paralip. 15) : « *Erit merces operi vestro* », et Psalmi 61 : « *Reddes unicuique secundum opera sua* ». Alii dixerunt, istos contemplativos esse in speciali otio et quiete ; quod etiam falsum est. Scriptum est enim : « *Qui edunt me, adhuc esurient* ». Et amor Dei otiosus non est.

Dico ergo : Viri contemplativi, quantumvis 513.
uniti, obligantur præceptis legis divinæ. Hoc est de fide. Ratio est, quia præcepta Dei sunt regula voluntatis humanæ. Sed nullus homo est, nec etiam Angelus, cujus voluntatem non oporteat regulari lege divina. Ergo impossibile est, aliquem hominem præceptis Dei non subdi. Ita D. Thomas (*in 2. Epist. D. Pauli ad Corinth. c. 3.). Nec 514.
obstat illud, quod ait ibi Paulus (2. Cor. 3, 17.) : « *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas* » ; et illa altera locutio : *Justo non est imposita lex* ». (Cf. Rom. 6, 15.). Respondetur namque cum D. Thoma (l. c.), sensum horum locorum esse, legem non esse impositam propter justos, non quia ad ea non *teneantur*, sed quia interiori habitu moventur ad ea, quæ lex Dei præcipit, sed propter injustos. Et similiter, ubi Spiritus Domini, ibi libertas, intelligitur, quia liber est, qui est causa sui. Nam servus est causa

Domini. Quicumque ergo agit ex se ipso, libere agit ; qui vero est ex alio motus, non agit libere. Ille ergo, qui vitat mala, quia mala, ille liber est. Hoc autem facit Spiritus Sanctus, qui mentem interius perficit per bonum habitum, ut sic ex amore caveat, ac si præciperet lex divina. Et ideo dicitur liber, non quia non subdatur legi divinæ, sed quia ex bono habitu inclinatur ad hoc faciendum, quod lex divina ordinat. Ita D. Thomas (l. c.).

SECTIO XIV

An otium sanctum contemplationis perturbetur ex vacatione vitæ activæ insistendo saluti proximorum et ex recitatione orationum vocalium.

SUMMARIUM

515. Vita activa omnino impedit otium contemplationis. 516. Optima dispositio ad contemplationem est acquisitio virtutum moralium, quæ fit per vitam activam. 517. Ponitur quoddam argumentum in contrarium et solvitur.

515. *Dico 1. Vita activa quantumcumque perfecta omnino impedit otium contemplationis.* Ita D. Thomas (2.2.q.182.art.3.). Ratio est, quia impossibile est, quod aliquis simul occupetur circa exteriores actiones, et divinæ contemplationi vacet. Hoc tamen procedit ex defectu nostro, quo ex corporis gravitate retrahamur ab altitudine contemplationis. Nam Angeli et ascendunt et descendunt. Ascendunt per contemplationem, et descendunt per administrationem, quod pertinet ad vitam activam, quin priventur internis contem-

plationis gaudiis,ut ait D.Gregorius (2. Moralium) et D.Thomas (2. 2. q. 181.art. 4. ad 2.).Et ideo in eis non distinguitur vita activa a contemplativa, sicut in nobis, qui per opera activæ impedimur a contemplatione.

Dico 2. Optima dispositio ad contemplationem 516.
est *acquisitio virtutum moralium*, quæ fit per vitam activam. Ita D. Thomas (2.2. q.180.art.2.). Et ratio est, quia actus contemplationis, in quo essentialiter consistit vita contemplativa, impeditur per vehementiam passionum, per quam abstrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad sensibilia, et per tumultus exteriores. Sed virtutes morales impediunt vehementiam passionum et sedant exteriorum occupationum tumultus. Ergo acquisitio virtutum moralium, quæ fit per vitam activam, est optima dispositio ad contemplationem.

Nec obstat, si dicas, ad id sufficere virtutes in- 517.
fusas, quæ infunduntur cum gratia absque ullo exercitio vitæ activæ. Ergo acquisitio virtutum moralium, quæ fit per vitam activam ,non potest esse dispositio ad vitam contemplativam. Non obstat inquam. Respondetur namque negando antecedens. Et ratio est, quia licet virtutes morales infusæ sint in esse perfectiores acquisitis, non tamen æqualem habent ad moderandas passiones et sedandos exteriorum occupationum tumultus efficaciam, sicut acquisitæ per proprios actus ob continuum contrariorum actuum exercitium, quo fuerunt acquisitæ, et simul appetitus circa passionum objecta debite fuit ordinatus.

DISPUTATIO V

De sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quatenus est medium, quo celebratur matrimonium spirituale.

SECTIO I

De unioni reali immediata fruitiva ecstatica, qua mediante celebratur matrimonium spirituale inter purissimas animas et Christum Dominum in Eucharistiæ Sacramento.

SUMMARIUM

518. Omnes animæ digne suscipientes Eucharistiam fiunt unum moraliter per affectum cum Christo. 519. Magnum discrimen datur inter unionem per affectum animæ cum Deo et animæ cum Christo in hoc Sacramento. 520. In quo conveniant inter se hæc duo unionum genera, explicatur. 521. Proponitur sensus quæstionis. 522. Regulariter non datur unio realis cum Christo in illis, qui digne accedunt ad hoc Sacramentum, sed tantum per affectum. 523. Probatur ratione. 524. Aliquibus perfectissimis contemplativis præter unionem per affectum cum Christo in hoc Sacramento conceditur unio realis cum Christo. 525. In quo consistat hæc unio realis explicatur. 526. Probatur, dari hanc unionem realem animæ cum Christo in hoc Sacramento authoritate sacræ Scripturæ. 527. Probatur authoritate Sanctorum Patrum. 528. Probatur ratione. 529. Ponitur quoddam argumentum, et solvitur. 530. In hac unione intellectus clare et intuitive videt Christum Dominum in Eucharistiæ Sacramento. 531. Voluntas illum præsentem immediate amplectitur et deosculatur, et quomodo hoc fiat ? 532. Christus, quantum ex se, paratus est, hanc unionem hominibus concedere eum digne recipientibus; sed ex defectu dispositionis ex parte incipientium non sic omnibus communicatur. 533. Quando datur hæc unio realis inter Christum et animam, fere semper datur ecstasis, et quomodo ?

518. Pro hujus sectionis intelligentia suppono, omnes animas digne suscipientes hoc divinum Sacramentum fieri unum cum Christo moraliter per

affectum charitatis. Secundo suppono, dari discrimen inter unionem per affectum charitatis animæ cum Deo et animæ cum Christo in hoc Sacramento. Nam unio per affectum charitatis cum Deo habet pro objecto divinitatem ipsam, cum qua charitate media anima tenacissime conglutinatur. Illa vero, quæ per affectum est, cum Christo habet pro objecto ipsum Christum, cum quo in hoc Sacramento vere et realiter existente intime per amorem conjungitur. Altera jungit spiritum nostrum cum Deo secundum illud : « *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* » Altera vero cum spiritu ipsius Christi secundum illud Joannis 6. : « *Et qui manducat me, et ipse vivet propter me* ». Hæc autem unio proprie consistit in affectu. 519.

Conveniunt vero inter se hæc unionum genera in eo, quod sicut unio cum Deo per amorem in justis solo charitatis affectu ut plurimum perficitur, ita etiam unio, quæ in Eucharistiæ Sacramento nos Christo conjungit, frequenter fit tantum in affectu. Secundo conveniunt, quod sicut ea unio per affectum charitatis cum Deo, etiamsi Deus sit intime præsens per essentiam omnibus justis, non efficitur realis unio, quia Dei præsentia non percipitur, neque gustatur, sed tantum per fidem edocemur, Deum esse ratione suæ immensitatis in omnibus rebus intime præsentem ac per gratiam inhabitare in cordibus justorum, « *stat tamen post parietem nostrum* » (Cant. 2,9.) ita absconditus, ut vix, nisi per effectus gratiæ, cognoscatur. Ità in venerabili Eucharistiæ Sacra- 520.

mento, quamvis Christus realiter mediis speciebus sit intime præsens corpori et animæ digne eum suscipientium, non tamen potest dici hæc unio realis nostri spiritus cum ipso Christo, quia ejus præsentia non gustatur, neque experimentaliter percipitur ab omnibus, qui ad illum digne accedunt. Quare tantum est unio et conjunctio

521. per affectum. Quod ergo in præsenti quærimus, est, an, sicut aliquando amoris incendium erga Deum eo pervenit, ut anima ad unionem realem immediatam et fruitivam cum Deo feliciter divina præventa gratia pertingat, ut superius late diximus, ita etiam unio, quæ in Eucharistiæ Sacramento nos Deo conjungit, aliquando eo pertingat, ut aliquæ mentes defæcatæ et purificatæ in effectu et reali connexione ipsi Christo immediata et reali conjunctione feliciter copulentur ?

522. *Dico 1.* Certum est, regulariter non dari, etiam in his, qui digne accedunt ad hoc Sacramentum, ullam unionem realem præter eam, qua ipsi Christo animæ eorum per charitatis affectum virtute hujus Sacramenti peculiari unione conjunguntur. Ita D. Cyprianus (sermone de cœna Domini), S. Damascenus (lib. 4. de fide orth., cap. 14.), Fr. Thomas a Jesu (de oratione divina, lib. 4. c. 47.).

523. Ratio est, quia regulariter etiam digne venerabile hoc Sacramentum suscipientes non sentiunt animæ suæ cum Christo aliam unionem realem, præter eam, quæ fide per affectum amantis ad amatum stabilitur, quia nulla unio realis inter nostrum spiritum et Christum, nisi ea, quæ fit per affectum charitatis et amoris, intelligi potest.

Ergo regulariter nulla alia datur præter eam, quæ fit per charitatis affectum.

Dico 2. Præter hanc unionem affectus existimo, 524.
dari aliam realem et ineffabilem cum ipso Christo in hoc divino Sacramento, quæ defæcatis tantum mentibus ac Christum ipsum ardentissime desiderantibus evenire solet. Hæc autem felicissima 525.
unio nihil aliud est, quam ipsius Christi præsentiæ in hoc Sacramento latentis intima manifestatio, non tam per visionem aut revelationem, quam per complexus dulcissimos, quibus animam ita ineffabiliter ac suaviter adstringit, ut ipsa ejus realem præsentiam, oscula et amplexus certissime percipiat. Erit igitur, si proprie loquamur, vitalis sensus et gustus ipsius Christi in Sacramento existentis, per quem sensum sive divinissimum contactum ejus præsentia realiter percipitur, ejus bonitas et ineffabilis dulcedo in suo fonte gustatur. Et hæc est vera unio et notitia experimentalis ipsius Christi, non per affectum tantum, sed per arcanum contactum ac unionem immediatam et realem animæ nostræ cum Christo.

Quare sicut unionem fruitivam et ecstaticam animæ cum Deo esse diximus ex parte Dei illapsum et manifestationem quamdam, quo Deus animæ nostræ illabitur, se intime conjungens cum intellectu in ratione summæ lucis, cum voluntate in ratione summi boni et summi delectabilis, qui illapsus appellatur deosculatio sive amplexus Dei, aut ostensio faciei suæ sub ratione omnis boni ; ex parte vero animæ esse perceptionem

experimentalem omnium sensuum internorum istius summi objecti, nempe Dei, ad quam unionem experimentalem sequitur transformatio sive liquefactio animæ, ad liquefactionem ecstasis sive defectio, ad defectionem vero absorptio Dei, ita *unio ista realis Christi in Sacramento*, quæ purissimis et seraphicis mentibus eum suscipientibus contingere aliquando solet, *nihil aliud est, quam illapsus sive manifestatio ipsius Christi existentis occulte in hoc Sacramento*, ostendentis se mentibus purgatissimis sub ratione summæ lucis et summi boni, ac contactu quodam divinissimo ac ineffabili non solum ad carnem sed ad spiritum pertingentis. Ita N. Thomas a Jesu (de orat. divina, lib. 4. cap. 27.).

Adverte tamen, quod hic contactus et hæc unio non consistit in eo præcise, quod Christus ex intimo affectu per modum cibi intra nos operetur, ut aliqui existimarunt; est enim ista unio moralis tantum, quæ nulla ratione dici potest realis, cum adhuc Christus ipse per modum cibi intra nos operans nullo sensu percipiatur aut tangatur, sed fide tantum credatur et cognoscatur ut præsens; sed consistit ex parte Christi in dulcissimo et reali complexu et deosculatione, quo Sponsæ sibi dilectæ osculum dulcissimum concupiscenti largitur; ex parte vero animæ consistit in mutua ac reciproca unione sive amplexu, ad quam consequitur experimentalis et dulcissima perceptio ipsius Christi, per quam spiritualis dulcedo in ipso Deo possidetur. *Non enim fide tantum et affectu, sed re ipsa* purissimæ animæ ipsius

Christi consummatam ex ejus divino amplexu *sentiunt unionem.*

Hæc autem unio realis intima sponsæ eum 526.
Sponso in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento probatur primo *authoritate sacræ Scripturæ*, deinde *Sanctorum Patrum, et tandem ratione.* Ex Scriptura probatur ex illo loco Joannis 14 : « *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre, et vos in me, et ego in vobis,* » quæ verba non solum de adventu Spiritus Sancti sunt interpretanda sed et de Christi Domini adventu per Eucharistiæ sanctæ sumptionem intelligi propriissime possunt, quasi dicat : « In illa die, quando ego venero ad vos sub speciebus panis velatus, cognoscetis tria hæc,nempe me esse in Patre meo,id est, me esse Dei filium, Deum verum, ejusdem cum Patre substantiæ. Rursus cognoscetis, vos esse in me, id est, percipietis, spiritum vestrum et carnem vestram meæ carni ac divinitati intime esse unitam ; ac demum experiemini, quod ego etiam sum in vobis,id est,vobis omnino per interiorem amplexum unitus, ita ut vere possit dici, quod vos, qui manducatis meam carnem et bibitis meum sanguinem, in me maneatis et ego in vobis ; quod commune est omnibus digne ad me accedentibus. Sed et ulterius in illa die cognoscetis, quod ego, qui a Patre processi, maneo in vobis et vos in me. » Quæ quidem cognitio, quæ purioribus animabus contingit, nihil aliud est, quam cognitio experimentalis et perceptio Christi realiter uniti cum ipsis. De qua unione intelligenda sunt illa verba : « *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* »

Hæc quidem interpretatio manifeste colligitur ex sequentibus verbis : «*Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei me ispum.* » (Joan. 14, 21.). Non enim inquit : « Pater diligit mandata mea observantes, sed ego etiam, non ut Deus tantum, sic enim una et eadem dilectione cum Patre diligo, sed ut homo etiam mea charitate, quam ut homo habeo, vos diligam, non tantum continuando amorem, sed novis semper cumulando beneficiis, quibus multifariam et continuo meos afficio amicos, inter quæ præcipuum illud est, quod manifestabo eis meipsum. Quæ quidem promissio cum non solum de discipulis, sed etiam de omnibus perfecte Christum diligentibus intelligatur, non video de alia manifestatione locum hunc interpretari posse, quam de ea, qua Christus ineffabiliter in hoc Sacramento aliquando sanctissimis animabus per divinum illapsum se manifestat ac percipiendum per unitivum amplexum sepræbet.

527. *Ex Patribus* vero tenet hanc sententiam S. Joannes Chrysostomus (homil. 45. in Joannem.), ubi ait : « *Ut auten non solum per dilectionem, sed etiam re ipsa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit et in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maxime est.* » Idem docet S. Cyrillus Alexandr. (in Joan. Evang. lib. 4. cap. 6. v. 57.) dicens : « *Quemadmodum enim si quis*

ceram ceræ conjunxerit, utique alteram in altera esse videbit : eodem quoque, opinor, modo, qui Salvatoris nostri carnem suscipit, et bibit ejus pretiosum sanguinem, ut ipse ait, unum quiddam cum eo reperitur, commistus quodammodo et imusistus ei per illam participationem, ita ut in Christo quidem ipse reperiatur, et vicissim Christus in ipso.»

Idem docet S. Hilarius (lib. 8. de Trinitate.) S. Gregorius Nyssenus (* homil. 8. in Ecclesiasten.), D. Thomas (*opusc. 61. gradu. 7. et8. amoris divini), S. Bonaventura (*Itin. 6. ætern. dist, 6.), Joannes Gerson (tr. 9. super Magnificat p. 3.), Dionysius Carthusianus (* serm. 4. de festo Corporis Christi), Taulerus (* Inst. c. 39.) et alii, quos refert et sequitur N. Thomas a Jesu (de divina oratione, lib. 4. cap. 27.), quos brevitatis causa omitto.

Deinde *probatur ratione*. Amor suapte natura 528.
tendit ad unionem non tantum per affectum, sed etiam realem amantium inter se, ita ut virtute illius et ex se, si fieri posset, ex ambobus amantibus fieret unus. Quod cum sit impossibile, amor re ipsa quærit unionem, quæ convenit et decet, ut cum Aristophano et Aristotele notavit D. Thomas (1. 2. q. 28. art. 1. ad 2.). Sed unio, quæ convenit et decet, est unio realis, quæ est amoris præcipuus effectus et consummatio. Ergo præter illam unionem, quam amor per affectum charitatis producit, quæ omnibus Christum digne sumentibus in hoc Sacramento communis est, alia unio realis in animabus purificatis et seraphicis inveniri potest, quæ consummata est et verus ef-

fectus amoris. Hæc autem nihil aliud esse diximus, quam *ipsius Christi illapsum, quo per unitivum amplexum animabus heroicis virtutibus præditis se manifestat.* Ergo talis unio realis aliquando datur, qua realiter Christus animæ conjungitur, eique oscula spiritualia imprimit, et multo etiam ab ipsa anima osculatur, percipitur, adstringitur et tenetur, appellaturque merito hæc conjunctio matrimonium spirituale inter animam et Christum, inter quos matrimonium per charitatis affectum contrahitur. Per illapsum vero Christi in animam et per ejus amplexum consummatur et perficitur.

529. Dices, *qua ratione Christus in hoc Sacramento* reali conjunctione his animabus *conjungitur?* An inquam prius sua carne nostram tangente et sua virtute ad spiritum usque nostrum tangente, seu potius immediate animæ ipsi illabatur ac ejus præsentiam realem exhibeat eique arctissime uniatur? Respondeo, hanc unionem in primis esse ineffabilem ac proinde vix posse ejus modum exacte explicari. Gustari potest, quod explicari nequit. Cæterum, quamvis perfecte nequeat istius unionis divinissimus nexus elucidari, breviter tamen ac sub peritorum correptione, illud in primis sentimus, in hac unione corpus Christi tangi, palpari et sentiri supernaturaliter posse etiam a nostra carne et de facto id contingere, ut sectione sequenti dicemus. Quomodo vero glorificatum corpus tangi queat, cum adeo subtile sit, ut neque attrectari, neque teneri possit, hoc divinæ omnipotentiæ attribuendum arbitror. Scimus enim,

Thomam et palpasse et vidisse latus Christi : « *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas* » etc. (Joan. 20.). Ubi D. Augustinus et alii Patres per illud verbum : « vide » intelligunt : « tange ». Unde ex Augustino et aliis Patribus infert Maldonatus, Thomam revere tetigisse Christi corpus, non ergo quia gloriosum ideo a nostra carne sentiri aut percipi sive tangi divina virtute nequit. Caro igitur Christi eorum carni, qui ardentissima inflammati charitate eam suscipiunt, reali conjunctione unitur, et tunc divinitas, immo totus Christus animæ illabitur ac intime realique conjunctione inhæret. Hæc consummata et perfecta cum Christo unio tam in carne quam in spiritu in hac vita inchoatur, perficitur vero et consummatur in gloria. Hæc unio immediata nostræ carnis cum Christi etiam vivificante carne magis consona Patrum loquendi modo videtur.

Possumus etiam in hac unione illud satis pro- 530.
babiliter judicare, ut ipse Christus sine alio physico aut reali nostræ carnis contactu usque ad interiora spiritus nostri clausis corporis januis ingrediatur, ibique spiritui dignissime eum recipientium manifestetur, eique arctissime conjungatur, ita ut spiritus noster per interiorem amplexum vitali sensatione, intellectu scilicet et voluntate ipsum Christum sibi unitum sentiat, tangat, percipiat, degustet, eique intime adhæreat, atque unus cum Christi spiritu factus vivat ; quod aperte sonare videntur illa verba Joannis 14 : « *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum.* » Quæ quidem

manifestatio, ut supra diximus, nihil aliud est, quam illapsus Christi in animas sanctissimas per amplexum et deosculationem suavissimam. Quem amplexum cum degustaret Sponsa, ait : « *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* ». (Cant. 8, 3.).

In hac vero experimentali ipsius Christi tempore hujus illapsus perceptione, quæ sint vitales tam intellectus quam voluntatis operationes, explicemus oportet. In primis intellectus tunc sentit ac vitaliter percipit Christi præsentiam, ita ut nulla ratione possit dubitare, Christum esse spiritui proprio unitum, licet eum intuitive ac clare non conspiciat, sicut Sponsa nocturno tempore Sponsi amplexus, quem videre nequibat, sentire potuit et de ejus præsentia reddi certa, ut ipsa fatetur Canticor. 5 : « *Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus* ».

Aliquando vero ipse Christus clementissimus animarum *Sponsus* tunc temporis *permittit non solum ab intellectu sub fidei nocte percipi, sed et clare et intuitive videri* non multum dissimili visione, (quantum ad hoc,) ab ea, qua nunc a beatis spiritibus videtur in cœlo, quamvis non ea plenitudine gloriæ claraque essentiæ divinæ visione. In venerabili igitur Eucharistiæ Sacramento prædicti illapsus sive unionis tempore visio intellectualis oculi divina virtute elevati in ipsum Christum terminatur, non tantum ut ibi præsentem, sed ut omnino digne suscipienti unitum, ac intime per amplexum illum divinissimum con-

junctum. Qua quidem visione intellectus fit omnino certus de præsentia Christi tam sub speciebus sacramentalibus, quam sibi arctissime conjuncti. Quare sane certitudo pro brevissimo illo tempore fidem evacuat, quantum ad illum articulum de præsentia Christi in Sacramento. Quod vero possit intellectus divina virtute elevatus videre Christum ibi sacramentaliter existentem, gloriosum et beatum, immo etiam sine modo sacramentali, communior est Theologorum sententia.

Si vero *de voluntate* loquamur, *certum est, ipsam tempore istius illapsus immediate Christum ipsum sibi præsentem dulcissime amplecti* ac ejus suavissimam præsentiam et osculum degustare ac dulcissime frui. Quare voluntas tunc perfectissime Deo unitur, ipsumque perfectissime amat, sentit et gustat. Et sicut beatitudo cœlestis consistit in manifestatione seu manifesta visione ipsius Dei ac unione intellectus et voluntatis cum ipso, ita ista unio, sive perceptio vitalis Christi, quæ beatitudinis vera inchoatio dici potest, nihil aliud est, quam perceptio seu sensus vitalis Christi in Sacramento existentis, qua non minus intellectus quam voluntas ipsum Christum immediate attingit. Sunt enim istæ duæ potentiæ quasi duo brachia, quibus anima Christum complectitur eique unitur. 531.

In hac igitur præclarissima unione anima etiam in hac vita præ amore extra se rapta soporatur ibique dormit somno placidissimo ac per mentis excessum extra se rapti omnino ejus sensus tam in-

teriores,quam exteriores absorbentur.Hujusmodi soporem ecstasimque desiderabat Sponsa in Canticis clamans : « *Indica mihi, quem diligit anima mea,ubi pascas, ubi cubes in meridie.* » (Cant. 1, 7.).Hujusmodi sopore tenebatur Evangelistæ anima, cum in Christi pectore revera lacte et melle manante recumbens incomprehensibilem illam sapientiam exsuxit, quam postmodum ad totius mundi refocillationem abunde effudit.Hujusmodi somno obdormivit Adam in paradiso in statu innocentiæ. Hujusmodi sopore soporatus fuit Paulus, quo raptus est in tertium cœlum,ubi audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. In talem ecstasim fuit raptus egregius ille propheta, qui cum Deo quadraginta diebus ore ad os loquebatur, non sane per umbram aut in ænigmate, sed aperte, sicut solet amicus ad amicum loqui.

Nec mirandum est, cur soporem hunc non nocturnum, non matutinum, sed *meridianum* Sponsa nuncupet ; haud inquam præter rationem. Nam in meridie sol omnium ferventissime, splendidissime, altissime in sua sphæra refulget. Sic in dulcissimum hujus excessus soporem Sponsa pervenire nequit, nisi ferventissima prius charitate Dei et proximi succensa, nisi splendidissimis solis justitiæ radiis illustrata, nisi in altissimo virtutum omnium solio consistens.Istud profecto epulum omnium est deliciosissimum supremaque omnium felicitas, quæ in hoc mundo Sponsæ contingere potest. Gustus enim quidam est cœlestium voluptatum fruitioque amplexus Sponsi.Istud est, quod præ omnibus potissimum

desiderat Sponsa. Verum proh dolor! adeo raro, adeo tenuiter ac momentanee hac illi suavitate frui licet, ut eam priusquam se percepisse sentiat, amittat. Non enim durat hæc felicissima Sponsi præsentia, nisi quantum species sacramentales non consumuntur, immo nec per hoc sæpe tempus. « *Rara enim est* », ut inquit Bernardus, « *hora, et brevis mora.* »

Ex dictis infero primo, perfectam unionem carnis Christi cum nostro spiritu non consistere in eo præcise, quod Christus ex intimo affectu per modum cibi intra nos operatur, ut aliqui existimarunt ; est enim ista unio moralis tantum, quæ nulla ratione dici potest realis et naturalis unio, cum adhuc Christus ipse per modum cibi intra nos operans nullo sensu percipiatur aut tangatur, sed fide tantum et credatur et cognoscatur ut præsens. Hæc autem unio, de qua locuti sumus, vere realis, substantialis et naturalis est, quia non fide tantum et affectu, sed re ipsa purissimæ animæ ipsius Christi consummatam ex ejus divino amplexu sentiunt unionem.

Dixi, eam unionem recte vocari naturalem, non quod una in naturam alterius convertatur, sed quia Christus secundum veritatem naturæ et carnis suæ nobis unione reali per physicum contactum eo modo, quo fieri potest, nempe per vitalem perceptionem, conjungitur. Christus enim animæ nostræ et Sponsus et vitalis cibus in hoc Sacramento miro quodam modo unitur, ita ut totum hominem ad se trahat et transformet, ut nulla possit unio conjunctior ac transformatio

verior perfectiorque cogitari in hac vita. Sicut enim ignis omnem ligni materiam adeo absumit, ut jam lignum non tam lignum quam ignis esse videatur unumque cum igne efficiatur omnique deperdita ligni similitudine in ignem ita transformetur, ut ignis etiam in nomine merito appelletur, ita anima hoc arcano Christi contactu tota a se ipsa deficiens Christo ipsi unitur ac in eum ineffabili modo transformatur, ita ut pro illo brevissimo tempore divinis Christi splendoribus tota illustrata ac ejus amplexu penitus ignita in ipsum Christum transivisse videatur, cum Apostolo vere dicens : « *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus* ».

532. Adverte tamen, Christum, quantum est ex se, paratum esse, sui ipsius manifestationem liberalissime concedere eis omnibus, qui non solum in gratia sunt, sed qui se digne disposuerint ad hanc realem unionem et amplexum. Rarissimi tamen admittuntur ob defectum dispositionis. *Bibunt namque amici, sed solum charissimi inebriantur.* Felix anima, quæ in hac cella vinaria inebriatur, ut ait Sponsa Canticorum 1 : « *Introduxit me rex in cellaria sua.* » Felix anima, quæ in hac mensa nuptiali matrimonii spiritualis cibum istum omnium delicatissimum comedit, ut ait Sponsa Canticorum 2 : « *Fructus ejus dulcis gutturi meo* » ; quæ de hoc fonte signato potatur, juxta illud Isaiæ 12 : « *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* » ; quæ in hoc horto concluso cum Sponso recreatur, juxta illud Canticorum 5 : « *Veni in hortum meum, soror mea sponsa.* »

Felix anima, quæ in hoc florido lectulo dormit cum Sponso,ut ait Sponsa Canticorum 1 : « *Lectulus noster floridus.* » Eucharistiæ enim Sacramentum est lectulus floridus, in quo coopertus et absconditus Sponsus requiescit cum dilecta sua usque ad consummationem sæculi. Felicissima anima, quæ in hoc throno gloriæ Sponso sociatur. Eucharistia enim est *ferculum,quod fecit sibi Salomon de lignis Libani, cujus reclinatorium est aureum et ascensus purpureus, media charitate constratus propter filias Jerusalem*, ut dicitur Canticorum 3.

Ex quo concluditur, quod cum fervor charita- 533.
tis tantus sit in hoc divino thalamo nuptiali, in hoc throno gloriæ Christi, fere numquam sine ecstasi hæc unio fruitiva contingit. Inde tamen non licet inferre, quod semper ecstasis contingit in receptione hujus Sacramenti, animam eo tempore ad istam felicissimam unionem elevari. Sæpe enim ecstasis sine tali unione contingere potest, ut aliquando etiam accidit incipientibus ex speciali dulcedine, quam aliquando recipiunt in receptione hujus divinissimi Sacramenti. Sed ultra requiritur experimentalis ipsius Christi ejusque osculi et amplexus vitalis claraque perceptio. Felix anima,quæ regi æterno Christo per similes nuptias est copulata.O eximiam et beatam Christi et animæ conjunctionem, quæ talis tantaque est, ut Christus sit illi omnia in omnibus, qui ideo factus est homo, ut media hac sacramentali ac deifica unione homo fieret Deus.

SECTIO II

De unione corporis Christi eum carne digne eum suscipientis.

SUMMARIUM

534. Regulariter loquendo inter nostrum corpus et corpus Christi nulla datur realis unio virtute Eucharistiæ, sed tantum unio moralis mystica mediis speciebus sacramentalibus. 535. Aliquando ex speciali Dei favore et dispensatione contingit, dari hanc unionem realem in illis animabus, quæ pervenerunt per contemplationem ad realem animæ unionem cum Christo in Eucharistia. 536. Hæc unio tam spiritus quam carnis nostræ cum ipso Christo et ejus carne est similis illi, quam nunc in cœlo animæ separatæ, et post resurrectionem etiam corpora Beatorum cum Christo feliciter experientur. 537. Anima, quæ pervenit ad hanc unionem et complexum, felicissima est. 538. Quomodo aliquæ locutiones Patrum sunt intelligendæ, declaratur. 539. Ex hac unione et contactu carnis Christi in nostram carnem mirabilis virtus derivatur. 540. Quadruplex potest dari unio inter digne suscipientes Christum et ipsum Christum, quæ ibi explicantur.

534. *Dico* 1. Regulariter loquendo inter nostrum corpus et corpus Christi nulla datur realis unio virtute Eucharistiæ, nisi tantum unio moralis mystica, fundata aliquo modo in corporali vinculo seu conjunctione corporis Christi mediis speciebus sacramentalibus cum carne nostra. Quam si volueris dici realem, solum erit, ut excludantur signa et figuræ, non vero quia re ipsa fit realis unio inter carnem Christi et digne suscipientis. Ita Suarez (in 3. part. q. 79. dist. 64. sect. 3.) et N. Thomas a Jesu (de oratione divina, lib. 4. c. 30.). Ratio est, quia in receptione Eucharistiæ corpus Christi nec physice sentitur, nec corporeo aut intellectuali, sed tantum fidei oculo videtur. Neque aliquo alio sensu regulariter præsentia-

liter percipitur. Sed non potest dari unio realis inter corpus digne suscipientis Christum et corpus ipsius Christi sine aliquo contactu et aliqua sensus perceptione. Ergo regulariter talis unio inter corpus Christi et corpus digne suscipientis non invenitur.

Dico 2. Licet regulariter non detur talis unio, 535.
ut dixi præcedenti asserto, aliquando tamen ex speciali Dei favore et dispensatione contingit, dari hanc unionem, non in omnibus digne suscipientibus Christum, sed in illis tantum, quorum mens divina dignatione ad unionem illam felicissimam (de qua sectione præcedenti locuti sumus), sublevatur. In his enim corpus Christi immediate non solum attingitur ab eorum spiritu, sed et eorum caro sentit ineffabili contactu Christi præsentiam. Et in hoc sensu debent intelligi D. Hilarius (lib. 8. de Trinitate.), D. Chrysostomus (homil. 46. in Joannem.), S. Cyrillus Alexandrinus (In Joan. Evang. lib. 4. c. 6, v. 57.) et alii Patres, quos refert Maldonatus (in Commentariis, c. 6. in Joannem) et Vasquez (in 3. part. q. 79. art. 2. dist. 204. c. 2. in fine), qui talem unionem videntur concedere inter corpus Christi et corpus digne illum suscipientium. Ratio est, quia licet corpus Christi in hoc Sacramento sit intangibilis et imperceptibilis, divina virtute fit, ut tangat et tangatur ac immediate percipiatur, non solum a purissimis ac purgatissimis mentibus, sed etiam ab eorum carne.

Dico 3. Hæc unio tam spiritus, quam carnis 536.
nostræ cum ipso Christo et ejus carne est similis

illi, quam nunc in cœlo animæ separatæ et post resurrectionem etiam corpora Beatorum cum Christo feliciter experientur. Nam sicut in cœlo Christus ineffabili modo mentibus Beatorum illabetur et ipsorum animæ in Christum transformabuntur, ita ut in illis per unionem realem vere Christus vivat et regnet et ipsi in ipso manentes vivant in Christo et propter Christum, corpus vero Christi unietur carni Beatorum jam resurrectorum, non per penetrationem sed per quoddam dulce amplexum, et de osculatione eodem modo accidit in hac vita aliquibus justis purgatissimis. Non enim solum eorum mentibus illabitur Christus et ipsorum animæ in ipsum transformantur modo dicto, sed etiam caro Christi corpori nostro conjungitur ac a carne nostra caro Christi ineffabili modo sentitur et complexatur ac realiter unitur, ita ut post tanti Sacramenti sumptionem divina dignatione etiam nostra corpora æternæ felicitatis fructus percipere incipiant.

537. O castissimi et purissimi amplexus et felix osculum et stupenda miratione mirabile, ubi per contactum labiorum et complexum ipsius Christi transfunditur spiritus osculantis non solum in corpus sed et præcipue in animam ! Nam sicut etiam hi, qui se invicem osculantur, non sunt sola labiorum impressione contenti, sed præterea et spiritum ipsum sibi invicem videntur infundere, ita hoc Christi osculum non solum carne percipitur, sed et spiritus ipse Christi animæ infunditur, ubi corporis contactu anima Sponsæ ad plenissimam in Christum transformationem sublimatur.

Unde quando Patres pro explicanda hac vitali 538.
unione justorum cum Christo in venerabili Sa-
mento existente utuntur variis loquendi modis
sive comparationibus, quales sunt illæ, *sicut si cera igne liquefacta alteri ceræ etiam liquefactæ immisceatur ac unum ex utraque fiat*, ut dicit S. Cyrillus Alexandrinus, aut quando S. Chrysostomus (homil 45. in Joannem) ait : « *Non solum per dilectionem, sed etiam re ipsa in illam carnem convertimur*, et infra : » *Per corpus suum se nobis commiscuit et in unum nobiscum redegit* » : accipienda sunt de unione animæ cum carne Christi, id est cum ipso Christo, fere non aliter ac nunc animabus separatis in gloria similis unio contingit eo modo, quo superius explicavimus, et eodem modo sunt intelligendi alii Sancti Patres et Doctores.' Cum carne vero dignissime suscipientis tam arcta unio sive transformatio non fit, sed potius est quidam contactus nostræ carnis cum gloriosissima Christi carne, eo modo, quo S. Ambrosius (serm. 9.) de S. Agnete refert, eam dixisse, cum jam moritura Christi corpus suscepisset : « *Nunc corpus Domini mei corpori meo associatum est* ».

Dico 4. Ex hoc Christi contactu cum carne 539.
nostra mirabilis virtus in carnem nostram derivatur. Virtus enim ex illo exit, quæ non solum mentes, sed et corpus sanat ac corroborat, reformans illud ac influens in ipsum miram spiritui subjectionem, exhibensque membra illius arma justitiæ ac quodammodo gloriosi corporis. Immo et ipsius Christi incipit induere qualitates, ut

ferme in hoc proposito scribit S. Bonaventura (Itin. 7. dist. 6.), ubi ait : « *Sicut per opera interioris hominis, ut per contemplationem quandoque fit quædam prælibatio æternæ vitæ, ita et per opera exterioris hominis fit in eo aliquando similitudo aliqua vel imago æternæ vitæ, sicut dicit Bernardus * in libro de Amore Dei, ubi dicit sic : Sicut in sanctitate vitæ et hominis interioris contemplatione et fruitione Divinitatis jam futuræ vitæ beatitudinem prælibare in hac vita videntur et imitari, sic etiam de corporum ipsorum glorificatione, quam plene ibi percepturi sunt, in hac vita nonnihil percipiunt* ».

540. *Dico 5.* Quadruplex datur genus unionis inter digne suscipientes Christum et ipsum Christum. *Primum per affectum charitatis*, quæ communis est omnibus digne accipientibus hoc venerabile Sacramentum, quæ unio vere differt ab illa generali, qua per charitatem justi uniuntur cum Deo, quia illa respicit proprie Deum ipsum, hæc vero ipsum Christum intra nos in hoc Sacramento vere existentem ac excitantem nostrum spiritum, ut cum ipsius Christi spiritu arctissime conjungatur. *Secundum genus unionis est*, cum Christus non tantum per affectum, sed etiam in effectu reali conjunctione ita immediate animæ unitur ut ab illa ejus præsentia suavissime percipiatur, quæ numquam sine mentis excessu contingit. Hæc vera paucissimarum ac sanctarum est animarum. *Tertium vero genus unionis est*, cum non solum Christi realis præsentia a mentibus purissimis unione prædicta ineffabili percipitur, sed

etiam corpori conjungitur ac a carne nostra caro Christi ineffabili modo sentitur. *Quartum denique unionis genus* dici potest, cum Christus mediis speciebus carni digne eum suscipientium conjungitur, quæ potius moralis et mystica, quam realis dici debet.

Hæc de felicissima animæ cum Deo unione et de tota mystica theologia ad laudem et gloriam Dei omnipotentis beatissimæque Virginis Mariæ, ejus dignissimi Sponsi Sancti Josephi, S. M. N. Theresiæ, omniumque Sanctorum, et ad utilitatem animarum, ac sub Ecclesiæ sanctæ Romanæ censura, cui libentissime in omnibus tamquam verus ejus filius me submitto hodie 12. die Nobris anni Domini 1671.

Laus Deo et Beatæ Virgini de Monte Carmelo.

INDEX RERUM

NUMERUS ROMANUS TRACTATUM, ARABICUS EJUSDEM TRACTATUS NUMERUM MARGINALEM SIGNIFICAT.

A

Abominatio (passio) II 113-115.
Acedia I 35.
Actus vitalis I 39 seq.
Adam, quomodo peccaverit II 2; — in summo gradu contemplationis IV 455.
Æquivocationes fugiendæ IV 356.
Alienatio sensuum III 263-269.
Amare quid I 32-33.
Amicus quid I 95.
Amor (passio) II 95-100; — utrum possit esse absque prævia cognitione I 48-63; — amor proprius mortificandus II 209-213.
Amplexus Dei quid I 87.
Annihilatio animæ in statu unionis quid I 83-85.
Apparitiones vide Visiones.
Appetitus sensitivus II 87-89.
Apprehensiones supernaturales, quomodo in eis anima se debeat gerere III 363-371; — veræ, quomodo distinquantur a falsis 372-425.
Ariditas in purgatione passiva II 236-238.
Arrhæ in matrimonio spirituali IV 409.
Audacia (passio) II 132-135.
Auditus mortificandus II 149-151.
Austeritas vitæ heroica IV 229-237.
Avaritia I 25.

B

Beatitudines III 136; 144; 150; 156.
Beatitudo, in quo consistat IV 37-41.
Blasphemias excitat diabolus II 318.

C

Caligo quid I 74-77; — III 259-262.
Carentia bonorum animæ II 273.
Castitas, tentationes contra eam II 258-265; — heroica IV 238-254.
Certitudo animæ, utrum sit in statu gratiæ II 118-123.

Charitas, ejus effectus II 11-13 ; — necessaria ad acquirendas et conservandas virtutes III 171-176. — heroica IV 177-191.

Christus, quas passiones assumpserit IV 485.

Communicationes supernaturales vide Apprehensiones.

Complexio videntis attendenda III 399.

Concupiscentia (passio) II 101-103.

Confessarius vide Magister spiritualis.

Conformitas cum voluntate Dei quid I 85.

Conjunctio hominis cum Deo per fidem II 425-429.

Consolationis subtractio II 315-317.

Contemplatio quid III 4-7 ; — dispositiones ad eam 8-14 ; — proprietates et effectus illius 15-24 ; — c. catholicorum et philosophorum 25-29 ; — acquisita et infusa 30-35 ; — acquisita quid 36-40 ;— quomodo differant c. acquisita et infusa 41-52 ;— c. acquisita mediante lumine fidei 53-60 ; — c. per affirmationem et per negationem 61-70 ; — per ascensum et per descensum 71-76 ; — per motum circularem,rectum et obliquum 77-84 ; — c.infusa seu supernaturalis quid 208-211 ; — ejus causæ 212-216 ; ejus proprietates et effectus 217-221; ad eam debent omnes adspirare 222-229 ; — media ad eam 230-236 ; — quibus concedatur vel denegetur 237-245; — contemplationis gratiæ subtractio 240-243 ; — c. supernaturalis ordinarie miscetur imaginationi 249-254 ; — sine concursu cum imaginatione 255-258 ; in caligine divina 259-262 ; — aliquando ad claram Dei visionem pervenit 270-274 ; ejus principium elicitivum 276-304 ; — quibus mediis perficiatur 305-310 ; — an in ea anima libere et cum cognitione operetur IV 505-509; — num in ipsa anima discurrat 490-496 ; — num perturbetur vita activa 515-517.

Contemplativi uniti, num exempti a virtutum actibus IV 510-514.

Contemptus mundi heroicus IV 229-237.

Corruptio humanæ naturæ II 3.

Curiositas mentis mortificanda II 198-204.

D

Dæmon vide Diabolus.

Delectatio (passio) II 104-107.

Desiderium (passio) II 101-103.

Desolatio in oratione II 239-240.

Desperatio (passio) II 128-131; — (tentatio) II 313-314 ; — d. remedii gravissimum animæ tormentum II 322.

Desponsatio cum Deo I 88-92 ; IV 363-375,

Deus variis modis vocat homines II 37.
Devotionis exercitium III 195-199.
Diabolus excitat spiritum blasphemiæ II 318 ; — causat tentationes contra fidem et spem 311, 313 ; — persequitur electos 269 ; — se transformat in angelum lucis III 372 ; — potest plura facere, quæ revera falsa sunt 379-386 ; — potest multa scire 387-389 ; — olim per oracula loquebatur III 390.
Director vide Magister.
Discipulus debet obedire suo magistro II 445 ; — quomodo vivere debeat in claustro III 202 ; — debet obedire etiam in revelationibus constitutus 400 ; — quomodo se gerere debeat in revelationibus 426-433.
Discursus in contemplatione IV 490-496.
Dispositiones ad unionem animæ cum Deo IV 46-52.
Dolor (passio) II 116-122.
Donum consilii III 136 ; — fortitudinis 149 ; — intellectus 283-289 ; — sapientiæ 180-182 ; — scientiæ 276-279 ; — pietatis 143 ; — timoris 155.

E

Ecstasis I 52-54 ; vide Raptus.
Effectus charitatis II 11-13 ; — purgationis passivæ II 292-297 ; — unionis passivæ IV 134-140 ; — orationis unionis activæ 141-146 ; — orationis impulsus 147-149 ; — orationis raptus 150-156 ; — unionis fruitivæ 157-164 ; — effectus supernaturales in contemplativis, num malo spiritui attribuendi 497-502.
Eucharistiæ sacramentum est medium matrimonii spiritualis IV 518-533.
Excessus mentis IV 95 seq. vide Raptus.
Experientia I 26-28.

F

Familiaritas nociva I 27 ; III 206.
Favores supernaturales vide Aprehensiones.
Fides heroica IV 165-172 ; — fides, tentationes contra eam II 311-312.
Figuræ impediunt divinam illuminationem III 3.
Figurarum meditatio, quomodo exercenda II 382-388.
Fortitudo II 76.
Fructus Spiritus sancti III 136 ; 150 ; 156.
Fruitio Dei I 100-104 ; — utrum aliquando contingat sine ecstasi 113-115 ; — certitudo de ea 116-117.
Fuga (passio) II 113-115.

G

Gaudium (passio) II 104-107.
Gradus theologiæ mysticæ I 124-140.
Gratiæ gratis datæ III 290-297.
Gratiarum actio II 358-360.

Gula I 31-32.
Gustus mortificandus II 156-159.

H

Homo in gratia creatus II 1.
Humana natura per gratiam Christi reparata II 4-14.
Humanitas Christi est principalis materia meditationis II 401-409.
Humilitas heroica IV 295-211.

I

Illapsus Dei in animam I 68, 89.
Illuminatio III 1-3.
Imaginatio, mixta cum contemplatione supernaturali III 249-254; — quando contemplationi non interveniat 255-258.
Imperfectionum purgatio II 36-49.
Imperfectis conceditur aliquando gratia contemplationis supernaturalis III 238-244.
Impulsus oratio IV 118-133.
Incipientes I 135; — eorum imperfectiones II 16-35. — cruciantur ariditate 241; — quomodo se gerere debeant empore purgationis passivæ 253-257; — conceditur eis nonnumquam gratia contemplationis supernaturalis III 238-244.
Indicia demonstrantia virtutes acquisitas III 190-194.
Intellectus, quomodo mortificandus II 198-204; — illuminatur in meditatione 419-424; — ejus divisio III 102; quomodo se habeat ad animæ cum Deo unionem IV 53-62; — vide Donum.
Intentio pura heroica IV 224-228.
Invidia I 33-34.
Ira (vitium) I 30; — (passio) II 141-145.

J

Jactura rerum sensibilium II 270-272.
Joannes Baptista, num immunis a peccato veniali fuerit IV 483.
Judicium proprium mortificandum II 198-204.
Justitia II 66; — heroica IV 331-338.

L

Lectio in ordine ad orationem mentalem II 354-357.
Libertas I 59; — in contemplatione IV 505-509.
Liquescere I 84.
Locutiones divinæ III 348-353.
Lumen gloriæ III 298-304.
Luxuria I 26-29.

M

Macula I 97-99.
Magister spiritualis, cura de discipulis, I 137, II 267; — debet consolari tentatos II 314;

— debet habere scientiam et experientiam 443 ; — debet discipuli complexionem attendere 444 , — debet discipuli actus moderari 445 ; — varia monita ad eum III 200-207 ; — cura circa revelationes etc. discipuli 332-333, 398-399.

Mansuetudo heroica IV 305-316.

Maria visitata ab Angelo, quomodo se gesserit III 423, 425 ; — cum Deo unita IV 455 ; — immunis a fomite 483, 486.

Matrimonium spirituale quid I 88-92, IV 376-409 ; — gradus IV 410-420 ; utrum in eo unio actualis cum unione habituali concurrat 421-443 ; — utrum unio continua in eo habeatur 444-452 ; — mediante Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento 518-533.

Media, quibus anima collocatur in exercitio theologiæ mysticæ I 109-112 ; — quibus contemplatio supernaturalis perficitur III 305-310.

Medium acquirendi virtutes III 177-183.

Meditatio, ejus definitio et necessitas II 366-367 ; — est causa devotionis 368 ; — ejus finis 370-372 ; — est primus gradus ad contemplationem 373-381 ; — meditatio figurarum quomodo exercenda 382-388 ; — debet versari circa mysteria humanitatis Christi 401-406 ; — debet ordinari ad mortificationem passionum et ad imitationem virtutum Christi 407-413 ; — debet illustrari a luce supernaturali 414-418 ; — in ea illuminatur intellectus 419-424.

Memoria quomodo purganda II 179-197.

Meritum I 60.

Misericordia heroica IV 339-349.

Moderatio passionum II 85-94.

Modestia heroica IV 268-278.

Modus acquirendi virtutes III 177-183.

Mortificatio sensuum vide Visus, Anditus etc ; Phantasia, Memoria, etc.

Motiva purgationis passivæ partis sensitivæ II 224-231.

Motus circularis, rectus et obliquus in contemplatione III 77-84 ; — m. passionum in contemplativis IV 479-486 ; — m. turpes in oratione, unde III 418-421.

Mundi contemptus heroius IV 229-237.

Murmurationis tentatio II 330.

N

Nausea in rebus spiritualibus II 35.

Natura humana sauciata et sanata II 1-14.

O

Obedientia heroica IV 212-218. — o. in raptibus, quale signum III 462-464.

Oblatio (in oratione) quid II 361.
Observantia regularis heroica IV 219-223.
Odium (passio) II 108-111.
Odoratus mortificandus II 152-155.
Operationes animæ motæ a Deo II 430-435.
Oratio, quid et quotuplex II 337-350 ; — o. unionis IV 63-76 ; — recollectionis 77-82 ; — quietis 83-94 ; — raptus 95-117 ; — impulsus 118-133.
Osculum Dei I 86.

P

Partes theologiæ mysticæ I 124-140.
Participatio divinæ passionis II 324.
Passiones impediunt contemplationem III 87 ; — p. in contemplativis IV 479-486 ; — carum moderatio II 85-94 ; carum mortificatio est finis meditationis 407-413.
Patientia heroica IV 294-304.
Paupertas heroica IV 255-267.
Peccata venialia, num contemplativi eis careant IV 487-489.
Peccator II 9-10.
Peccatorum purgatio II 36-49.
Perfecti I 130 ; eis gratia contemplationis supernaturalis aliquando denegatur III 238.
Perfectiones divinæ III 67-70.
Persecutio dæmoniaca II 266-267 ; — ex parte hominum 268-269 ; — quomodo superanda 270.
Petitio II 362-365.
Phantasia mortificanda II 164-178 ; ejus operatio III 249-254 ; 255-258.
Phantasmata, num in eis delectandum III 398 ; — vide Phantasia.
Pœnitentia (Sacramentum) II 45-49 ; — (virtus) vide Austeritas.
Ponderatio rei meditatæ II 389-396.
Potentiæ animæ Deo unitæ I 105-108.
Præparatio ad orationem mentalem II 351-352.
Præsentia Dei in anima IV 7, 9, 394-402 ; — vide Unio.
Præsentiæ Dei exercitium IV 276.
Principium elicitivum contemplationis multiplex IV 276-304.
Privatio bonorum II 270-273.
Privilegia unionis cum Deo IV 461-478.
Proficientes I 130, 132, 135.
Prophetæ, signa distinguendi veros a falsis III 396-397.
Prophetia quid III 296.
Proprium judicium mortificandum II 198-204.
Providentia Dei a diabolo dissuadetur II 324.
Prudentia II 64 ; III 131-136 ; — heroica IV 317-330.
Pseudoprophetæ quomodo distinguendi a veris prophetis III 396-397.

Pura intentio heroica IV 224-228.

Purgatio passiva *partis sensitivæ*, in quo consistat II 214-219; — ejus causæ 220-223 ; — ejus necessitas 224-231 ;— tædium, ariditas et desolatio in ea 232-240 ; signa demonstrantia purgationem passivam 241-248 ; — ejus effectus 250-251 ; — quomodo incipientes in ea se gerere debeant 253-257 ; — media, quibus perficitur 258-279 ; purg. pass. *partis intellectivæ* quid II 274-279 ; ejus causæ 280-284 ; — ejus motiva 285-291 ; — ejus effectus 292-296 ; ejus signa 304-306 ; — quomodo in ea se gerendum 307-310 ; — media, quibus perficitur 311-324 ; — purg. *peccatorum et imperfectionum* II 36-49 ; — purg. *vitiorum* II 50-84.

Q

Quies duplex II 399-400.

Quietis oratio IV 83-94.

R

Raptus oratio IV 95-117 ; — r. veri et falsi III 326-469.

Recollectionis oratio IV 77-82.

Religio heroica IV 192-199.

Remedia tentationum contra castitatem II 261-265 ; — variarum tentationum 226-236.

Resignatio heroica IV 200-204.

Revelationes supernaturales III 342-347 ; — r. veræ quomodo distingantur a falsis 398-425 ;— quid facere debeat, qui eas habet 426-433.

S

Sapientia I 14 ; III 103 ; — vide Donum.

Scientia (virtus) III 104 ; — de Deo I 11 ; — vide Donum.

Sensuum alienatio III 263-269; — sensuum externorum mortificatio vide Visus, Auditus etc. ; — sensuum internorum mortificatio vide Phantasia, Memoria, etc.

Signa demonstrantia purgationem passivam II 241-248. — s. purgationis partis intellectivæ II 304-306 ; — s. distinguendi veras visiones a falsis III 398-425.

Silentium I 78-82 ; — s. heroicum IV 279-293.

Simplicitas heroica IV 348-361.

Simulatio vitanda IV 356.

Sinceritas IV 348-361.

Somnia III 330-332.

Spes (passio) II 123-127; — spes heroica IV 173-176.

Spiritus blasphemiæ II 318.

Sponsalia cum Deo I 88-92 ; IV 362-375.

Sponsatio vide Sponsalia.

Stigmatum impressio II 324.

Studiositas necessaria II 198.

Subtractio consolationis II 315-317.

Superbia I 24.
Synderesis III 103.

T

Tædium in purgatione passiva II 232-235.
Tactus mortificandus II 160-163; — tactus divini in anima III 354-362.
Temperantia III 151-156; II 79.
Tenacitas proprii judicii II 198-204.
Tentationes occasione purgationis passivæ exsurgentes et earum remedia II 326-336; — contra castitatem II 258-265.
Theologia mystica quid I 1-15; — ejus objectum 16-33.— Pati in exercitio Theol. myst. 34-47; — utrum in hoc exercitio possit esse amor absque prævia cognitione 48-63; — utrum possit voluntas plus amare, quam intellectus intelligere 64-73; — unio potentiarum cum Deo 105-108; — media ad exercitium Theologiæ myst. 109-112; — partes Theologiæ myst. 124-140.
Timor (passio) II 136-140; — t. reprobationis II 313-314; — t. deceptionis II 320.
Transformatio animæ in Deum I 93-96.
Transitus a ponderatione ad contemplationem II 397-400.
Tristitia (passio) II 116-122.

U

Unio potentiarum cum Deo I 105-108; — unio fruitiva cum Deo IV 1-5; — ejus definitio 6-18; — similitudines et exempla 19-26; — ebria et sobria 27-36; — in ea consistit inchoata beatitudo 37-41; — ad eam debent omnes adspirare 42-45; — dispositiones ad eam 46-52; — quomodo se habeat ad eam itnellectus 53-62; — activa et passiva 68-70; — actualis et habitualis 421-443; — per affectum et intellectum continua 444-452; — continua, num aliquibus concessa 453-460; — ecstatica per Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum 518-533; — corporis Christi cum carne digne eum suscipientis 534-540.
Unionis oratio IV 63-76; — privilegia IV 461-478.

V

Veracitas IV 348-361.
Verecundia III 152.
Via purgativa, illuminativa, unitiva I 128.
Virginitas IV 246.
Virtutes, necessariæ ad contemplationem III 85-88; — definitio 89-93; — proprietates 94-98; — disctinctio 99-115; theologicæ 116-130; earum subjectum 157-162; — virtus non potest una sine aliis ac-

quiri 163-170; — ad virtutes acquirendas et conservandas necessaria est charitas 171-176; — quibus mediis acquirantur 177-183 ; virtutes in gradu superiori quando 184-189 ; virtutum acquisitarum certa indicia 190-194.

Visio beatifica I 15 ; — visio Dei III 270-274 ; visio corporalis rerum cœlestium III 311-325 ; — v. imaginaria 326-333; — v. intellectualis 334-341.

Visiones, signa distinguendi veras a falsis III 398-425.

Visus mortificandus II 146-148.

Vita activa, num perturbet contemplationem IV 515-517 ; — v. eremitica III 203.

Vitiorum habitus naturæ rationali contrarius II 8 ; — v. purgatio II 50-84.

Voluntas in exercitio Theologiæ mysticæ I 48-73 ; 101 ; — v. propria mortificanda II 205-213.

Vulnus amoris IV 118-133.

Unio Typographica. — Domois-Dijon

3665 248.2
A 57
Directorum Mysticum
AUTHOR
Rmi P Antonii A Spiritu Sancto
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
7/9/49	[illegible]	
SEP 30	[illegible]	